UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectvra Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

urn:nbn:de:hbz:466:1-46065

Visual Library

Th. 2676.

J VIII
27

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

MAXIMILIANI SANDAEI

E SOCIETATE IESV

DOCTORIS THEOLOGI

ARCHITECTVRA CHRISTIANA.

De quâ disseritur Theologicè, Ethicè, Concionatoriè, per analogias ad Architecturam Hebraicam, Græcam, Romanam.

THEOLOGIA

ARCHITECTONICA

AD

CLERVM PASTORALEM

COLONIENSEM.

Collegii Soc. Iesu Paderborne

Coloniæ Agrippinæ,
Apud Wilhelmum Friessem
sub signo Archangeli Gabriëlis.

Anno Domini. M.DC.LIII.
Cùm facultate Superiorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ECCLESIASTICI I.

Omnis Sapientia à Domino DEO *est.*

Origenes Hom. XII. in Lib. Num.

QVID *est, quod ait,* Omnis Sapientia à DEO est? *Illud mihi sensisse videtur, quod omnis peritia, quæ vel erga* ARTEM *aliquam vsui humano necessaria habetur, vel cuiuslibet rei* SAPIENTIA *dicatur à Domino data. Nam & Artes Mechanicæ, vt* ARCHITECTONICA, *Fabriles, Nauticæ, Textrinæ, & eius generis aliæ originẽ habent à* DEO, *manantq; ab* ARTE INCREATA, *quæ est in mente* DEI. *Sic* Beseleel *dicitur à* DEO *accepisse Sapientiam, id est, Artem ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære,* Exod. XXXI. 3. *Considera ergo quomodo à Domino est Sapiẽtia Fabrilis in quacumque materia; quomodo Musica, Geometria, Medicina, omnisq; alia. Denique vide, quia iure dici de omnibus ijs potest, quod & Fabrorum, & Nautarum, & Figulorum, & quorumlibet aliorum ab* EXCELSO *sit.*

AD MOD. REVER.

ET

EXIMIO VIRO AC DOMINO

ARNOLDO MESHOVIO

SS. THOLOGIÆ DOCTORI.

PAROCHIÆ S. PETRI APVD VBIOS

PASTORI:

Vniuersitatis Colonienſis

RECTORI MAGNIFICO

MAXIMILIANVS SANDÆVS.

NE mireris, Magnifice D. quod Volumen iſthoc de ARCHITECTVRA TIBI inſcriptum dedicauerim. Cui enim conuenientius Opus de Architectura offerrem, legendum, cenſendum, probandum, quàm Architecto? Iam dudum ſanè Architecturam, non quidem Vitruuianam Marlianam, Florentinam, aut alterius Magiſtri profanam; ſed quam in his Opuſculis trado & pertracto, Sacram & Chriſtianam exercuiſti ſtrenuè, in ea veteranus.

Es imprimis Amator veræ Sapientiæ, & Virtutis Chriſtianæ ſtudioſus, quod tot annis probaſti, quibus minor in litterarum ſtudio agens

consodalibus tuis palmam præripuisti. Talem autem esse Ædificatorem, & si excellat, Architectum Pauli illud effatum conuincit (a) *Ædificate alterutrum*: & declarant illæ loquutionũ formulæ, quibus veræ Sapientiæ Magister suos auditores & discipulos Structori comparare, vel ipsorum molitiones actionesq; ad Architectonicæ normam consueuit exigere, quales passim in Volumine Diuino occurrunt. Certè, Christus Dominus vniuersim Auditorem factorẽq; verborum suorum dicit similem Viro Sapiẽti, qui ædificauit domum suam supra petram; audientem autem & non operantem stulto ædificanti super arenam (b) Itaque vtrumque insinuat esse Architectum; illum bonum, hunc malum. Alio tempore & loco, ad perfectionem virtutum Euangelicam, eiusq; apicem præproperè temereq; contendentẽ absq; matura deliberatione ac præparatione debita cõfert cum homine volente Turrim ædificare, nec prius impẽdiorum sumptuumq; rationem ineunte, cui deinde dicatur: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* (c) Cùm de profectu in fide & virtutũ exercitio differeret Lucas Diuinus historicus in Actibus Apostolicis compẽdio multa includens capite IX. (d) aiebat: *Ecclesia per totam Iudæam, & Galilæam & Samariam habebat pacem &* ÆDIFICABATVR. Vbi Ædificãdi verbum

(a) *Ad Thessal.* v II. (b) *Matth.* VII. 24. *Luc.* VI 48. (c) *Cap* IX. 30
(d) *Luc.* XIV. 30.

verbum architectonicum significat, tum spirituale quoddam incrementũ ex mutua doctrina atq; exemplis, tanquam lapidibus; tum propagationem externã: quomodo Ecclesia rectè tum dici potuit ædificari. Istiusmodi Ædificandi metaphoræ sunt frequentes apud Paulũ Apostolum, qui ijs mirificè delectatus videtur; & sumit illas tum in bonam, tum in malam partem, sicut Ædificatores sunt boni & mali: Architecti Sapientes & insipientes: structores periti & imperiti. Inter peritos autem vt esses, Tibi, etiam cùm nondum ad altiora conscendisses, semper cordi fuit.

At verò, Gymnasio litterario egressus alijs ornatus es titulis, SS. Theologiæ Doctoris, Parochi, Ecclesiastæ: è quibus nullus est, qui non Architectum menti ingerat. Siquidem Ecclesiastes, Concionator, Catechista, Instructor rudium, Pauli: sensu, est Architectus. *Qui prophetat*, inquit Gentium ille doctor, *hominibus loquitur ad Ædificationem, & exhortationem & consolationem.* (a) id est, qui prophetat: nimirum, qui Auditores promouet in cognitione & studio pietatis, qui exhortatur & consolatur fideles, Ecclesiam Dei Ædificat, vt paullò post adiungit. Non intelligitur autẽ Prophetæ nomine Is, qui futura prædicit, vel abdita occultaque patefacit, vt communiter accipi solet

(a) 1. *Corinth.* XIV. 4.

istud vocabulum ; sed, qui docet ac Mysteria Diuina explicat, qualis est Doctor Theologiæ in cathedrâ, Ecclesiastes in suggestu, Catechista in agro aut foro, Hi enim ex obseruatione Diuorũ Ambrosij & Anselmi mentem Apostoli explicantium, analogiã retinent Prophetarum. Quemadmodum enim Propheta futura, quæ ignorantur prædicit; ita Magister Mysteriorũ Euangelicorum, quæ Auditoribus suis ignota erant, in lucem profert, vt dicere possit illud Ecclesiastici: *Doctrinam quasi Prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus Sapientiam.* Illorum autem quilibet *loquitur hominibus ad Ædificationem*, aut, vt est in Græco, λαλεῖ οἰκοδομὴν *loquitur Ædificationem.*

Deus bone! quam est ille peritus & sapiens Architectus, qui quicquid loquitur, est Ædificatio. Nimirum, nihil loquitur, certè nil deberet loqui, quod non spectet: conducatque ad Ædificationem, id est, doctrinam sacram ac morum informationem. Et quoniam Doctoris Christiani doctrina ad praxim & mores in Cõcionibus, ac Catecheticis instructionibus referenda est, adiungit *Adhortationem*, & deniq; *Consolationem.* Siquidem Adhortatio animum addit ad arduam virtutis viam capessendã: consolatio spem inijcit, & animos, vt loquitur S. Ambrosi[a], firmat ac prouocat ad meliora. Hæc si

(a) *Eccles.* XXIV. 46.

si faciat Euangelicus Theologiæ Doctor, qualem Te suspicit & veneratur Colonia, omnes Architecti Christiani partes egregiè explet, vt EXIMIVS MAGISTER NOSTER iure optimo, audire possit. Nam & docet, quæ ad benè beatèq; viuendum valent; quod est Fidei Fundamentum ponere; & præceptis moralibus, tanq̃ lapidibus parietes erigit. Tum verò accõmodatâ Adhortatione, suauiq̃ue Consolatione, ne Auditores rerum difficultate perterriti diffidant, animumq̃ue abijciant, tectum imponit.

PRÆTER hos Titulos, ijsq; adnexa munera est alius, quem geris, ceterorum complementũ vel vertex, & in Ecclesia DEI præcipuæ nõ æstimationis modò, sed potestatis. Es enim in Clero Colonienſi venerando PASTOR populi inter Ecclesiæ Præsides Curator animarum, nobilissimæ & antiquissimæ Parœciæ PAROCHVS. Qui autem sunt tales, & officio satisfaciunt, dicere possunt ad suæ fidei cõmissos: DEI *sumus* ADIVTORES: DEI *Ædificatio estis* VOS, 1. ad Corinth. tertio. (a) Quibus verbis innuit, DEVM esse Architectum primarium, cui operas locent aliqui, vt minus primarij, Architecti tamen & ipsi: nempè, Apostoli, & Verbi Diuini Ministri alij, Viri Apostolici, quos appellat in Architectonicâ, *Adiutores* DEI, Græcè, συνεργούς *Cooperatores*. Vnde sibi suiq̃ue similibus Architecti

(a) 1 *Corinth.* III. 9.

tecti Titulum competere gloriatur Apostolus, dum subiungit; *Secundum gratiam* DEI, *quæ data est mihi*: id est, Ex gratia, *vt* Sapiens Architectus *Fundamentum posui*: alius autem SVPER ÆDIFICAT. Quæ significant, Apostolos, & qui Apostolorum munere funguntur in Hierarchia Catholicâ, esse in Ecclesia Christi sicut in Republica sunt *Architecti* ad Ædificandum arte ac potestate instructi, & ad id destinati. Inter quos Paulus nomen profitebatur suum.

QVIPPE, qui, vt alibi loquitur, acceperat, à DEO Principe Architecto *potestatẽ* in Ædificationẽ, *& non in destructionem*, hoc est, vt prosit, Ecclesiam seu fideles *Ædificando*, non vt obsit, lædendo. Ex quo deducit S. Chrysostomus Zelosissimus Antistes, illos, qui præsunt in Ecclesiâ, Episcopos, Curiones, Pastores, Rectoresq; animarum & hominum fidelium, potestatem accepisse ad *Ædificationem*, cui si quis ex subditis aut fidei suæ cõmissis obsistat ac reluctetur, qui alia ratione curari non possit, tum demum assumendum esse pedum Pastorale, ac seuerè agendum, mulctandumq; istiusmodi refractarium. At, hoc est, obesse lædendo: nequaquam, siquidem hoc ipsum, vt monet Chrysostomus, est *Ædificare*: nimirum, ꝙ Architectura præscribit; impedimẽta de medio tollere, vt Ædificiũ exsurgat felicius & celerius. Itaq; Ecclesiæ Præsides, eorumq; adiutores industrij, Parochi,

chi, sensu Pauli Apostoli sunt *Architecti Christiani*. An non ergo hæc sat iusta est causa TIBI Adm. R. Domine, dicandi Opus, quod Architecturæ Christianæ tractationem continet?

SED non est omittendū, quod cum Sermones Architectonici, qui hic referūtur, dicti sint Auditoribus Academicis, conuenienter sanè ad eorum Caput RECTOREM MAGNIFICVM mittuntur. Qui Titulus eiusq; munus à Magnis quoq; Principibus in Germaniâ administratū, cùm Academicorum conspiratione vnanimi TIBI iam dudum sit delatus, eundemq; laudabiliter, sæpius repetita confirmatione gesseris, & etiam-num eo honoreris, vt id quoque ad posteros transscribatur, non tam ad tui nominis æternam memoriam, quam ad Tui similium DD. Ecclesiasticorum incitamētum, Epistola hac dedicatoria testatum volui, DEVM OPT. MAX. enixè rogans vt nunquam esse desinas, qui hactenus semper fuisti, SAPIENS in Ecclesiâ, quà Vniuersali, quà Coloniensi ARCHITECTVS.

Addictiss.

in Christo

Maximilianus Sandæus

E Societate IESV.

R. R.

COLONIÆ AGRIPPINÆ

PAROCHIS,

EVANGELII D. N.

IESV CHRISTI

CONCIONATORIBVS.

De Operis Inscriptione, Vsu, Methodo,

MAXIMILIANVS SANDÆVS

Omnibus & Singulis

POSTQVAM THEOLOGIAM SCHOLASTICAM, *illam disputatricem subtilitatibus rigentem desij publicè profiteri in Gymnasio Theologico ex cathedra (anni sunt plus minus* XXXVI.*) nunquam adfectum erga illam deserui, nec deserturus sum quam diu spiritus hos reget artus. Quocirca in prælectionibus sacris & Concionibus ad Academicos Litteratos habitis, quibus Superiorum iussu & genio impellente multis deinde annis me addixi, quicquid penè protuli, & postea lucubrationibus expressi, nomine* THEOLOGIÆ *signavi. Siquidem conatus sum Argumentum quodcumque, quamuis infimæ sortis, vt est Grammaticale, ita pertractare, vt supponendo fundamentum Theologicum, vel inserendo nonnulla, quæ ex Theologiæ arculis eruuntur, & res fidei ac morum solidè confirmant, ad aliquam Theologiæ speciem referri possit. Sunt enim Theologiæ species variæ. Quæ varietas sumitur ex diuer-*

diuersâ methodo & charactere pertractandi res Diuinas, quas Scientia Theologica ceterarum Artium & Scientiarum Regina ac Modimperatrix considerat: sunt autem istæ.

I. CATECHISTICA. Propria Catechistarum & Cathechumenorum, qui per eam initiantur elementis Religionis, & Mysteria Fidei viuæ vocis ministerio à manuductoribus suis accipiunt. In eâ versatur Libellus vnus meus: de Oratione Dominicâ, & a ter, de Salutatione Angelicâ.

II. POSITIVA. Quæponit fundamenta fidei, & Ecclesiæ, quatenus in Sacra Scriptura continentur, ac ineorum explicatione occupatur; tradens sensum, tum literalem, seu Grammaticalem, per Historiam, Ætiologiam, Analogiam, Parabolam; tum Spiritualem, seu Mysticum, inuestigans Allegoriam, Tropologiam, Anagogicam. Huius Theologiæ specimen aliquodin omnibus meis Concionibus ac libris eatenus editis est cernere.

III. SCHOLASTICA. Quæ in Scholis traditur. Et rationibus, argnmentisqúe probat, atque explicat, quæ sunt Fidei. Hanc tradidi libris IV. Prologomenorum Theologiæ Scholasticæ. Quos subsequuntur Opuscula Theologica non pauciora; quàm sunt Tractatus capitales in Theologia Scholastica de DEO, Diuinisqúe.

IV. CONTROVERSIALIS. Quæ est Polemica, ac Galeata, defendens doctrinam Christianam ac Catholicam contra oppugnantes aduersarios. Hanc produco, tum libris IV. Controuersiarum Hollandicarum, qui Hydrus inscribuntur, & illi adnexis libellis; tum in Castigatione Conscientiæ Iesuiticæ cauteriatæ in cõtrouersijs Fidei; tum in Volumine primo Cõmentationũ Academicarum, inscripto, Grammaticus Profanus, in quo de Controuersijs fidei, ac Sacræ Scripturæ, deqúe Vitijs & virtutibus à Theologo Grammatico disputatur, contra Grammaticos æui nostri profanos, ad vsum & cautelam Litteratorum; tum in alijs quibusdam eius generis Opusculis & Tractatibus aduersus hæreticos scriptis.

V. CA-

V. CANONICALIS. *Quæ versatur circa Regulas Fidei & Morum, vt sunt Canones Ecclesiæ, Conciliorum decreta, Pontificum responsa, Synodorum pronunciata, ac similia, quorum frequens est allegatio & explicatio in meis libris partim editis, partim edendis.*

VI. CASISTICA. *Theologia Moralis circa Conscientiæ Casus occupata, quam nunquam dum vsus fert, desiderari patior in scriptis meis.*

VII. MYSTICA. *Quæ est contemplationi dedita, eam docens, quà Theorica, exercens, quà Practica. Quam tribus libris exposui. Quibus adiuncta est* Clauis Mysticæ: Elucidarium: Onomasticon *ordine alphabetico.*

VIII. DEVOTIONALIS. *Ita populariter voco illam, quæ docet Deuotionis exercendæ modos varios, in vitâ spirituali fideles cuiuscunque conditionis instruens. Quam Centurijs* X. *de* CHRISTO CRVCIFIXO HONORATO, *& Opusculis Marianis de* B. MARIA V. *pluribusqúe alijs libellis persequutus sum.*

IX. HISTORICA: *Quæ etiam* CHRONOLOGICA. *Cuius imago apparet, tam in Opere, quod distinxi per quatuor Monarchias,* Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum; *quàm in Dissertationibus d uersis de Sanctis, per anni circulum coli in Ecclesia Catholicâ solitis.*

X. CONCIONATORIA, *seu* PRÆDICATORIA. *Quæ per Conciones, exhortationes homilias, dissertationes, lectiones sacras, piasqúe, aut ex altiori loco, aut etiam de plano docet, afficit, mouet, & suo loco ac tempore vtiliter oblectat. Porrò, sub hac, quippe amplissima & longè lateqúe diffusa, tot sunt Theologiæ species subalternæ, quot sunt Scientiæ & Artes, quarum obiectis, siue materijs vtitur suo iure Theologia ad rerum Diuinarum explanationem. Potest autem vti omnibus omnium Domina. Hinc originem habet suam.*

I. THEOLOGIA MECHANICA. *Quam exhibui in Volumine, cuius est Inscriptio* ARTIFEX EVANGELICVS. *Vbi ordine*

ordine alphabetico recensentur: & in suis officinis tum Artifices ipsi, tum ipsorum materia, ac instrumenta, quatenus Diuinis intelligendis ac explicandis deseruiunt.

2. THEOLOGIA SYMBOLICA, *In quâ Diuinæ Perfectiones, ac Sacro-sanctæ Religionis Mysteria Symbolis, id est, Notis siue signis arcani latentisque significati inuoluuntur & explicantur. Quam libris* VI. *expandi. Quibus adhærent* Symbola vitæ humanæ CXXVII, *Notulis Theologicis illustrata. Item libri* III. Symbolorum Mortis. *Denique* Symbola Mariana, *per Tomos aliquot distributa, & proprijs commentationibus exornata.*

3. THEOLOGIA GRAMMATICALIS. *Quæ desumptâ materiâ ex argumento Grammatico, Poëtico, Rhetorico ad mores informandos idoneo, erudit Sapientiæ humanæ Diuinæque addictos ad Pietatem. Quod conatus sum facere in* Pædia Academici Christiani. *Quæ etiam inscribitur:* Palæstra Pietatis eruditæ; & Grammaticus Christianus. *Item, in Volumine, cuius est titulus* Litteratus Christianus.

4. THEOLOGIA PHILOSOPHICA. *Quæ Philosophiæ partes omnes,* Logicam, Physicam, Metaphysicam, Mathesin, *eiusque species ad Diuina cognoscenda, meliusq; percipienda, quo* DEI *cultum, & cœlestium amorem promoueat, adducit; è profanis tamen prius factas sacras & Christianas. Quod facere tentâui in volumine sat vasto, cuius est inscriptio,* PHILOSOPHVS CHRISTIANVS: *seu* PHILOSOPHIA CHRISTIANA: *In eodem Sectæ Philosophorum ad mores Christianos transformantur, vt dicatur esse secundum scita* Theologica, Academicus Christianus, Peripateticus, Stoicus, Pythagoricus, Epicureus *etiam sano sensu, &* Cynicus Christianus.

5. THEOLOCIA IVRIDICA. *Quam libris omninò sex expreßam, & Concionibus aptam in publicum emisi.*

6. THEOLOGIA MEDICA. *Quam libris* IV. *complexus sum, & edidi, Concionatoribus Euangelicis perquã vtilẽ, vt rebar.*

7. THE-

7. THEOLOGIA MILITARIS. *Militiam Christianam, Spiritualem, Mysticam, Moralem Libris XXIII. qui in quatuor Tomos distributi sunt, scriptam & explicatam ad vsum Concionatorum repræsentans.*

8. THEOLOGIA ARCHITECTONICA. *Quæ Architecturam, Mysticam, Moralem, in Sacra Scripturâ delitescentem ob oculos ponit, & Ædificandi Artem, quæ propria est, certè esse deberet* PAROCHORVM *varijs Opusculis secundum materiæ diuersitatem, complectitur. Quam proinde vobis inscribo,* VIRI REVERENDI, *quorum est Ædificare nõ solùm alterutrum, sicut facitis, sed etiam &, maximè, subditos. gregem vestrum. Quilibet vestrum dum Auditoribus suis loquitur ad Ædificationem Ecclesiam* DEI ÆDIFICAT. *Vos* DEI *Adiutores & cooperatores estis, quibus* ARCHITECTI *nomen & munus conuenit, quia Principi Architecto operam locatis, vt minus primarij, Architecti tamen & ipsi, vt Doctor Gentium per Gratiam* DEI, *quæ data est vobis.*

FELIX *Colonia Agrippina hoc quoque nomine, & digna encomio, non tantum propter vetustatem, venustatemqúe, propter magnitudinem sacram & profanam, propter decora penè innumera, verum etiam & multo magis propter Ordinem amplissimũ Parochorum Vrbanorum, cum præcipua dignitate & potestate, quos idcirco aliqui Columnis & Montibus Sanctis, quibus suffulta Sanctæ Coloniæ fides annunciatur per vniuersum orbem, comparant, ego* ARCHITECTIS, *Fundamento, quod est* CHRISTVS, *superædificantibus. Sunt autem huiusmodi Ecclesiæ Ædificatores omninò vndeuiginti ad numerum Basilicarum Parochialium, quibus præsident, dicti* PAROCHI & PLEBANI *quod plebem in territoria vel regiones distributam regant. Sunt autem isti, ab Ecclesijs suis, vel locis cognominati. 1. S. Columbæ. 2. Martini, 3. Laurentij. 4. Albani 5. Petri. 6. B.M.V. in Littore. 7. Lupi 8. Iacobi 9. Ioannis Baptistæ 10. B.M.V. Indulgẽtiarum 11. S. Pauli Apost. 12. Mariæ Magdalenæ. 13. Brigidæ 14. Mauritij 15. SS. Apo-*

SS. Apostolorum. 16. Cuniberti. 17. Christophori. 18. Ioannis Euangelistæ. 19. B. M. V. in Pasculo.

VOBIS itaque VIRI REVERENDI, *vt præcipuis Ecclesiæ in Agrippina Coloniâ* ARCHITECTIS, *Volumẽ hoc Architectonicũ inspiciendum offero, peruoluendum repræsento, vtendum trado: nam nulla reuera mihi occurrit materia Concionatoria, ad cuius tractationem non sit opportuna ac fructuosa* ARCHITECTONICA CHRISTIANA, *si fiat quod omnibus Verbi Diuini Doctoribus commendo, Lectione, meditatione, scriptione, dictioneque familiaris.*

Ita sanè mihi persuadeo.

Omnium, Euangelio secundum virtutem Dei, Ædificando collaborantium in CHRISTO IESV *Seruus*

Maximilianus Sandæus.

REV.^do PATRI
M. S.
ARCHITECTVRÆ CHRISTIANÆ
SCRIPTORI
CHRISTIANVS THVLDENVS
EX CLERO COLONIENSI
AD GRADVS B. M. V. CANONICVS

EPODOS.

Vî laudum generi, queîs hunc virtutibus æquem?
O Architectum nobilem!
Substruit, ædificat, ponit quadrata, rotunda;
Docet struendi gratiam:
Fundamenta locat nullis dirimenda ruinis
Educit in Cœlum DOMOS.
En properè firmis exsurgunt molibus ædes
Artem ferentes & operam:
Ex auro structæ solido, viuoque ex adamante
Hinc examussim & hinc nitent.

Nomi-

Nomina si quæris Dominæ, cui tanta paratu
Tanto sient palatia?
Non longum faciam, neque te sermone morabor
Ampliùs: Ea Sapientia est.
Nam Diuina sibi tectum Sapientia finxit
Septem columnis inclytum:
Hic habitat, recipitque suos dulcissima amicos,
Ambrosio alendos nectare;
Et post fata piæ, per tot discrimina, vitæ
Cœlestium inserit choris.
Ne tamen ad paucos, Artis solertia tantæ
Venire dicatur modò;
Omnibus ecce aperit, legemque modumque struendi,
Rei peritus Artifex:
Atque domos varias nunc MORIBVS ornat & auget,
Nunc SPIRITALI dogmate.
Ex MERITIS parat ille domum, cui gloria nomen
Æterna: hic EXEMPLO struit:
Fit quoque CHRISTVS, *& optimo* cognomine gaudet:
Cœlo vt sit altior domus.
Firmamenta FIDES præbet: *Timor* ipse Fideque
Ornatus & *Modestiâ*
Huc quoque conuênit, *fundatq; tegitq;* vicissim:
Stant & Columnæ aheneæ,
Æsque triplex animum, & *prudens Constantia* seruat,
Et *Perseuerans æquitas.*
Parietibus suus absit honos? ne crede: parantur
In firmitatem sedulò
Nituntur *Christi meritis* ingentibus, & *Spem*
Robustiorem præferunt
Ex lapide antiquo: paries quo perstat vterque,
Et durat aduersum Notos.
Tectum augustum, ingens, cernis sub sidera ductum,
Huc te infer, & metues Nihil.
Quin etiam dum fortè iuuat, pro munere sumto;
Pro te, tuâque familiâ
Ædificare domum: cœloque educere muros;
Hinc si voles formam cape.
Sic te jam Calamus, sic Cœmentaria trulla
Trochleaque,, ament & Tympanum.

Anno Soteris nati M.DC.LII. inito jam Septembri, ipsis natæ Deiparæ octodialibus.

MAXIMILIANI SANDÆI

ARCHITECTVRA CHRISTIANA

Spiritualis. Mystica. Moralis.

Seu

THEOLOGIA ARCHITECTONICA

In Sacrâ - Scripturâ delitescens.

Scrutamini Scripturas. Joa. v. 39.

PROOEMIVM.

In quo nominum ratio, & vsus.

I. ARCHITECTVRA *est ædificandi scientia, Græcè* Ἀρχιτεκτονική, Architectonice. *Hoc nomine M. Vitruvius opus suum inscripsit, quod de ædificandi ratione conscripsit. Is autem lib. 1. cap. 1. definit Architecturã esse* Scientiã pluribus disciplinis, & varijs eruditionibus ornatam, cuius iudicio probantur omnia quæ à ceteris artibus perficiuntur

untur opera. *Duo hac descriptione designantur Architecturæ decora.* I. *quod scientiarum præsidia atque ornamenta habeat.* II. *quod ipsius iudicio probentur opera, quæ à ceteris artibus perficiuntur. Quæ quoniam cernuntur etiam in Arte regnandi, seu imperandi, eam comparat Plato Architecturæ, & vocat scientiam Architectonicam. Certè, lib. de Regno, Artem regnandi probat esse speculativam, exemplo Architecturæ, colloquentes inducens Hospitem & Socratem, in hunc modum. Hosp.* Architectus nullus manuum ministerio utitur, sed utentibus præsidet. *Socr.* Ita est. *Hosp.* Judicium adhibet, non ministerium. *Socr.* Id quoque verum. *Hosp.* Jure igitur speculandi scientiæ particeps est dicendus. *Socr.* Et maximè quidem. *Hosp.* Hoc, vt arbitror, ad iudicem pertinet.

Mox vniuersam contemplationem in duo distribuit genera, quorum alterum Iudicio tribuit, alterum Imperio, atque adeò inter Imperatorias facultates Architecturam computare videtur. Certè, quemadmodum singula subditorum ministeria nota debent esse Imperatori, vt sciat quid cuique præcipiendum sit, sic ea omnia nota esse Architecto necessarium est, quæ operarijs distribuere, & quorum opera iudicare tenetur. Iterum Plato lib. de Philosoph. Architecturæ & Architecti exemplo contendit Philosophum plurimis disciplinis imbutum esse debere: & tunc Architecto similem fore Philosophum, cùm libero homine dignas noverit disciplinas, artes verò opificumque traditiones, quoniam eas exercere non decet, dijudicare saltem possit. Ibidem mirificè commendat Architectum, vtpote omni pretij æstimatione maiorem, quique inter Sapientissimos Græciæ viros rarò inveniretur. Quod autem rari sint in Regno vel Repub. Architecti ad punitionem diuinam referre licet. Certè, Isaiæ tertio, inter grauissima supplicia, quæ veteri Ierosolymæ comminatur Dominus, vnum est, quod auferet Sapientem de Architectis.

II. QVIBVS *disciplinis instructus esse debeat Architectus, quibus etiam dotibus, tradit Vitruvius hac verborum complexione.*

ne. Eum & ingeniosum esse oportet, & ad disciplinam docilem (neque enim ingenium sine disciplina, aut disciplina sine ingenio perfectum Artificem potest efficere) & vt litteratus sit, peritus graphidos (*id est, delineationis*) eruditus geometria, & optices non ignarus, instructus arithmetica, historias complures noverit, Philosophos diligenter audiuerit, musicam sciuerit, medicinæ non sit ignarus, responsa Iurisconsultorum noverit, astrologiam, cæliqúe rationes cognitas habeat. *Subiungit exempla rationesqúe, vt ostendat, quid quantumque è singulis enumeratis facultatibus accipiat Architectus emolumenti.*

III. SAPIENTIA *autem propria videtur Architecti, qui idcirco Sapiens vocatur. Aristoteles* 1. *Metaph. cap.* 1. Eos qui in quaque arte Architecti sunt, honorabiliores ac doctiores, & ijs, qui manibus operantur sapientiores putamus, quoniam causas eorum, quæ fiunt, sciunt. Illi verò sicut & quædam inanimata faciunt quidem, sed nescientia faciunt ea, quæ faciunt, vt ignis comburit: sed inanimata natura quadam horum singula faciunt: manibus laborantes propter consuetudinem, *S. Thomas* 1. *cont. Gen. cap* 1. Artes alijs principantes Architectonicæ nominantur, quasi principales artes, vnde & ipsarum artifices, qui Architectores vocantur nomen sibi vindicant Sapientum. *Sic Paulus Apostolus* 1. *Corinth.* III. 16. Vti sapiens Architectus fundamentum posui.

IV. ARCHITECTVS: *Nomen est compositum ab* ἀρχὸς *Princeps, &* τέκτων *faber Vt sit principalis faber: fabricandi artem habens: qui structuris ædificiorum præest, &, quæ fabricanda præscribit. Idem dicitur Latinè* ARCHITECTON. *Plaut. Mostell. sibi laudasse ædes ait Architectonem nescio quem, esse ædificatas sanè benè.* ARCHITECTOR, *construo, fabricor. Vitruui. lib.* IX. *cap.* 4. *Neque in his locis natu-*

ralis potestas ita architectata est, collocauitq; cardines, tanquam centra. Translatè Cic. 2. de finib. Cur tandem sapientia tantopere laudatur? an quod ita callida est, vt optimè possit architectari voluptates? *id est, formam & rationem fruendarum voluptatum comminisci, & præscribere? sic enim Architecti opera maioris sumptus & magnifica ingenti ratiocinatione architectari solent.* Budæus. *Architectio. Plin. lib. x. cap. 71. In quo vel præcipua Naturæ architectio.*

V. AVCTORES, *Scriptores, Legendi.* M. Vitruuius, *cuius summa est multorum seculorum firmata consensione auctoritas in Architectura. scripsit libros* x. *quos* Jacobus Jocundus *collatis exemplaribus purgauit.* Gulielmus Philander, *cuius extant Annotationes in Architecturam Vitruuij.* Gaudentius Merula, *in Vitruuium Vitruuianæ Architecturæ compendium promisit* Franciscus Maurolycus, *an ediderit ignoro.* F. Diegus de Sagredottis, *cuius est Ratio Architecturæ antiquæ graphicè scripta, ex Vitruuio, & alijs Architectis excerpta.* Marlianus. Leo Baptista. Albertus Florentinus. Rubirufus *de Architectura.* Sebastianus Serlius *Bononiensis Tomis duobus de Architecturâ Italicè.*

Ioan. Baptista Villalpandus *in Ezechielem per tres tomos sparsim. Tomo 2. par. 2. cap. 1. probat Architectum pluribus disciplinis, & varijs eruditionibus ornatum esse debere. Cap. 2. Sapientiam maximè in Architecto requiri ex Scripturâ Sacrâ.* Maximilianus Sandæus *in Artifice Euangelico, Litt. A.* ARCHITECTVS, *vbi xxv. sunt ab Architecto, & ex Architecturæ desumpta symbola.* Gesnerus, *in Pandect. Tit. 2. de Artibus illiterarijs.*

Laurentius Beyerlinck, *qui edidit Theatrum vitæ humanæ, in quo, Ver.* Architectura *&* Architectus, *sunt isti Tituli 1. Architecturæ Antiquitas & inuentores. 2. Architecturæ studium. 3. Architecti in genere. 4. Architecti in specie. 1. Vrbium. 2. Mœnium 3. Arcium. 4. Propugnaculorum. 5. Templorum. 6. Labyrinthorum. 7. Theatrorum. 8. Domuum. 9. Porticuum*

ticuum. 10. *Pontium.* 11. *Turrium.* 12. *Fori.* 13. *Armamentarij.* 14. *Ærarij.* 15. *Cloacarum.* 16. *Murorum* 17. *Parietum.* 18. *Tectorum.*

Polydorus Virgilius *de inuentione rer.* 3. 7.

VI. Ἀρχιτέκτων *Græcis dicitur* Princeps fabrorum: *hoc est, qui inferiorum opificum, quos Aristoteles* 1. *Ethicor. &* 2. *Physic.* ποιητὰς *vocat, operis & operibus vtitur. Quare est vox generis, vti etiam apud Latinos,* Faber. *In specie verò ad Ædificandi artem, quæ Ædificia propriè dicta ad conuersationem hominum accommoda ædificat, seu fabricat,* κατ' ἐξοχὴν *transfertur: quandoquidem illi qui ædificant omnes fere fabros habent solicitos, occupatos sibiq; obnoxios: eoq; nomine* οἷον ἀρχιτέκτονες *censeri possunt & appellari, quasi Imperatores, & designatores reliquorum.*

VII. QVONIAM *autem Ædificandi Ars non tantum ea, quæ necessitati habitationis, & locationis, ut* Templa, Domus, Porticus, Propugnacula, *sed etiam quæ ornamentis inseruiunt, statuas scilicet, colossos, & similia efficit: ea propter inter formales differentias referri posset Architectura Statuarios & Marmorarios complectens. Et quia tuetur contra quæuis alia extrinsecus offendentia, idcirco inter defendentia quoque collocatur.*

OPVS-

OPVSCVLVM I.

ARCHITECTVS CHRISTIANVS

Sacer. Spiritualis. Mysticus. Tropologicus.

SERMO I.

Amator veræ Sapientiæ & Virtutis Christianæ studiosus sit oportet

ARCHITECTVS.

AEdificate alterutrum, sicut & facitis.
Ad Thessal. v. 11.

ARTICVLVS I.

TITVLVS ARCHITECTI

Qui conuenit omnibus Christianis, sed signatè Concionatoribus, sancitur formulis loquutionum sacrarum Christi & Apostolorum.

Academici Christiani.

AMATOR veræ sapientiæ, & virtutis Christianæ studiosus ac cultor, ad quem sermones nostri diriguntur in hac Adolescentum Virorumque Academicorum exedrâ, cùm minimè contentus aridâ quadam,

dam, ſteriliq́ue rerum variarum cognitione, fructuoſâ aliâ, & in opus prodeunte ſcientiâ excellere debeat: in hac autem principem facilè locum habeat ÆDIFICATORIA, ſeu ARCHITECTVRA; hanc, ſed vulgari illâ multo nobiliorem, nec generis humani Domino indignam debet imprimis excolere. ARCHITECTVS itaque ſit oportet, ſed CHRISTIANVS ille ACADEMICVS, quem, & *Grammaticum* & *Philoſophum*, & *Medicum*, & *Iuriſconſultum*, & Militem, & vniuerſè, *Artificem* Chriſtianum, non nominari ſolùm, ſed etiam eſſe debere, diuerſis diſſertationibus, & libris, demonſtrauimus. Quàm verè autem Titulus iſte Sapientiæ Amatori conveniat, illæ imprimis oſtendunt loquutionum formulæ, quibus veræ Sapientiæ Magiſter ſuos Auditores, & Diſcipulos ſtructori comparare, vel ipſorum molitiones, actioneſq́ue ad Architectonicæ normam conſueuit exigere: quales paſſim in Diuino volumine occurrunt.

CHRISTVS imprimis Auditorem, factoremq́ue verborum ſuorum, dicit ſimilem Viro Sapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram: audientem autem, & non operantem ſtulto ædificanti ſuper arenam. Matth. VII. 24. & Luc. VI. 48. Itaque vtrumq; inſinuat eſſe Architectum: illum bonum, hunc malũ. Alio tempore & loco, ad perfectionem virtutum Evangelicam, eiuſq; apicem præproperè temereq́ue contendentem, abſque maturâ deliberatione, ac præparatione debita, confert cum homine volente turrim ædificare, nec prius impendiorum, ſumptuumq́ue rationes ineunte: cui deinde dicatur: *Hic homo capit ædificare, & non potuit conſummare* Lucæ XIV. 30. Cùm de profectu in fide ac virtutum ſtudio diſſereret Lucas Hiſtoricus in Actibus Apoſtolicis, compendio multa includens, cap. IX. aiebat: *Eccleſia per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebat*

bebat pacem, & ÆDIFICABATVR, ambulans in timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus replebatur. Vbi *Ædificandi* verbum, Græcè, οἰκοδομέμενοι, architectonicum, significat, tum spirituale quoddam incrementum, ex mutuâ doctrina atque exemplis, tanquam lapidibus, tum propagationem externam: quomodo Ecclesia rectè tunc dici potuit ædificari. Istiusmodi Ædificandi metaphoræ sunt frequentes apud Paulum Apostolum, qui ijs delectatus videtur: & sumit illas, tum in bonam, tum in malam partem, sicut *Ædificatores* sunt boni & mali, *Architecti* Sapientes & insipientes, *structores* periti & imperiti.

Epistola 1, ad Corinthios cap. VIII. 1. *Scientia*, inquit Apostolus, *inflat*, *Caritas verò ædificat*. Quod quidem commodè referri potest ad illos, in quibus est Caritas, tanquam Ars architectonica in Artifice. Est autem in eo antithesis, quod scientia, quatenus Caritate destituitur, tumorem pariat, hominum vitio, qui Sapientia abutuntur sua, vt scientiam suam æstimant: Caritas verò vitam adferat, vt loquitur Irenæus, lib. II, c. 45. & solidum quidpiam ac stabile largiatur, dum nimirum Ædificium spirituale extruit. Igitur qui Caritatem habet, est Architectus spiritualis. Præterea, referri potest idem ad proximos, quos Caritas erudit, & Christianis præceptis informat, quodque inde consequitur, ad religionis ac pietatis studium inflammat: quod est *Ædificare*; cum ex sola scientia oriatur tumor, aliorumque, & maxime, paruulorum, & rudium contemptus, quod illorum salus vel negligitur, vel, quod est multo deterius, contemnitur, vt monet Pauli Interpres egregius Benedictus Iustinianus. Eâdem in Epistolâ & capite, Apostolus ita scribit: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia eius, cùm sit infirma, Ædificabitur ad manducandum idolothyta:* Vbi vocabu-

cabulum architectonicum, *Ædificabitur*, οἰκοδομηθήσεται. necessariò in malam partem accipitur, cùm significet, ad scelus provocari istud cernentem, & quodammodo falsa opinione imbui, quod fas sit Christianis liberè vesci ijs, quæ falsis Dijs immolantur.

ARTICVLVS II.

ARCHITECTVS

Propheta, Ecclesiastes, Catechista, Linguis loquens, Doctor fidelium.

QVI *prophetat*, inquit Paulus Apostolus, 1. Corinth. XIV. 4. *hominibus loquitur ad* ÆDIFICATIONEM, id est, quæ auditores promoueant in cognitione & studio pietatis: *& exhortationem, & consolationem. Qui loquitur linguâ, semetipsum* ÆDIFICAT; hoc est, sibi prodest. *Qui autem prophetat*, *Ecclesiam* DEI ÆDIFICAT, id est, fidelium multitudini singularem eximiamque adfert vtilitatem. *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi fortè interpretetur, vt Ecclesia* Ædificationem *accipiat*, id est, inde capiat emolumentum in fide, & morum honestate, seu disciplinâ religionis Christianæ. Hisce verbis varios designat Paulus Apostolus Architectos Christianos. Et primus inter eos nominatur, qui prophetat: is enim hominibus loquitur ad *Ædificationem*. Non intelligitur autem Prophetæ nomine is, qui futura prædicit, vel abdita, occultaque patefacit, vt communiter accipi solet istud vocabulum; sed qui docet, ac Diuina mysteria explicat; qualis est Doctor Theologiæ in cathedrâ, Ecclesiastes in suggestu, Catechista in agro, vel foro. Hi enim, ex obseruatione Diuorum Ambrosij & Anselmi, Apostoli mentem explicantium,

analogiam retinent Prophetarum. Siquidem vt Propheta, futura, quæ ignorantur, prædicit : ita Magister mysteriorum Euangelicorum, quæ auditoribus suis ignota erant, in lucem profert, vt dicere possit illud Ecclesiastici cap. XXIV. 46. *Doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus Sapientiam.* Illorum autem quilibet *loquitur hominibus ad ædificationem*; siue, vt est in Græco, λαλεῖ οἰκοδομὴν, *loquitur ædificationem.* Deus bone! quàm est ille peritus & sapiens Architectus, qui quidquid loquitur, est ÆDIFICATIO? Nimirum, nihil loquitur, quod non spectet conducatque ad *ædificationem*, id est, doctrinam sacram, & morum informationem. Et quoniam Doctoris Christiani doctrina ad praxim & mores in concionibus & catecheticis institutionibus referenda est, adiungit *Adhortationem*, & denique *Consolationem.* Siquidem Adhortatio animum addit ad arduam virtutis viam capessendam: Consolatio spem inijcit, & animos, vt loquitur S. Ambrosius, firmat, ac prouocat, ad expectanda meliora.

Hæc si faciat Euangelicus Doctor, omnes Architecti Christiani partes egregiè explebit. Nam & docebit, quæ ad bene beateque viuendum valent: quod est fidei fundamentum ponere, & præceptis moralibus, tanquam lapidibus, parietes erigere; tum verò accommodata adhortatione, suauique consolatione, ne auditores rerum difficultate perterriti, diffidant, & proficiendi animum abijciant, tectum imponet.

ALTER, quem *Architecti* titulo decorat Apostolus, est *Qui linguâ loquitur*: ille scilicet, qui dono linguarum præditus cùm sit, ita peregrinâ linguâ loquitur, vt intelligat ipse quæ dicit, alijs tamen interpretari aut exponere non possit: is enim sibi quodammodo Architectus est: nam seipsum ædificat: loquitur enim ea, quæ ad Dei glo-

gloriam, & propriam vtilitatem pertinent. Hoc antea quoque dixerat Apostolus : *Qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed* DEO. Siquidem ita cum DEO sermonem habet, ut & illum laudet, & ipse inde proficiat in doctrinâ & virtute; melior euadens & doctior. Et inferiùs linguarum dono vtentem alloquens, dicit: *Tu quidem benè gratias agis sed alter non* ÆDIFICATVR: hoc est, ignarus idiomatis peregrini, non percipit vtilitatem.

At verò, Propheta, cuius munus superiùs indicauimus, qui prophetat, siue Scripturam sacram interpretando & explicando, siue rudes instruendo, siue quoslibet exhortando, monendo, consolando, ÆDIFICAT ECCLESIAM, nempe, vniuersum populum, qui probè intelligit, quæ Ecclesiastes loquitur. Ob quam çaussam hoc prophetandi officium Apostolus ceteris anteponit.

Sed bene monet, Apostoli sensum penetrans, eius interpres Benedictus Iustinianus, non esse aut sui, aut proximorum Architectos, diuini Verbi præcones illos, qui abstrusa quædam coram mulierculis, & imperita multitudine detonare solent, qui ne ipsi quidem, qui loquuntur, satis intelligunt, tantum abest, vt commodè, & ad tenuiorum captum accommodatè explicare queant, cùm tamen, omnis eorum oratio ad Ecclesiæ ÆDIFICATIONEM referenda esset.

ADDIT autem Apostolus: *Si quis linguâ loquitur, interpretetur suum sermonem*: nimirum, vt sic totius Ecclesiæ fiat *Architectus*: nam ita Ecclesia Ædificationem accipiet. Contra quàm faciunt, inquit laudatus antea Auctor, qui in popularibus, multa Latinè, nonnulla etiã Græce, & si DEO placet, etiam Hebraicè, atque Syriacè, absque interpretatione (nam nec ipsi intelligunt) inculcant: quę nihil habent præter inanem ostentationem. Sapienter

S. Am-

S. Ambrosius in 1. ad Corin. 14. *Si vtique ad Ædificandam Ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest, vt quis linguâ loquatur, quàm solus scit, & qui audit nihil proficiat. Ideo tacere debet in Ecclesia, vt ij loquantur, qui prosunt audientibus.* Præclarè S. Augustinus libro de bono perseuerantiæ cap. 16. scribit, facile esse, immò & vtile vt taceatur aliquando verum aliquod propter incapaces. Ita est, & præivit exemplo Dominus, qui testatus legitur Joannis XVI. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Sequutus est Apostolus scribens Corinthis 1. Corinth. III. 1. *Non potui vobis loqui quasi Spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi: nondum enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis.* Subdit Augustinus, quod notet Concionator, si velit officio fungi Architecti: Caussas verum tacendi multas esse, non postremam autem istam: ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Nam peiores faciendo semper destruimus: doctiores faciendo non semper ædificamus. Est autem Architecti Christiani in concionibus semper spectare *Ædificationem.*

ARTICVLVS III.

ARCHITECTVS

Deus, Apostolus, Vir Apostolicus.

DEI *sumus*, inquit Doctor Gentium, *Adiútores.* DEI Ædificatio *estis* 1. Corin. 3. 9. Quibus verbis innuit, DEVM esse Architectum primarium, cui operas locent aliqui, vt minus primarij, Architecti tamen & ipsi: nempe Apostoli, & verbi Diuini Ministri alij Viri Apostolo-

postolici, quos appellat in Architectonicâ *Adiutores* DEI, Græcè est, συνεργοί, cooperatores. Vnde sibi, suiqne similibus *Architecti* titulum competere gloriatur Apostolus dum subiungit: *Secundum gratiam* DEI, *quæ data est mihi, vt* SAPIENS ARCHITECTVS *fundamentum posui: alius autem* SVPERÆDIFICAT. Quæ significant Apostolos, & qui Apostolorum munere funguntur, esse in Ecclesiâ Christi, sicut in Republicâ sunt *Architecti*, ad ædificandum arte instructi, & ad id destinati. Inter quos Paulus nomen profitetur suum. Quippe, qui vt alibi loquitur, acceperit à DEO Principe Architecto *potestatem in* ÆDIFICATIONEM, *& non in destructionem*: 2. Corinth. XIII, 10 id est, vt prosit, Ecclesiam, seu fideles ædificando, non vt obsit, lædendo. Ex quo deducit S. Chrysostomus, zelosissimus Antistes, illos, qui præsunt in Ecclesiâ, Episcopos, Curiones, Rectores animarum, & quoslibet alios curam aliorum habentes, potestatem accepisse ad *Ædificationem*; cui, si quis, ex fidei suæ commissis obsistat, ac reluctetur, qui alia ratione curari non possit, tum demum assumendum esse pedum pastorale, ac seuerè agendum, mulctandumque istiusmodi refractarium. At, hoc est, obesse, lædendo: nequaquam. Siquidem hoc ipsum, vt monet Chrysostomus, est *Ædificare*: nimirum, quod Architectura præscribit: impedimenta de medio tollere, vt ædificium exsurgat felicius & celerius.

ITAQVE Ecclesiæ Præsides, eorumque adiutores industrij, sensu Pauli Apostoli, sunt *Architecti Christiani*. Quòd sibi persuadebat in Architectura profana æquè ac sacrâ nobilis Joannes Baptista Villalpandus, qui in Epistola dedicatoria, quâ Philippo Regi Catholico Templi Ierosolomitani structuram à se commentationibus sacris illustratam, vastum opus consecrat, ita Principem

allo-

» alloquitur. Tu ad remotissimas illas, barbarasque
» gentes quot annis, tum alios multos, genere, do-
» ctrinâ pietate præstantes, tum è nostrâ Societate tui
» studiosissima, complures mittendos, tanquam Fa-
» bros & ARCHITECTOS, curas, qui sinceræ fidei,
» ac Religionis Catholicæ, siue fundamenta iaciant,
» siue opus iam inchoatum ab alijs, DEI ope freti, pro-
» moueant, atque perficiant. Quapropter eo etiam
» magis videri debes Salomoni præstare, quo maior
» est huius posterioris DEI Domus gloria, quàm prio-
» ris fuit

ARTICVLVS IV.

ARCHITECTVS

Quilibet homo Christianus.

HOc Pauli Apostoli, vel est votum, vel pronuncia-tum. Is enim, quod alio fine dixit Corinthijs: *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum* (1. ad Corinth. VII. 7.) insinuat se optare in re architectonicâ ad Ædificationem. Nam scribens ijsdem adfirmabat, omnia se facere *propter Ædificationem ipsorum.* 2. ad. Corinth. XII. 19. Quod quidem S. Ambrosius refert ad Pauli institutum illud, quo nihil ab auditoribus accipere decreuerat; vt vel sic, ait, amorem illorum circa se promoueret. non gravando eos, quod fieri solet, necessariorum postulatione: & non diminuendo auctoritatem potestatis in arguendo, quod facile fit, accipiendo quidpiam ab ijs, quos necesse est arguere. Et idem videtur significare, Apostoli sensum excutiens S. Chrysostomus: qui illud etiam obseruat, voluisse illum mitigare sententiæ suæ seueritatem: nam dixerat, se nihil accipere propter ipsorum imbecillitatem: quod quodammodo emendat, dicens,

vt

vt Ædificemini. Nihilominus magis vniuersaliter accipi potest Apostoli adfirmatio illa de *Ædificatione*,, vt non solùm peculiarem illam actionem denotet, sed totius vitæ tenorem comprehendat, hoc sensu: quicquid dico, ago, molior, facio ad *Ædificationem*, id est, vestrum profectum perfectionem, vtilitatē spiritualem. Hortatur autem vt idem omnes faciant, id est, sint *Architecti*, quemadmodū ipse erat, Sapientes, 1. Cor. 14. 26. *Vnusquisque*, inquit, *vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet linguam habet: interpretationem habet*: Omnia *ad* Ædificationem *fiant*. Quasi dicat, quocumque munere fungamini, ostendite vos esse peritos *Ædificatores*, & omnia ad Ecclesiæ emolumentum referte; vt in ea mali conuertantur, imperiti proficiant, boni meliores fiant, quod est omnes *Ædificare*, & ex ijs tanquam viuis lapidibus Ecclesiam. Ita quoque Petrus Apostolus, postquam dixisset, Epist. 1. cap. 2. 5. *Christum* esse *Lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum,* â Deo *autem electum & honorificatum*, subdit, *& ipsi, tanquam lapides viui, Superædificamini Domus spiritualis.*

Huc spectant illa, quæ omnibus dicta sunt: *Consolamini invicem, &* Ædificate Alterutrum, *sicut & facitis.* Quod scribit Paulus Thessalonicensibus Epist. 1. 5. quos commendat simulque hortatur, vt singuli singulos excitent, & ad optima quæque promoueant: ad orationis instantiam, ad Sacramentorum frequentationem, ad castimoniam, sine quâ nemo videbit Deum, ad sobrietatem. ad demissionem Christianam, ad rerum humanarum despicientiam, amoremque diuinorum & cælestium, ad mandatorum Dei obseruationem, Consiliorum Christi susceptionem, virtutum omnium exercitationem: ad honorem exhibendum superioribus, humanitatem proximis, affabilitatem Sodalibus. Hoc est *Ædificare*: quod non solùm doctri-

nam

nam, sed exemplum etiam & omnem modum, quo ad virtutis cultum, & ad maiora quis promovetur, comprehendit. Eâdem phrasi vtitur Apostolus, dum monet Romanos ad mutuam concordiam conservandam prodesse animorum consociationem, suadetque οἰκοδομήν, Ædificationem. *Quæ pacis* (inquit) *sunt, sectemur, & quæ Ædificationis sunt in inuicem custodiamus.* Roman. XIV. 19. id est, quibus proficiamus, & vltro citróque ad virtutis studium promoveamur. Et alibi scribens ad eosdem: *Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad Ædificationem.* Rom. XV. 2. Quomodo ad ædificationem? nempe, verbo & exemplo adferens spiritualem aliquam vtilitatem. Non placeat vt laqueum sibi illíque tendat in interitum: non placeat, vt occasionem peccandi illi offerat: non placeat in destructionem, vt sit scandalo, vt in malo confirmet, vt perdat, quem lucrari oportuit, sed in bonum, *ad Ædificationem.* Simpliciter placere hominibus Christianus nemo debet, cum sit scriptum. *Qui hominibus placent, confusi sunt quoniam* DEVS *spreuit eos,* Psal. LII. 6. placere autem oportet in bonum, ad *Ædificationem.* Quo insinuatur etiam, proximo non quæcunque bona quomodocunque optanda esse, sed quæ valeant ad gratiam & gloriam consequendam: hoc est, ad *Ædificationem.* Ad quod non est satis, vt obseruat ibi Theophylactus, proximo placere in bonum quomodocunque, sed oportet, vt apta congruentique ratione, opportuno item tempore, studeamus illi prodesse, & nullo modo obesse in rebus ad æternam salutem spectantibus.

QVONIAM autem Architecti Christiani est, ita ad opus suum, quod est *Ædificare*, attentum esse, vt ab ijs abstineat, quæ impedimento esse possunt; hinc quicquid ad Ædificationem non spectat, illi omittendum est, quale quale tandem illud sit. Hoc erat Pauli decretum

cretum ac dogma, quod exemplo omnibus persuadere conabatur, sæpe illud habens in ore, cum abstineret ab alio: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, 1. ad Corinth. VI. *Omnia mihi licent, sed non omnia Ædificant.* 1. ad Corint. X. Quibus vt notauit S. Chrysostomus, monebat spectandum esse, vtrum ea, quæ alioqui licent, expediant, & *Ædificent*: expediant ipsi, qui agit: *Ædificent* proximos. Quæ nimirũ ipse spectabat semper, verbo & exemplo docens, à licitis interdum abstinendum esse, vt saluti proximorum, & Ædificationi cønsulatur. Sunt enim non pauca, quæ si per se spectentur, vt à singularibus conditionibus avulsa, nihil habent, vnde reprehendi possint, adiuncta tamen conditione illa, Quod non ædificent, ne licite quidem possunt fieri. Præclarum pro Architectis Christianis documentum, & ad actionem revocandum. Quod si fieret ab omnibus semper, nulla orirentur in populo Christiano scandala. Licet tibi interdum hilarius agere, facerè quidpiam in aliorum consortio proferre, lepores grauibus dictis immiscere: licet post morbum, genio paullulum indulgere: licet ob valetudinem conseruandam lautius & sumptuosius victitare. Sed animadvertis, exemplo te tuo, multis exorbitandi occasionem daturum. Si Paulum, sapientem Architectum imitari volueris, abstinebis, & dices: *Omnia mihi licent, sed non omnia Ædificant.* Cùm te heri ego vidi, clara luce, spectantibus socijs, per plateam illam volitantem, quam omnes sciunt non nisi à lasciuientibus obsideri: cùm haud ita pridem, in frequentissima vrbis regione, longos cum extranea sermones miscere, & cachinnari conspicerem, & mecum admirabundi plures alij, non absque scandalo à te dato, si Architectonicam Christianam didicisses, veniisset tibi in mentem Magistri effatum: *Omnia mihi licent, sed non omnia Ædificant.* Verè non *Ædificant*, Adolescen-

lescentes mei, longæ cum mulieribus in propatulo sermocinationes, risus, mimicæ gesticulationes. Non ædificant curiosi in templo oculorum iactus, corporum in subiecta scamna mollis, & desidiosa nimis prostratio, unius poplitis in terram inclinatio: multo minus, fabulæ, immodestia, circumcursatio. Non ædificant, ab Amatore Sapientiæ, & virtutis studioso, vt haberi vis, prolata verba scurrilia, vana, ociosa: multo minus, inhonesta, prætextata, fescennina, fæda, Christianis auribus indigna. Quæso vos, ad Architectonicum illum Canonem actiones alioqui non malas exigite: *Omnia mihi licent, sed non omnia Ædificant*: & quæcunque agitis, ad *Ædificationem* à vobis fiant: vt loquitur Paulus Apostolus.

Qvi acceperat hanc metaphoram à Petro, alijsque Apostolis, & hi à Magistro suo Christo, qui primus illam vsurpauit, dum apud Matthæum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (*Matth. xvi.* 18.) Hinc factum, vt voces, *Ædificandi*, & *Ædificationis*, usu Ecclesiastico significent spirituale quoddam incrementum, ex doctrina, exemplo, mutuisque adhortationibus. Sic sæpe occurrit apud spiritualium rerum Scriptores: *Verbum Ædificationis*: dare bonam ædificationem, esse hominem Ædificationis vel *Ædificativum*, quæ significant virtute præditum, cultorem perfectionis disciplinæ Christianæ, denique *Architectum*, divinæ cujusdam fabricæ, quæ doctrina sana bonisque exemplis constructur. Quare horum æquè ac illius habita est semper magna ratio à Viris Religiosis, qui maximè profitentur *Ædificationem Spiritualem*. Et quidem S. Ignatius, nostræ fundator Domùs, vt narrat Nicolaus Orlandinus in historia Societatis, *lib. xvi. n.* 121. idcirco, non modò voluit à suis seruari diligenter certa modestiæ exterioris præ-

cepta

cepta, sed etiam in suscipiendis diuini servitii caussis circumspectionem requirebat maximam, quod hoc exigat *Ædificatio proximi*. Dicebat idem, in Societate hominum genera duo esse: vnum eorum, qui extruerent solùm, alterum eorum, qui inter extruendum simul destruerent. Primum sibi genus probari: & hos esse, qui studio atque Zelo vtuntur considerato, prouidentes, ne quam damni caussam non modo re, sed ne specie quidem dent, ne-ve ij offendantur, qui si adversarii fiant, possunt nostrum in divino obsequio, & salutis publicæ studio impedire cursum. Atque adeò quædam, quæ rectè alioqui fierent, omittenda censebat, non damni privati formidine, sed operum respectu potiorũ: quia sæpenumero dum parum cautè aliquid attẽtatur, nec illud efficitur, & mox multis aliis offjicitur. Ex quibus facilè constat, Sapientiæ Christianæ Amatorem, debere esse peritum cælestis cujusdam ARCHITECTVRÆ, qua omnia eius studia dirigantur. Nam vt verè dixit Doctor Bonaventura: (*Opusc. de Reductione Artium ad Theologiam*) *Fructus omnium scientiarum est, vt in omnibus* ÆDIFICETVR *fides, honorificetur* DEVS, *componantur mores, hauriantur consolationes, quæ sunt in unione Sponsi & Sponsæ.*

(o)

SERMO II.

STUDIOSUM LITTERARVM Artiumque liberalium, ac Virum litterarum debere esse in se Ædificatorem

DOMVS SAPIENTIÆ.

Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eum. Psalmo CXXVI. I.

Sapientia ædificavit sibi Domum. Proverb. IX. I.

ARTICULUS I.

FELIX ADPRECATIO

Et finis Sermonum Dominicalium de

ARCHITECTVRA CHRISTIANA

CONVENISTIS iterum Academici, & vos imprimis Adolescentes mihi percari in hoc non magis Artium ingenuarum, quàm virtutum Christianarum Gymnasio, ideoque veræ Sapientiæ Domo. Sit DEO Vni Trinoque honor & gloria, DEIPARÆ virgini, & Tutelaribus Divis, Patronis Optimis gratiarum actio. Convenistis, vt animadverto, sani corpore. Sit vobis, precor semper mens sana in corpore sano. Conveniſtis, ut spero, magnis ad studia Sapientiæ animis. Quæso vos, con-

continuate eadem non minore ſpiritu. Conveniſtis, ut confido, inflammatis proficiendi deſideriis: nunquam intepeſcant, id equidem deſidero. Conveniſtis, ut firmiter mihi perſuadeo, omnibus inſtructi ad Sapientiæ cultum præſidiis: nihil eorum deſit, toto anni decurſu. id expeto. Conveniſtis, de quo non ambigo, ut quæ comparabitis annuo ſtudiorum curriculo, imprimis ad DEI Opt. Max. honorem, tum ad ſalutem quoque veſtram impendatis, nunquam ab hoc ſcopo aberrantes. ita voveo. Ob hæc, & quæ his continentur plura, ſunt renovata paucis ante diebus, feliciter, ut me iuvat credere, Litterarum ſtudia, Grammaticæ, Poëſeos, Rhetorices, Philoſophiæ. Celebratus eſt, ut dicere ſoletis, *Aſcenſus.* Sit felix fauſtumque. Unum ſupereſt, ut reſtauretur æquè ferventer ſtudium Pietatis ac virtutum omnium, & vt reddatur Studioſus litterarum, Studioſus virtutum. Idcirco nos hic convenimus, & conveniemus porrò, diebus per annum dominicalibus. Vtinam! qui ardor eſt plerorumque ad novos novæ ſcholæ, ad quam ſunt promoti, libros, eundem huc conferant ad DEI cultum, & ſtudia pietatis, quæ hic promovere conabimur. Magiſtris ac profeſſoribus veſtris ea eſt demandata cura, ut vos efficiant, quantum in ipſis eſt, adoleſcentes doctos, doctos Grammaticos, Poëtas, Rhetores, doctos Philoſophos. Et, ſi vnquam aliàs, hoc anno in id conſpirarunt incredibili animorum affectu ardoreque, effectum quemadmodum ſpero in anni decurſu videbimus. Mihi vnica relicta eſt cura, nec aliam depoſco, ut vos faciam Adoleſcentes bonos, id eſt, virtutibus Chriſtianis excultos, & egregios, Grammaticos, Poëtas, Rhetores, Philoſophos. Huc ſemper collimabo. Si faciam vos bonos piosque Adoleſcentes, nihil deſiderabo amplius. Sed hic labor, hoc opus eſt.

LVBET autem orditi hoc annuarum mearum Commentationum initio ab accommodatissima tempori & instituto meo sententia Regis virtutum studiosissimi Davidis: *Nisi Dominus* ÆDIFICAVERIT Domum, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Siquidem hac dominica celebratur *Dedicatio Domus* DEI seu *Basilicæ Salvatoris*, de quâ, omisso Dominicæ officio, cantantur, recitanturque solemniter, quæ ad Templi inaugurationem consecrationemque spectant. Et constitui hoc anno, in Auditorum meorum fundo, (ita animam cuiusque vestrûm contemplor, & appello) exædificare novam quandam DOMVM, amplam, augustam, regiam, ex virtutibus, velut lapidibus. Præterea, docere quemlibet è vobis eandem in se practicè erigere, secundum omnes Architecturæ proportiones, symmetrias, regulas. Quod si factum fuerit, & erectâ pedetentim fabricâ, à vobis diligenter attendentibus, & audita ad vsum referentibus: me verò, dicente, docente & modum exædificandi commonstrante, nescio sanè quid ad perfectionem Adolescentis, Viri litterati, aut cujuslibet hominis Christiani possit desiderari. Est itaque vtilissima illa materia, & longè latèque diffusa. Quippe, quæ omnia Christianæ Religionis mysteria, virtutes omnes, omnia Evangelia. & in iis documenta quæ continentur, vniversa complectitur, in ordine ad vnam Domum in Anima fabricandam: aut ad transformandam Animam nova Architecturæ Christianæ metamorphosi in Domicilium Divinitatis.

(·.·)

AR-

ARTICVLVS II.

ANIMA HOMINIS JVSTI EST Domus, Basilica, Templum, *Et in eâ ædificatur Domus Dei.*

EST Anima sanctitate iustitiæ ornata, & virtutibus instructa pulcherrimum & sumptuosissimum, si quod vnquam alicubi extitit, aut etiamnum est in orbe terrarum vllibi Palatium. Palatium dico? immò Basilica, & Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii; Spiritus Sancti Regia. *Si quis diligit me*, inquiebat Christus Dominus, *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum. Et ad eum veniemus, & Mansionem apud eum faciemus*, Joannis XIV. *Noscitis*, Aiebat Paulus Apostolus, *quia Templum* DEI *estis & Spiritus sanctus habitat in vobis?* 1. ad Corinth. III. comminabatur idem: *Si quis Templum* DEI *violaverit, disperdet eum* DEUS, *Templum* DEI *Sanctum est, quod vos estis.* Denique assertiuè: *Vos estis Templum* DEI *vivi*, Secundæ ad Corinth. VI. Itaque Domus DEI. Quod non Corinthiis tantùm, sed Christianis omnibus, si sint, quales esse deberent, est dictum. De eâ autem, si de ullâ alia verissimum est Regis sanctissimi effatum: *Nisi Dominus* ædificaverit Domum, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Per DOMVM autem in eo versiculo intelligitur, *Primò*, sensu litterali, Templum Salomonis Ierosolymitanum, ex lapidibus extructum; & consequenter, quælibet Domus ad habitandum idonea. *Secundò*, sensu mystico, Ecclesia fidelium. *Tertiò*, eodem sensu, Anima hominis verè Christiani. *Quartò*, sensu tropologico, Ædificium ex virtutibus in Anima erectum. Nam quolibet sensu, DEI ÆDIFICATIO *sumus*, & *Templum*.

Pauli atteſtatione & loquendi modo (1. ad Corin. VIII. 9. 16. 17, cap. VI. 19.) quo conſtat, ad officium tum Concionatoris induſtrii tum Auditoris attenti ſpectare eam domum extruere.

CERTE, is miſſus ad prædicationem Euangelii, optimus Concionator, dicebat ſe poteſtatem à Domino accepiſſe in *Ædificationem*, hoc eſt, ad *Ædificandum*, 1. ad Corinthios tertio decimo; nominans ſe *Architectum* ſapientem, 1. ad Corinth. tertio. Nam poſuit DEVS in Eccleſiâ Paſtores, Doctoresque ad *Ædificationem*, ad Epheſios IV. Monet autem idem Apoſtolus, quod ad Auditores pertinet, vt *Ædificemus alterutrum*, primæ ad Teſſalonicenſes v. *Vt quæ* Ædificationis ſunt *Invicem cuſtodiamus*, ad Romanos XIV. *Vt vnusquisq; placeat proximo ſuo in bonum ad Ædificationem*, ad Roman. XV. Vt intelligamus nos *coædificari*, veluti *lapides viuos*, (1. *Petri* 2. 5. 2. *Pet.* 6. 16. 1. *Corinth.* 3. 16.) denique, *vt omnia ad* Ædificationem fiant. 1. ad Corinth. XIV. Sic enim Domus DEI in nobis & proximis noſtris ædificabitur. Felices Vos, ſi ut *Sapientiæ*, cuius ea eſt *Domus*, operam dare cæpiſtis, quilibet in ſuâ claſſe, quilibet pro ſuo modulo, quilibet ſecundum gratiam ſibi cælitus communicatam; ita ab hodierno die, magno animo, iunctis viribus, ardore inflammato, verbis & exemplis *Ædificare* incipiatis *Domum Sanctitatis*, quam inhabitet Sanctus Sanctorum, & vobiſcum jugiter commoretur.

* * *

AR-

ARTICVLVS III.

DEI PRINCIPIS ARCHITECTI

Ædificatio necessaria est, ad extruendum in Animâ Domum Sapientiæ, & Virtutum.

VERUMENIMVERO' non excidat vnquam magni Regis effatum illud: *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*: ac proinde quilibet sibi persuadeat, non posse ullum mortalium in anima vel suâ, vel alterius, ædificare Domum DEI, quæ fundatur credendo, sperando erigitur, proficitur diligendo, ut pronunciat Augustinus *Serm. XII. de ver. Apost.* absque illo, qui primarius est *Architectus*, & qui ædificat principaliter Ecclesiam Christus. Matthæi XVI. Et sine quo nihil possumus, Joannis V. ne cogitare quidem; cum omnia sufficientia ab illo sit, secundæ ad Corinth. tertio. Hanc Domum, inquit idem Augustinus: *lib. XVII. de Civi. Cap. 12.* nos *Ædificare*, benè vivendo, & DEVM, *ut benè vivamus, opitulando.* Origenes quoque *lib. III. Periarch. cap. II. & in Epist. ad Rom. cap. 9.* seriò monet scire debere homines, quod quæcunque *Ædificantur* sine DEO, vanè ædificari, & in omnibus, quæ benè *Ædificantur*, DEUM auctorem esse: non idcirco tamen debere fideles ab ædificando cessare.

EST autem *Domus* DEI, quam ædificat, & per se, & nobiscum DEUS, tam ampla, ut Innocentius Papa III. *Sermone secundo de Communi Apostol.* explicans istum versiculum Psalmi. CXXVI. nominet *Civitatem* Regis Regum, quam distinguit in *Cælestem* Ecclesiæ triumphantium, *Terrestrem* Militantium, *Spiritualem* Animæ fidelis, & *Corporalem* miserabilis Jerosolymæ: multaque habet, de fundamento, muris, turribus, propugnaculis, portis ad Architecturam spectantia, quæ suo loco, in tempore considerabimus.

ARTICULUS IV.

SERMO DE ÆDIFICATIONE

Domus Sapientiæ quomodo sit futurus fructuosus.

SERMONIS hujus de ædificando in se Domum DEI quæ eadem est Sapientiæ, fructus erit multiplex; imprimis si Adolescentes, quæ audiverunt, ad mentem sæpius referant, & ad manum, sive ad usum: nam quæcumque dicta sunt, utilia iis erunt, si ad usum referantur, sicut gladius, si è vagina educatur, cum illius est usus, ac usurpetur. Deinde, si vt renovarunt studia litterarum, ita restaurent Virtutum, ac Pietatis Christianæ. Præterea, si, quo sunt adfectu, & ardore ad novos novæ Scholæ labores, eundem indefessi conferant ad cultum diuinum studiumque. Denique si eo tendant omnes ut Animam quisque suam transformet in Templum DEI vivi, ac Domum Sapientiæ. Quod fiet, si in eâ fabricam erexerit, non minus Virtutum, quam Scientiarum: nam ex iis constat *Domus Sapientiæ.* Quod cum non sit opus humanarum viriũ: nam, *Nisi Dominus* Ædificaverit *hanc* Domum, *frustra laborant, qui ædificant eam*: advocandus est in auxilium Princeps Architectus, DEUS, seu *Sapientia Æterna:* invocandus non tantùm semel, sed sæpissimè: non solùm initio studiorum, sed etiam in medio ac fine; non tantummodò mane, sed & meridie, ac vesperi: invocandus interdiu ac nocte. Advocatur autem, & si debitè advocetur, propitius advenit, & opus inchoat, ac consummat: advocatur, dico clarissimè, ac simplicissimè, Oratione, Confessione, & Communione sacrâ.

Quæ si à vobis frequentata fuerint, vt oportet, addico, & vobis spondeo, tum hoc studiorum initio, tum toti-

totius anni decursu favorem Omnipotentis. Qui benedicat vobis, quod enixissimè precor *benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum*; benedictionibus ignis, benedictionibus aëris, benedictionibus aquæ, benedictionibus terræ, benedictionibus corporis, benedictionibus animi. Ut sitis benedicti totaliter in omnibus membris, sensibus, potentiis: benedicti in oculis, auribus, naribus, manibus, lingua: benedicti in intellectu, benedicti in voluntate, benedicti in memoria: benedicti ubique, benedicti domi, benedicti foris, Benedicti in museo, benedicti in scholis, benedicti in templo. Benedicti in officiis omnibus & actionibus, benedicti in addiscendis lectionibus, benedicti in scriptionib⁹, benedicti in disputationibus: benedicti in excogitando, benedicti in perorando, benedicti in agendo: denique, benedicti in principio, benedicti in medio, benedicti in fine. Ter benedicti, & pleni benedictionibus Dei Patris & Filii & Spiritus - Sancti.

Amen.

SERMO

SERMO III.

SODALIS B. MARIÆ VIRGINIS

QUALIS ET CUJUS-NAM DOMUS Ædificator esse debeat.

Sapientia ædificavit sibi Domum. Proverb. IX. I.

Ædificate, alterutrum, sicut & facitis.
Ad Thessalon. V. II.

Ad Sodales Marianos.

ARTICULUS I.

B. MARIÆ V.

SODALIS PARTHENIUS

Sit oportet Architectus & Ædificator.

CONSILIUM mihi est hoc anni ad occasum properantis, quod supereſt, modico; & per alterius exoriundi post mensem, decursum, pomeridianis istis in hoc Sodalitatis Marianæ congressibus, contemplari vobiscum, aut contemplandum exponere ornatissimum, & ad usus cujusque commodissimum Ædificium. Ad quod non lustrandum modò, sed etiam extruendum, vel illud ipsum in fundo vestro, si fortasse in eo non esset erecta ea fabrica, vel omninò ei geminum (nam & idem sæpius exædificari potest, vel simili-

millimum illi constrvi) vos excitare conabor. Ergo, dicit quispiam, nos Ædificatores facere cogitas, vel Architectos: quæ nomina, eorumque significata, non videntur convenire Sapientiæ alumnis, quales sunt, ac profitentur esse se SODALES MARIANI. Immò, eo ipso titulo instigor ad pertractandum argumentum istud: siquidem Ædificium designatum est DOMUS SAPIENTIÆ: & inter illustres titulos Sodalium Partheniorum est, esse Architectum, & Ædificatorem.

ÆDIFICATOREM, ajo, non *Porcilis*, pro grunnientibus, quale in se extruunt voluptatibus dediti carnalibus, in quibus, velut nefrendes, assiduè grunniunt Cupiditates obscænæ. Non *Caulæ* ovium; qualem in se constituunt homines, non benè simplices, sed malè stupidi, quibus ne mica quidem Sapientiæ, aut discretionis; & à prudentia acrimoniæ. Quos idcirco vocamus Oviculas, in Conciliis, capitulo, consistorio, Senatu, balantes semper, & ad quidlibet, nullo discrimine, amen, amen ingeminantes, cum nutu, præterea nihil. *Ædificatorem*, dico, non *foveæ*, pro vulpibus; qualem in se fodiunt, muniunt, & ambagibus perplexis fraudulentisque ædificant homines astuti, versipelles, vafri, panurgi, leoninæ, aut ovillæ vulpinam assuere soliti, alienorum avidi, & rapaces, suorum sordidi Euclliones, ac tenaces, quibuscum vulpinandum monet paræmia, & in astutiis malè astutos capiendos.

NON *Idolii*, seu fani idolorum, quale est illorum Anima, in quâ per complacentiam, morosamque delectationem, adoratur Venus, Bacchus, Cupido, & tot falsa Numina, ut non habuerit plura ulla Respublica idololatrarum. Non *lupanaris*, quale est illorum interior Concupiscentia, quæ tot meretriculas, quibus adhæreat recipit, quot allicitur ad vetita carnis illecebris. Deniq; non *Turris Babel* æternæ confusionis. *Ædificatorem* tamen

tamen esse debere assero Sodalem Marianum. At qualem? S. Basilius in caput quintum Isaiæ, duplicem docet esse speciem Ædificandi, vnam bonam, ac laude dignam; alteram malam & damnandam: quare distinguit *Ædificatorem* in bonum & malum. Malum designavimus ab opere multiplici, sed adde: Non debere esse *Ædificatorem Caponæ*, ad quam divertant ebriosi, qui in consortium adsciscantur, nepotuli: non *stabuli*, in quo tumultuentur pecudes perturbationum: non *Popinæ*, ad quam convolent gulæ dediti: non *Tonstrinæ*, quam occupet Curiositas: non *Gurgustii*, in quo lateat lascivia: non *Armamentarii*, in quo dominetur furor: non rusticani *Mapalis*, aut *Tugurii*, vilibus & agrestibus apri incolis domicilii. Sed debere esse Ædificatorem bonum.

ARTICULUS II.

B. Mariæ V.
Sodalis Studiosus

Ædificator sit oportet amplissimi Palatii, augustissimæ regiæ, imperatorii habitaculi, basilicæ divinæ, nempe; Domus Sapientiæ, quam, vt singuli *ædificent* strenuè, vtinam persuadere possem omnibus. Nec alienum à se putent Sapientiæ candidati ejusdemque Clientes, quales nos omnes sumus, munus, aut opificium *Ædificandi*: Nam Domina Nostra, *Sapientia* ipsa *Ædificavit*, ipsa fundamentum posuit, ipsa parietes erexit; ipsa contignationes aptavit, & dispositi, ipsa conclavia distinxit ipsa substructionem in altum eduxit: ipsa Artificem & Architectricem egit; immò, Latomam, & Mutariam: hæc enim omnia continentur breui illa sententia, *Sapientia Ædi-*

DIFICAVIT *Sibi Domum:* ne nobis indecorum putemus, aut nobilitate nostrâ, qui Sapientiæ operam damus, indignum, ÆDIFICARE. Quod quidem est adeò consentaneum rationibus, muneribusque Sodalium, ut ij, peculiari quodam nomine, aut epitheto, minus quidem Latinè, sed in Ecclesiâ Christiana per quam vsitato, dicantur *Ædificatiui*, aut Viri *Ædificationis*. Phrasi S. Pauli Apostoli, qui eximiè pios Thessalonicenses hortabatur, quod initio præfabar.

ÆDIFICATE *alterutrum.* Quid est, *Ædificate alterutrum*? Græcè εἷς τὸν ἕνα, id est unus unum, alius alium, seu vos mutuo, invicem. Haud dubiè est metaphora desumpta ab Ædificatoribus. Quemadmodum enim qui murum ædificat, eumque sensim erigit, & attollit, lapidem lapidi jungendo, & deinde cum plures fuerint, tectum imponit, sicque domum perficit: ita qui in Anima suâ unam virtutem alteri copulat, & imponit, qui fidem, spem, caritatem, prudentiam, justitiam fortitudinem, temperantiam, & his adnexas virtutes conjungit, ædificium quoddam honestatis ac religionis extruit. Qui verò Christianè vivendo, suâ sobrietate, modestia, lenitate, patientia, devotione proximum erigit & excitat, is eum ad similia incitando, *Ædificare* dicitur: nimirum, ut in ipso fiat Domus, immò, ut ipse fiat Domus, & Templum sanctum Augustumque, in quo inhabitet, & colatur Dominus. Ne dicas, inquit Theophylactus, locum illum Pauli exponens: non sum Doctor, non sum Magister in artibus, non sum Præceptor rudium: addamus nos: Non sum Ecclesiasticus, non Concionator, non Religiosus: alios docere, & ædificare non teneor. falleris, ac temet ipsum decipis: Doctores, Magistri, Religiosi, non sufficiunt ad singulorum & omnium admonitionem, doctrinam, exemplum; sed vult DEUS. quemcumque alium instruere se, ac proximum, & ÆDIFICARE.

Vult

VULT Superiorem, sive politicum, sive Ecclesiasticum, Ædificare subditos, religione erga DEUM, commiseratione erga afflictos, liberalitate erga pauperes, affabilitate erga omnes. Vult subditum *Ædificare* Magistratum, obedientia legum, veneratione superiorum, amore concivium, ac quorumcunque æqualium. Vult Patrem familias *Ædificare* domesticos, verbo, & exemplo: Verbo instructionis benè instituendo, monendo, arguendo consolando, reprehendendo: exemplo vigilantiæ, sobrietatis, continentiæ, mansuetudinis, pietatis. Vult Filium familias *Ædificare* fratres, ac sorores, amore, ne dicatur: fratrum quoque gratia rara est in domo illâ; obsequendi promptitudine, modestia. Vult studiosum litterarum *Ædificare* Socios, vigilantia, diligentia, laborandi assiduitate. Uult Medicum *Ædificare* ægros, indefessa curâ, humanitate, longanimitate. Vult Jurisperitum *Ædificare* opis indigos suæ, accurata causæ discussione, Juris sincera declaratione, injustitiæ demonstratione, denique pauperum patrocinio. Vult Judicem *Ædificare* reos & actores, depositione affectus proprii, sententiæ æquitate, supplicii diminutione potius, quàm exaggeratione. Vult Principem Ecclesiasticum *Ædificare* suos Clericos, reprehensione ad emendationem, devotione ad sanctitatem, exemplo ad omnem virtutem statui clericali convenientem. TALIS fuit ÆDIFICATOR S. ANNO Colonienſis Archiepiscopus, cujus festum colit hoc tempore Colonienſis Ecclesia. De quo tria sunt in hoc genere imitatione digna. *Primum*, reprehensio gravis & efficax Clerici, quem animadvertens in Trini Numinis glorificatione, quæ psalmis in choro subjungitur, Filii personam omittere, nil moratus eum corripuit: & sequuta mox est emendatio *Secundum*, deuotio peculiaris erga Sanctissimam TRINITATEM & DEIPARAM;

RAM, cujus erat studiosissimus Sodalitatis Marianæ institutor & conservator Ejus patrocinio utendum, nitendumque esse prædicabat; &, vt facerent ii, quibus præerat, frequenter admonebat. *Tertium*, virtutum Principi Ecclesiastico maximè convenientium exercitatio: nam revera ANNO Archiepiscopus omnium Pastoralium virtutum laude, imprimisque, solicitudinis, zeli, religionis, benignitatis & misericordiæ enituit, PRINCEPS, si quis alius, ÆDIFICATIVVS.

QUI sibi commissos monendo, & exstimulando ad altiora, vsurpabat haud dubiè illud Apostoli: *Ædificate alterutrum*; Clericus Clericum, Aulicus Aulicum, Sodalis Sodalem, professione cultus Mariani, exactâ mandatorum Dei obseruatione, consiliorum Euangelicorum spontanea susceptione, Sacramentorum frequẽtatione, pietatis, humanitatisque, inter se ac cum alijs officijs. Fortasse bonus Pastor adiungere potuit de suis Colonienſibus, quod subdit feruens Zelator, amatorque gregis Paulus de suis Thessalonicensibus, eos commendans ab hac metaphoricâ Domus Sapientię ædificatione: *Sicut & facitis.* Vtinam de nobis idem posset usurpari! Sed si non fecimus hactenus, emendemus in melius, quod vel ignorantes, vel negligentes peccauimus.

ARTICVLVS III.

CARITAS ÆDIFICAT.

Per quam Ædificator constituitur

SODALIS MARIANUS.

FREQUENTER ab Architecturâ petitâ metaphorâ utitur Doctor Gentium, ut exstimulet fideles. & inter illos potissimùm DEO peculiariter caros, quales sunt, si nomini suo respondeant, *Parthenii Sodales*, ad

Ædificationem illam figuratam, & doceat, quàm sit proprium Christianorum ad perfectionem virtutis magnis passibus tendentium, esse *Ædificantes*. In priore epistolâ ad Corinthios cap. VIII. *Scientia*, inquit, *inflat*: *Caritas verò* ÆDIFICAT. Ubi Apostolus ex intima Theologiâ Christi, in quâ erat versatissimus, videtur respondere ad quoddam quæsitum, quod alicui in hac re difficultatem parere posset. Satiùs-ne sit in Republicâ Christianâ, *Doctorem* esse scientiâ instructum variâ, an *Ædificatorem* Architecturæ peritum? Respondet autem assertivè, quod sit melius, excellentius, utilius, esse *Ædificatorem*, quàm *Doctorem*. Quod probat implicitè ex utriusque formâ, à quâ rei cujusque sumitur natura & excellentia. Siquidem forma, quæ Doctorem verè constituit est *Scientia*: nam promotio, sive inauguratio, quâ conferuntur Doctoris insignia, Doctorem realem non facit, sed verbalem, aut titularem, nominalemque, & inanem, si scientiâ careat. Ut ars fabrilis fabrum, pictoria pictorem, sculptoria sculptorem, ita scientia, sive doctrina facit Doctorem.

QUID autem efficit *Ædificatorem*? Caritas. Quænam autem ex duabus istis formis excellit? Id desumendum indicat Paulus, ex effectu utriusque. Quis est effectus Scientiæ sine caritate? *Scientia*, inquit, *inflat*: id est, facit, ut quis superbiat, ut se ipse extollat, ut alios, quos pro ignorantibus habet, despiciat, ut ingrediatur, instar follis ventodistenti. HOC enim innuit vox Græc. Φυσιοῖ. Talis est ventosa Scientia. Hinc superbus Diabolus dictus est δαίμων, quasi δαήμων, id est, doctus, apritus, sciens, inquit Plato in Cratylo. Superbum ergo facit ventosa *Scientia*, ait Apostoli interpres S. Anselmus, *Nisi Caritate temperetur*. At Caritatis effectus est, quod *Ædificet*, id est, ignorantes instruat, rudes in pietate, omnique alia virtute promoveat: quod de se modeste

destè sentiat, nemini se arroganter præferat, quamvis major sit multis, aut omnibus, genere, dignitate, ingenio, sapientiâ. Quod est multo præstantius, quàm eximia multarum rerum præditum esse scientiâ. Itaque satius est, magisque optandum in Republicâ Christianâ *Ædificatorem* esse, quàm Scientiarum variarum *Doctorem*.

ARTICULUS IV.

ACTIONES ARCHITECTONICÆ,

Sint oportet cujuslibet Christiani, & multo magis

SODALIS PARTHENICI.

ALIBI Apostolus, ut *Sapiens Architectus*, vel insinuat, vel clarè edicit, omnes actiones hominis Christiani debere esse *Architectonicas*, seu *Ædificativas* & se quidem ad hanc normam exminasse operationes quascumque cum dubitatio incideret, faciendum-ne sibi aliquid esset, an sequus? Illustris est in hanc rem sententia 1. ad Corinthios x. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia* ÆDIFICANT. Loquebatur de ijs, quæ adjaphora, sive indifferentia sunt, non per se mala: vt comedere. bibere, ambulare; ludere: quale erat etiam eo tempore, vesci idolothytis, non quasi Sacris, aut idolo immolatis carnibus sed quasi communibus cibis. Itaque dicit Apostolus, Ego, qui scio, illud peccatum non esse, & nullâ lege prohiberi carnium illarum comestionem, bonâ conscientiâ iis vesci possem. Sed si viderent id iguorantes, infirmi in fide, scrupulosi scandalizarentur, certè, non ædificarentur: ideo mihi abstinendum est; quia sum arte *Architectus*, officio *Ædificator*, quâ Christianus, cujus omnia dicta & facta debent esse *Ædificatoria*.

QUAM frequenter dicendum esset Sapientiæ Cultori-

toribus & DE PARÆ Sodalibus: *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant?* & consequenter abstinendum [à] multis, alioquin haud vetitis, quando in his illisque circumstantiis non *ædificant*. Agatur exemplis. Ecclesiastici, quamvis aliquando excusatione legitimâ uti possint, cùm templum unde redditus habent, & pinguem mensam, statis temporibus non frequentant, tamen id non ædificat: sicut quod in Choro non cantent. Sed multo minus ædificat, in Choro fabulari, jocari, nugari, cachinnari, cum canibus ludere. Nequaquam ædificat, sed scandalizat gravissimè, sæpius in popinâ, aut symposiis reperiri, quàm in vesperis: attentius & frequentius Amadisium legere, quàm Breviarium; plures fæminas & focarias domi alere, quàm famulos. PATRIBUS FAMILIAS multa licent domi, sed non ædificant, si coram filiis & filiabus, ac domesticis aliis dicantur, vel agantur: atque idcirco, os continendum, manus frenandæ. MAGISTRATUI multa licent in cives: domino in servos: magistro in discipulos: parenti in filios. sed non ædificant; ea-propter omittenda. CLERICO licet ornare moderatè corpus. Sed volitare per plateas instar proci, aut sponsi, qui aliam sponsam quàm Ecclesiam suam ambire non debet, prodire cincinnatum, portare thoracem fenestratum, tibialia variegata, calceos rosulis ansatos, profectò non ædificat. Licet RUSTICO aliquid in corporis cultum expendere, sed curare sibi vestes, quæ sunt propriæ urbicorum, aut etiam aulicorum. Et civem ejusque filium vestiri ut nobilem, hunc ut principem, non ædificat, ideoque, ut moderatio adhibeatur curandum. Licet aliquando lautè excipere cognatos, amicos, hospites convivium instituere, dare epulum; sed illud apparari à mercatore, quamvis opulento, à Senatore, licet divite, à Doctore, quamquam locuplete, instar convivii Consularis,

Prin-

Principalis, Pontificalis, Cæsarei, sanè non ædificat: atque idcirco modus esset adhibendus. Qui cùm in aliis Germaniæ Rebuspublicis, tum in hac Catholicâ maximoperè optatur, quod leges sumptuariæ in vestitu, & convivandi ratione, vel nunquam videantur latæ, vel non-usu abolitæ, vel usu contrario antiquatæ, quorundam scandalo, sed ipsorum maximè, qui tales apparatus faciunt, detrimento.

Itaque, quamvis multa, immò, omnia adjaphora, liceant, non tamen omnia *Ædificant* Vnde pessima est consequentia in Dialecticâ Christianâ: Hoc illudve non est peccatum, aut lege divinâ humana-ve non est vetitum. Ergo mihi liberè dicendum, scribendum, agendum. Suntque ignari Ethices Evangelicæ, quæ nobilior est, quàm omnis Aristotelica, qui existimant Ecclesiastem, sive Concionatorem, tantummodò reprehendere debere ac agere contra eos, qui quæ per se mala sunt, committunt, quod si non sint peccata genere suo non debere attingere, aut prohibere. Quod est manifestè contra doctrinam Apostolicam: ex quâ habemus, Christianos non arcendos solum ab iis, quæ apertè sunt crimina, verùm ab omnibus iis, quæ non *Ædificant*. Quamvis enim illa, si in se spectentur, et, ut loquimur in Scholis, materialiter sumpta, non sint mala, ut criminis nomen mereantur, tamen per accidens ea vitanda sunt, & non licent, quia scandalum ingenerant. Atque, ut optimè dixit Clemens Alexandrinus: lib. 3. Stromat. *Qui faciunt quicquid licet, facile dilabuntur, vt faciant, quod non licet.* Neque hoc est conscientiam erroneam, auditoribus, pœnitentibusque suis ingenerare, ut putent esse peccatum, quod in se non est, tale; sed est, conscientiam ipsorum nimis laxam spaciosamque, vt plaustra etiam defectuum transmittant sine sensu, ad convenientes moderationis angustias redige-

re: sibi ut persuadeant, non quæ licent, sed quæ simul ædificant, posse securè absque conscientiæ remorsu perfici.

ARTICULUS V.

ACHITECTUS CHRISTIANUS.

Et Ædificator Sodalis, primùm in se tum in aliis

ÆDIFICAT.

HOc Evangelici Ædificatoris munus exigit, quod proprium est hominis Sapientiæ Christianæ dediti, qualis esse debet SODALIS Virginis DEIPARÆ. HIC semper oportet ædificet *Domum*, primùm in se, tum in aliis. Nam vt alios, vel in aliis, quispiam ædificet, requiritur, ut in se id primò faciat Posse autem quempiam Ædificare se, docet Paulus Apostolus in priore ad Corinthios XIV. cap. ubi disputans, quodnam Spiritus-sancti donum sit præferendum, *Prophetare*, id est, exponere Sacram-scripturam, docere arcana DEI, verba facere de cælestibus ac divinis, concionari ad mores instituendos idoneè? an *linguis loqui*, seu, habere donũ linguarum, ut in primitiva Ecclesiâ sępe contingebat, cùm multis linguis aliqui loquebantur, & psallebãt, cum multorum admiratione & Ecclesiæ gaudio. RESpondet autem ipse, Dono linguarum esse præferendam *Prophetiam* eo modo acceptam: quod hæc perutilis sit ad *Ædificationem* aliorum, quos edocet Propheta, Ecclesiastes, Concionator de rebus ad salutem spectantibus. Quare qui sic prophetat, Ecclesiam DEI *Ædificat*, inquit Apostolus. Qui autem *lingua loquitur*, quam nimirum alii non intelligunt, semet ipsum Ædificat, non instruit alios, non consolatur, non hortatur ad meliora.

UTRUM-

UTRUMQUE autē si jungatur perfectum facit *Ædificatorem*, qui imprimis se ædificat, facitque *Domum Sapientiæ*. contemplatione rerum cælestium, affectionibus piis, desideriis spiritualibus, internis pietatis actibus, exercitatione virtutum variarum, quas dum copulat caritate, haud secus ac lapides calce jungit, ut exurgat *Ædificium* DEO dignum habitaculum, seu regia Sapientiæ. Quam gravissimi Patres quidam dicunt (*a*) esse ipsam Animam hominis, secundum legem DEI sapientis, qualis est omnis Justus, sive DEO carus, quem titulum sibi meritò vendicat DEIPARÆ SODALIS omnis. Alii non Animam volunt esse illam Domum, sed in Anima, virtutem congeriem ritè dispositam, & Caritate conglutinatam suo cum fundamento, parietibus, contignationibus, conclavibus, tecto, ut suo tempore explicabitur. Utrumque veritati est consentaneum, & cum utroque sensu optimè cohæret, quod *Domus* illa, quam ædificando se Justus extruit, sit in ipso illo homine. Qui deinde *Ædificat* alios: & Verbis, quando loquendum, proferendo sermonem *Ædificationis*, ut loquuntur Magistri spirituales: & *Factis*, dum operandum faciendo omnia secundùm præscriptum rationis & prudentiæ, ad *Ædificationem*. Sic igitur quilibet virtutis perfectæ studiosus, piusque *Sodalis*, per Spiritus sancti, & Christi, qui est Sapientia Patris, gratiam, *Ædificat Domum*, vel Animam, vel in Anima, dum gratiæ cooperatur: tunc enim in ipso consurgit palatiū, regia templum virtutis & sanctitatis, in qua sanctissima TRINITAS mansionem suam habet, immò cænare non dedignatur. *Siquis audierit vocem meam, & apparuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum,*

(*a*) Athanas. Orat. contra Arianos & Disput contra Arium & Conc. Niceno. Chrysost. seu Auctor Operis imperf. homil. 29. in Matth. Bernard. ser. 3. de Advent. S. Bonav. sermone de ingressu in Sapient.

dicit humaniſſimus Dominus, Apocalypſis tertio, & apud Joannem cap. XIV. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

SUAVISSIME S. Bernardus, & huic Adventus tempori accommodatiſſimè (a) *Beatus apud quem manſionem facies Domine* JESU. *Beatus in quo Sapientia* Ædificat *ſibi* DOMUM, *excidens columnas ſeptem: Beata Anima, quæ Sedes eſt Sapientiæ. Quæ eſt illa? Anima utique Juſti.* Merito plane, quia Juſtitia & Judicium præparatio Sedis tuæ. *Quis in vobis eſt, Fratres, qui deſiderat in Anima ſua Sedem parare* CHRISTO? *Ecce, quæ-nam illi ſerica, quæ tapetia, quæ puluinaria oporteat præparari?* Juſtitia, *inquit*, & Judicium præparatio Sedis tuæ. *Juſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt, vnicuique tribuens. Tribue ergo tribus, quæ ſua ſunt. Redde Superiori, redde inferiori, redde æquali, quod debes cuique, & digne celebras Adventum* CHRISTI, *parans Ei in Juſtitia Sedem ſuam. Redde, inquam, reverentiam Prælato, & Obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis eſt.* Redde æquali conſilium, quo eget. Redde inferiori auxilium, quod expectat. Addo Judicium, *quo nos coram* DEO *iudicemus, ac humiliemus. Hæc planè eſt digna Sedis præparatio Domino Majeſtatis, ut & Juſtitiæ mandata ſtudeat quis obſervare, ſemper indignum ſe ſe & inutilem arbitretur.*

ITAQUE *Sodalis* quilibet, immò fidelis omnis Chriſtianus, pro ſuo quiſque ſtatu, ac conditione, ut officio ſatisfaciat ſuo, debet eſſe reipſa ÆDIFICATOR, ac in ſe aliisque extruere DOMUM SAPIENTIÆ. Quam ſi in in Anima veſtrâ ædificatam ornatamque invenerit, ad vos veniet, manſionemque apud vos faciet, quod vobis impenſiſſimè precor, JESUS Parvulus. Quem interim quotidie, ſemel, bis, ter advocate: O *Sapientia!* veni ad doceedum nos viam prudentiæ. O *Adonai!* veni ad redimendum nos in brachio extento. O *Radix Jeſſe!* ve-

ni

ni ad liberandum nos, iam noli tardare. O *Clauis David*! Veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & vmbra mortis. O *Oriens* splendor lucis æternæ! O *Sol* Justitiæ! veni & illumina sedentes in tenebris, & umbra mortis. O *Rex Gentium*: veni & salva hominem, quem de limo formasti. O EMMANUEL! veni ad salvandum nos : Domine DEUS Noster.

SERMO VI.

ANALOGIA MULTIPLEX

Inter Officia Architecti, & Amatoris Sapientiæ, Virtutumque Studiosi.

Sapientia ædificavit sibi Domum. Proverb. IX. 1.

Volens Turrim ædificare, prius sedens computat sumptus, qui necessari sunt. Lucæ XIV. 28.

ARTICULUS I.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS

Quis nam sit? Quis item Amator, Cultorq; Sapientiæ? Quis virtutum Studiosus?

SAPIENTIÆ Amator cultorque est, nostrâ descriptione, *Qui litterarum, doctrinæ-ue studium, virtutum exercitationi copulat.* vel, *Homo virtutum solidarum, & doctrinarum ornamentis excultus.* Nimirum, qui Pierati aut Religioni, seu virtutum Christianarum fundamento doctrinarum augustissimam Domum *Ædificando* imponit. Quid

hoc est aliud, quàm Amatorem cultoremque Sapientiæ esse *architectum Christianum*? Porrò, tam eum, qui veris solidisque virtutibus exornat Animam, quàm, qui litterarum exercita mentis eandem excolit, *Ædificare*, & illum quidem, ex virtutibus, tanquam lapide, ligno, calce, hunc verò ex variis scientiis Ædificium moliri & extruere demonstrabitur, quando de materia Architectonicæ Christianæ subjecta agetur, ex instituto. Nunc sat sit dixisse, Sapientiæ veræ Amatorem hoc conari, ut fundamentum ponat firmum ac immobile, *Fidem*: supra quod extollat bonorum operum *parietes*, ex totidem *virtutibus*, ceu quadris lapidibus coagmenratos, quos Caritatis cæmento jungat: est enim Caritas vinculum perfectionis, calx ædificii spiritualis: tectum tandem superponat *Spei*, quod cælo non minetur, ut nugantur profani de suis palatiis, sed Superis benè volentibus cælo inferatur. Atque hoc est primum Sapientis Ædificium. Alterum verò, Pietatem omnem, id est, cunctarum virtutum congeriem, tanquam saxum immobile, vice fundamenti, in imo habet, ex quo parietes adsurgunt ex omni Artium ingenuarum ac scientiarum genere. *Grammatica*, *Philosophia*, *Medicina*, *Jurisprudentia*, quæque hisce principalibus adnectuntur, tum aliis quoque Scientiarum subsidiariis facultatibus; quibus tectum imminet supra id omne, vnde ningit, pluit, fulgurat, elevatum, THEOLOGIA scientiarum Imperatrix, & re ac nomine SAPIENTIA.

HÆC est nominatissima in Sacris nostris DOMUS: duplex illa quidem, si inhabitandi spectetur commoditas, at ita intra unius Palatii limites constructa, ut videri una possit, & merito censeatur: ac proinde de utraque, tanquam de uno, ad usus omnes accommodato Ædificio, loquitur inter Architectos regios eximius Salomon: Prover. IX. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum*: excí-

excidit columnas septem. Dicamus nos per concrerum, Vir sapiens, seu Sapientiæ Amator & Cultor Domum extruit, ac peristylio septē columnarū cinxit, ornavitq;. Quod utrum ad virtutum septem capitalium, aut totidem scientiarum vel Artium liberalium propylæum referendum sit, suo loco videro, cum ea de re instituetur dissertatio : hic sat habeam adnotasse Sapientem *Ædificare*, id est, esse Architectum, ex officii proprii cum Architecti munere convenientiâ.

ARTICVLVS II.

FUGA TEMERITATIS.

Ut Sapientis Architecti, ita virtutum Studiosi est, haud temerè opus arduum aggredi.

PRIMUM quod in Sapientiæ virtutumque cultore optatur, est, ut à temeritate eligendi sit alienus, nihil nisi maturâ deliberatione, & præparatione debitâ præmissâ inceptet, nihil temerè leviterque aggrediatur, cautè ac providè, quæ opus, quod sibi proponit, remorari possent aut impedire, præmeditetur, & expendat singula. Quod cùm Christus Dominus commendatum vellet, monuit auditores suos, ut imitentur Architectos, & sint revera tales. Sed duplex est eorum genus, unum fatuum, alterum sapiens. Iners & fatuus Architectus, volens eligere fabricam, formata confusè in cerebro ideâ, ac si tam facilè res fieret, quàm fingitur; postquam vidit lapidum aliquem cumulum, opus inchoare non dubitat: conducit operas, præscribit agendi modum, neque amplius de necessariis ad erigendam non exiguam molem cogitat, omnia ex vnâ lapidum congerie educi posse sibi persuadere videtur: hinc jacto fundamento, & in spithamæ altitudinem erecto pariete, deficiēte materiâ ac pecunia desistere cogitur. Sapiens

ens verò, antequam manum admoveat, impendiorum sumptuumq; tabulas conficit, considerat attentè quid præstare possit, vnde, quod non potest ipse, accipere valeat; vires facultatesque suas metitur; nec altius domum, quàm marsupium patiatur, erigere proponit: sicque feliciter, quod destinaverat, ad exitum tandem perducit.

TALEM debere esse Architectum, Sapientiæ cultorem, cælestis magister Christus accommodata ad rem parabolâ docuit, sic disserens: Lucæ XIV. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam. non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens Turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt ad perficiendum:* seu, ut est in Græco τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν omnia, quæ ad perfectionem, seu consummationem, scilicet Turris, ita ut nihil omninò desit, requiruntur. Quasi dicat, Discipuli mei, monui vos aliquoties seriò, ut si me sequi velitis, patrem, matrem, & omnem consanguinitatem, immò, vitam vestram, non plus, sed minus, quam me ametis, quod est sanctè odisse: voluntatem vestram abnegetis, judicium vestrum meo subdatis, CRUCEM opprobriorum & persequutionum bajuletis. Hæc non sunt facilia profectò, ut experimento discetis. Quocirca memineritis, vos esse debere Architectos, ad ædificandam Turrim perfectionis Evangelicæ destinatos. Est autem sapientis Architecti, rem tantam haud temerè aggredi, sed diu multumque considerare, num possit necessariis sumptibus sufficere. Quod ni fiat, ludibrio se exponit transeuntibus, qui inchoatum cernentes ædificium Architecto fatuitatem exprobrant.

SED de hujus Parabolæ arcanis, tunc differetur uberius, quum Religiosum peculiariter esse debere Architectum Christianum docebimus. Modò illud solum-

modo

modò subnectimus: Quemlibet, ut litterarum studiis, & adquisitioni virtutis, & maximè perfectioni Evangelicæ det initium, cui profectus, ac consummatio respondeat, esse debere, ex Sapientiæ præscripto, Architectum minimè fatuum. Non oportere opus inchoare incõsideratè, casu, temere, sed certâ animi destinatione, præmissis virium experimentis, naturæ exploratogenio, inclinatione mentis perpensa, pertentato, facultatum interiorum & exteriorum subsidio. Plurimum enim refert, immò, omninò est necessarium, hæc & his gemina perspecta habere, antequam alicui disciplinæ, cui operam dabis, & in qua consenescere cogitas, te consecres. Contra quod graviter peccatur à nonnullis rerum inexpertis, qui decursis in Gymnasio artium, litterarum spaciis, arrepto vitæ melioris proposito, sumpto etiam nonnunquam vitæ religiosæ indumento, vel nullos in litteris, virtutumque studio progressus faciunt, vel non multo post quàm ferventer inceperunt, intepescunt, sæpe etiam inchoata deserunt, & in media ædificatione desistunt, cum intuentium ludibrio, & vitæ totius dedecore. Quæ caussa? temerè suscepta Ædificatio. Non omnes ex hominum genere apti sunt ad litteras addiscendas: ad stivam & aratrum quidam facti fictique, qui agricultores essent optimi: nonnulli ad artes serviles. & mechanicas videntur nati, nulla novercantis naturæ injustitiâ, sed Dei, patris universalis, & ubique optimi providentiâ, qui ita universo consultum voluit. quid inepti nos, & divinorum ignari consiliorum conquerimur, non sine noxâ? Isti autem præclari essent in suâ tribu, sartores, sutores, cerdones: in litterarum studio vix sunt numerus: ideoque explorandum prius fuisset ingenium, spectanda indoles, attendenda in puero, ad hæc, vel illa peculiaris habilitas.

Similis est ratio in virtutum cultu, ad quem omnes

sunt

sunt idonei. fateor. Sed non omnes ad eundem culturæ modum. Hinc tot à Sapientissimo rerum Moderatore in Ecclesiâ, vivendi, virtutemque exercendi, sunt apertæ scholæ, tot constituta bonorum contubernia, Religiosorum familiæ, Ecclesiasticorum cætus, & status secularium; ut naturæ cujusque gratiæque divinæ consentanei eligantur. Hoc si negligatur, malorum deinde subsequentium est origo. Multos ad salutem sempiternam perventuros fuisse nullus dubito, si deserto seculo, in quo sine ulla, destatu vitæ deliberatione, sibi degendum proposuerunt, ad Ecclesiasticorum ordinem se contulissent: plures, si inter Ecceleſiasticos Religiosi esse voluissent. Nec tamen omnis Religio omnibus est conveniens. Magna est naturarum, complexionum, studiorumque diversitas: varia Religionum diversarum munia, ad quæ non omnes sunt idonei. Agamus paullo familiarius. Optimus, ô Tite, esses Carthusianus, solitudinis amans, ad silentium proclivis, à contemplationibus non abhorrens, natura subtristi, alienus à consortio multotum, & conversatione civili, ingenio mediocri, memoriâ vulgari, judicio tenui, pisculentis assuetus. Quid ad alium Ordinem religiosum aspiras, ubi multæ aliæ, & nonnullæ contrariæ requiruntur dotes? Tibi ô Timothee, ut fias *Capucinus*, plane erit consultum: ad severiora te DEVS vocat: natura favet, sunt vires corporis, adest animus, placet austeritas, sacer ille horror, & saccus: linguam habes, quam ad DEI honorem, & animarum salutem, ut gladium & rhomphæam bis acutam exeres. quid moraris ? quid molliorem eligis statum? vide ne te tandem cæpti pœniteat.

UELLES, ô Damiane Societatem JESU ingredi, in eâ vivere, & mori: applaudo. Sed vide, num signa in te deprehendas Religiosi Societatis: Monachum, ut ha-

habet vulgaris paræmia, non facit cappa & scapulare: nec Clericum Crux in pileo, aut talaris toga. Posses-ne tu cuicunque nullo scientiæ, prudentiæ, humanitatis intuitu, sed solummodo, quia est Superior legitimus, tanquam Christo, judicium æquè tuum ac voluntatem subdere? Posses-ne ad obedientiæ nutum per mare, per terras, per inhospitalem Caucasum, ad Garamantes, Indos, Iapones, non alio quàm bonæ spei viatico, unius animæ lucrandæ desiderio excurrere? Posses-ne vivus & sanus, cadaveris instar, aut scipionis in manu herili, verti, inverti, gyrari, nullâ datâ caussa, & sine refragandi murmurandique indicio. Velles-ne in Collegii habitaculum vilissimum amandari, ibidemque nulla mutationis spe datâ consistere? Velles-ne prompte pro Christi gloria contumelias quaslibet suscipere, inter Orbis quisquilias, pauperes agere? ægros, leprosos, elephantiacos, in nosocomiis, & gurgustiis, inter sceleratos in carceribus, triremibus, ergastulis; immò, sub patibulo in scalis, in catasta ad flammam, in ferali theatro cum carnifice? illiusque officii nullum in hac vita præmium expectare? Hæc & similia sexcenta, sunt Ordinis nostri insignia, & horum cupiditas est documētum, anquis ad hanc Sapientiæ classem sit idoneus. Cetera appendices sunt, & remotæ quædam conditiones, non simpliciter necessariæ, faciunt tamen aliquid ad benè esse, quemadmodum loquuntur Philosophi: ut excellens ingenium, exquisita doctrina, eruditio, & his gemina; sine quibus optimi esse possunt Religiosi in Societate Jesu, sine aliis superius indicatis nequaquam. Quæ quidem volenti cum divina gratia, & amanti sunt facilia: verbo solùm & specie terrent inexpertos: & sonitus ac umbra metuitur, ut larva à pueris, & è fistula bombus.

Quod de Religioso statu dictum: ad alia quoque transferendum est. Vis fieri Consiliarius Principis?

pis? Vide num tantum scientiæ prudentiæque tibi suppetat? Vis esse Judex, Proba, an à personarum acceptione sis alienus? num possis irrumpere iniquitatem virtute tua: *ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua* Eccl. VII. 6. Vis esse Doctor? attende, num præter libros habeas, quo titulum tueri possis: ne dicatur: *Salvete libri sine Doctore.* Denique sit universale ex Architectura enunciatum. Si vis Turrim ædificare, prius sedens computa sumptus, qui necessarii sunt, si habeas ad perficiendum: pertenta robur tum corporis, tum animi, an par futurus sis ferendis laboribus & periculis: nihil improvidè, nihil temere aggrediaris.

ARTICULUS III.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS

Sit oportet Auditor & Factor bonus Sapientiæ.

QUID magis proprium est Sapientiæ Christianæ Amatoris, quàm ut non solùm audiat Sapientiam docentem, sed etiam obaudiat præcipienti? non sit tantum Auditor verbi, sed & Factor? Est enim Sapientia Christiana non Theorica solùm, quæ nuda contemplatione contenta, sed practica etiam, quæ opus ipsum spectat. Quod omni Scientiæ morali convenire docuit Philosophus. Non erit autem unquam mandati exequutor, ut debet Sapientiæ cultor, nisi sit *Architectus*. Fallere me vos non sinit Æterna, cujus interpretem hic ago, Sapientia. Mecum sentietis sat scio, si in mentem vobis veniat monitio, quam Christus ad auditores suos habuit, Matthæi VII. Ut sibi caverent à falsorum Prophetarum impia doctrina & veritati, quàm ipse præ-

prædicabat, maximè contrariâ: ſuæ autem aurem animumque aduerterent. Monitionis iſtius fructuoſiſſimæ hic fuit epilogus. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam petram & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enumerat ſupra petram. Et omnis, qui audit veba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſupra arenam, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.*

Non diſputo hic, quod faciendum loco proprio, de quo ædificio hic Chriſtus agat? quis dicatur ſuper arenam, quis ſupra rupem petram-ve domum erigere? quomodo pluvia, ventus, flumina accipienda ſint, & quarum ſint rerum ſymbola? alia quoque hujus parabolæ emblemata non attingo: hoc ſolùm inde ſumo: Chriſti Domini ſenſu, neminem eſſe virtuti capeſſendæ, & ſcientiæ ſpirituali addiſcendæ idoneum, niſi Architectus & Ædificator fuerit: neminem in Chriſti diſciplinam poſſe recipi, niſi illo ſit inſignitus titulo. Addo, neminem ſalutem conſequi, niſi Architectum Chriſtianum. O Titulum ab omnibus expetendum! Nâm ſi ex Pauli pronunciato: *Non auditores legis, ſed factores iuſtificantur coram* DEO, ad Romanos ſecundo capite. Ex Chriſti autem doctrina illi ſunt factores legis, qui ſecundum Architecturæ regulam ædificant: nempe, ſupra Petram, quæ eſt Chriſtus, & eius fides, operum bonorum ædificium, quid eſt reliquum, niſi nulli, præterquam Architecto Chriſtiano, ad ſalùtem aditum patere?

ET ita ſanè ſe res habet. Multi verbum divinum, Sapientiæ præceptiones, & mandata ſummi Numinis audiunt ſciunt plerique, quid ex legum, ſive naturæ ſive

divinarum præscripto agere conveniret: non ignorant quas cujusque status, conditio, institutum, vivendi ratio sponte sua obligationes inducant. Nimirum, Adolescenti vivendum esse castè, piè, sobriè: Viro moderatè prudenter, justè: omnibus temperatè modestè, Christianè. Est-ne inter Christianos aliquis à puero enutritus inter bonos, qui conciones, & sacra mysteria frequentant, cui non sæpenumero auribus insonuit, sectandam esse sobrietatem, ab omni alienæ rei desiderio, nedum usurpatione esse abstinendum, operandam castimoniæ, pietatem ad omnia utilem esse, sine sanctitate neminem uisurum DEUM, cuilibet lethifero crimini pœnas respõdere sempiternas: peccare carnis esse, immunditiã, mollitiẽ, luxuriam, ebrietatem qui hæc similiaq; cõmittunt, regnũ DEI nõ possessuros.

Cur nihilominus tam multi laxant frena concupiscentiæ? cur non tam pauci seriò virtutem consectantur? Cur tantus ad inferos descendentium est numerus? Si ex Christi sententia sumendum est responsum, quam pauci sunt boni *Architecti*: *Auditores* multi, *Factores* vix ul

ARTICVLVS IV.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS

Esse debet Amator Sapientiæ, Virtutumq; cultor, ut prosit ali

AD Sapientem Christianum spectat, quàm quo maximè, ut non solum sibi prosit, sed aliis quoqu *Sic luceat lux vestra coronam hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*, inqu ebat Christus, cum ad Sapientiam suam auditores sen diret Matthæi xv. At prodesse alijs, siue verbo, sive em plo, nihil est aliud, quam bonum Arthitectum ag re, seu Ædificare proximum. Siquidem voces hæ Architectonicæ, ædificare, extruere, ædificationem dan

ædifi-

ædificativum esse, & similes loquendi formulæ, ut superius est demonstratum, usu Ecclesiastico significant spirituale emolumentum, quod proximo accedit, ex doctrina exemplisque ejus, qui ædificare dicitur.

Sic dum videmus adolescentem compositis moribus in plateâ aut fero oculis minimè vagum, in consortio reliquorum cum modestia affabilem, in risu non effusum, moderatum in verbis, ubique verecundum, dicimus est adolescens bonæ ædificationis. Si observamus virum maturitate gravem, nihil unquam proferentem noxium, petulans proboscum, sed semper, quæ sana quæ proba, quæ utilia loquentem, affirmamus, nihil ab eo proficisci, quod non sit ædificativum, Sacræscripturæ phrasibus congruenter. Sunt enim usitatæ in diuinis paginis ejusmodi formulæ, quibus docemur Sapientiæ veræ Amatorem Architectum esse debere Christianum.

ARTICULUS V.

ARCHITECTI CHRISTIANI FORMA

Est Sapientia Caritate animata.

VT Musica, sive ars canendi Musicum constituit, ita sit quædam oportet per se forma Christianum Architectum perficiens. Quæ-nam est illa? Hic tantùm indicanda est, explicanda alibi accuratius. Non est, mihi credite, vel ingenii naturalis subtilitas, vel tenacitas memoriæ, vel linguæ volubilitas, vel eloquentiæ amænitas. Sine his esse poterit *Architectus Christianus*. Neque hunc facit, aut Philosophiæ Aristotelicæ cognitio, aut Medicinæ peritia, aut notitia Iurisprudentiæ, aut Theologica perscrutatio: sic enim plurimi ex Architectorum albo expungerentur, qui in illo sunt præcipui. Non est etiam ad illam necessaria vel nobilitas generis, vel corporis pulchritudo, vel robur virium, vel opum copia.

Hæc nobilem, venustum, fortem, divitem, non *Architectum Christianum* faciunt. Quæ-nam ergo est Architecti nostri forma? verbo exprimam, SAPIENTIA. Nam forma Architecti est illa, quâ, tanquam arte, Domus ædificatur: *Sapientiâ* autem, inquit Salomon, *ædificabitur domus, & prudentiâ roborabitur*, Proverbiorũ XXIV. *Sapientia ædificavit sibi Domum*, Prov. IX. tum ut Architecturæ Magistra, tum ut Architectatrix, qua ædificaturquæ bona sunt omnia.

QVÆ est illa? quam depingit Jacobus Apostolus Epistola suâ capite 3. *quid desursum est* Sapietia, *primum quidem pudica est, deinde, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans: sine simulatione.* Ab hac Sapientia non distinguitur, certè, nunquam divellitur Caritas illa, quam ut formam Architecti prædicat Paulus Apostolus, dicens, *Scientia inflat, Caritas verò ædificat.* Ædificat Caritas? Ergo inhæret animo tanquam ars Architectonica in opifice, & Architectum facit. Ita equidem reor, & in superioribus est satis explicatum. Quare si vobis est animus in album eorum qui Christiani sunt Architecti, referri, & eam artem perfectè addiscere, quæ pereuntibus ceteris, æternam mentes vestras exornet, ad alteram vitam comitata, diligite DEUM & proximum, caritate quæ de sursum est. *Caritas* hæc *Ædificans* nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Amate delectissimi & perennate: nam reliqua

Omnia prætereunt præter AMARE DEUM.

(o)

SER-

SERMO V.

DOTES ARCHITECTI CHRISTIANI.

Ecce, vocavi ex nomine Beseleel, & impleui eum Spiritu DEI, *sapientiâ, & intelligentia, & scientia in omni opere.*
Exodi xxxi. 2. 3.

ARTICULUS I.

DEUS AUCTOR ARCHITECTURÆ

Quosdam sibi caros diligit, & designat, ad Architecturam Spiritualem, seu Christianam exercendam.

SI ornamenta omnia, quæ decent Sapientiæ cultorem, in unum conferantur, Architectum expriment qualem DEUS, pro augustissimâ quadam sua Domo, quam *Tabernaculum fœderis* dici voluit, delegit; ut meritò in Sapientiæ perfecto Amatore desiderem, quod in Architecto DEUS, immò ornatissimum Architectum esse debere enunciem. Architecti autem dotes universas brevi syllabo complexus est DEUS iis verbis, quibus abs se dotatum, ornatumque describit Beseleelem & Eoliabum Tabernaculi sui structores. Est is catalogus Exodi xxxi. Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Ecce vocavi ex nomine* Beseleel *filium* Uri, *filij Hur, de tribu Iuda: & implevi eum spiritu* DEI (hoc est) Spiritu meo. Loquitur enim DEUS, more Hebræo, de se, tanquam de aliquo tertio. sequitur: *Sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ, in omni opere* (nempe fabrili) *ad excogitandum quicquid fabrefieri potest, ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diversitate lignorum. Dedi quoque ei Socium* Ooliab *filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui Sapientiam, ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi.*

Quibus verbis Scientiarum Dominum, Architecti mores, peritiam, industriam ceterasq; partes, & ornamenta complexum esse præcipui auctores existimant.

OBSERVAT autem imprmis Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum. ex ea narratione deduci: omnes artes & Architecturam potissimum, DEVM auctorem agnoscere. *Quod a* DEO *sit*, inquit, *quæ arte fit & est sapiens cogitatio, manifestum est, si hanc dictionem adiecerimus: Et locutus est Dominus ad Moysen*: deinde reliqua subiungit, quæ paulo ante recitauimus. Verius id usurpari potest de Christiani hominis sapientia, & Virtute omni, cujus se studiosum profitetur. Est enim Auctor et fons omnium Deus, ad quem idcirco confugiendum, & supplice prece auxilium ingeniique facultas postulanda quotidie. *Sapientia Christiana de sursum est, descendens à Patre luminum*, quam frustra aliunde exspectes.

ARCHITECTVRAM autem singulari quadam ratione amicis suis communicatam, ad profanos etiam transmisisse DEVM in comperto est. siquidem post Beseleelem, et Ooliabum, Arhitectonicam à DEO edoctus fuit, vt ceteras omnes artes ingenuas ac scientias, Salomon, quem Atchitecturæ Principem extitisse atque doctorem, tanto Tabernaculi fabricatoribus præstantiorem, quantum templum Jerosolymitanum Salomonis, magnificentiâ & artificio superavit Tabernaculum Mosaicum negare non possumus. Neque solùm Græcos atque Romanos accepisse & didicisse, quæ habuerunt in Architecturâ admiratione digna à Salomonis Sapientia, sed præterea ex Salomonis operibus, signatè verò ex ædificato ab ipso templo optima ædificandi præcepta, tum lectione, tum aliorum relatione accepisse, asserunt probantque Hieronymus Pradus, & Joannes Baptista Villalpandus; quod cur neget Antonius Possevinus non video. Pa-

rentem

rentem quoque Salomonis eadem Sapientiâ Dominus instruxerat qui filio quoque fuit magister. Nam cùm Dauid accepisset schemata & descriptionem universam Templi ædificandi, ipse deinde illa tradidit filio. libro 1. Paralip. XXVIII *Elegit te* (David) *Dominus ut ædificares Domum sanctuarii: confortare, & perfice. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem.*

ARTICVLVS II.

DEUS SCIENTIARUM DOMINUS

Architectura Sacra instruit eos, quos vocat ex nomine

EXEMPLVM habemus in Beseleel. *Ecce*, inquit, *vocaui ex nomine Beseleel.* Quod explicans Glossa, His verbis, inquit, paterna DEI erga hominem illum voluntas exprimitur, plena humanitatis & pietatis. Itaque qui DEO cari in paucis, qui Numini peculiariter grati, qui eidem familiares, spirituali divinaque Architectonica implentur à Domino. Hæc enm et ejus generis plura significat loquutio illa, *Vocare*, aut *nosse ex nomine.* Sic Moyses magna erga DEUM fiduciâ dicebat ad Dominum: *Præcipis, ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus es mecum: præsertim, cum dixeris mihi: Novi te ex nomine, & inveniſti gratiam coram me*, Exodi XXXIII. 12. Ubi particula, *Et*, est causalis, quàm rectè resolvas hoc modo, *id est*, vel *quia* inveniſti gratiam coram me. Cui deinde ipse Dominus: *Inveniſti gratiam coram me, & teipsum, novi ex nomine*: hoc est, es mihi gratiosus. Chaldæus, *Vocavi te ex nomine*: sensus est, te compellare nomine tuo sum solitus. Quemadmodum bonus Pastor ajebat se proprias oves vocare *nominatim* Joannis x.

LXXta. Interpretes ita phrasim illam exponunt οἶδά σε παρα παντας: *novi te præter omnes*: q. est idē ac melius te noui cæteris plus, gratia vales apud me, quā ceteri: At nonne

DEVS omnes novit æqualiter? nonne scientia infinita à omnes æque comprehendit? nonne DEUM nihil latere potest? ita est, si sit sermo de *Scientia* seu notitiâ purè speculativâ; at si practicam attendas, & illam signatè, quæ dicitur *Approbationis*, quosdam solum ea respicit, qui approbantur & diliguntur peculiariter, nempe, illos quos novit, & vocat ex nomine. Significavit igitur paræmiali phrasi illa DEUS, Beseleelem sibi ceteris magis familiarem, uti & Moysem: quippe, quum non de facie tantùm, nec monitu nomenclatoris ut solent Principes plerosque suos subditos nosse, sed de nomine noverit, vocavêritque, quod inter homines est maximè familiarium & conjunctissimorum. Sic Deuteronomii secundo scribitur. DEUS *tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum*: id est, approbavit, direxit, favit iter facienti, Chaldæus paraphrasticè: omnia necessaria affatim suppeditavit. Psalmo 1. eodem intellectu, *Novit Dominus viam ivstorum*: & altera ad Timoth. secundo, cognovit Dominus, qui sunt ejus, scivit, approbavit, dilexit. Illos igitur donat DEUS cælesti Architectura, quos amat eximie, & familiaritate sua prius est dignatus.

ARTICULUS III.

ACHITECTUS CHRISTIANUS

Virtutibus præditus,

QUONIAM proprium est Amoris divini, ut bonos dignosque diligat, & prius, si non sint tales, faciat est enim id ejus potentiæ, in cujus manu sunt corda hominum, facilè colligas, singularem constantissimamque voluntatem illam, qua fertur erga eos: quos ex nomine agnoscere, & vocare dicitur, consistere non posse nisi

nisi cum eximiâ quadam morum integritate, & sanctitate vitæ, quæ cum exercitatione virtutum cõiuncta est. Et sanè in Architecto non solùm iudicãdi operandique egregiam facultatem, sed præclarissimas etiam animi virtutes profani æque ac sacri auctores exigunt. Censent etenim & scientiâ imbutum esse debere haud vulgari, ne ignoratione peccet in opere: & moribus integerrimum, ne cupiditate, aut malitia transuersum agatur.

Ob quam causam Vitruuius optimus Architectonicæ Magister, cuius opera etiam hodie omnium manibus teruntur, varias in linguas transfusa, Architectum Philosophiæ præceptionibus volebat esse eruditum, quod ijs, propter Ethicam, morum integritatem posse assequi „ existimaret. Ita autem disserebat. *Philosophia perficit* „ *Architectum animo magno, & vti non sit arrogans, sed potius* „ *facilis, æquus, & fidelis, sine auaritia, quod est maximum: nullum* „ *enim opus sine fide & castitate fieri potest. Ne sit cupidus,* „ *neque in muneribus accipitendis habeat animum occupatum, sed* „ *cum grauitate suam tueatur dignitatem: bonam famam habendo.* Hæc Philosophia præscribit Platonica & Aristotelica: plura de fide, spe, charitate, de cultu religionis, de sacris & cæremonijs, virtutibus infusis et adquisitis, alijsque ad Euangelicam perfectionem spectantibus adiungit Philosophia Euangelica, secundum quam viuere debet Architectus Christianus.

ARTICULUS IV.

SPIRITUS DEI
in Architecto Christiano.

Plenius superiora, & multa alia complexus est Deus, dum dixit, ad Architecturæ disciplinam capiendam, se impleuisse Beseleelem *Spiritu* Dei. Spi-

ritus DEI requiritur in Architecto Nostro. Quis ille qualisque est Spiritus? Notat Caietanus ab Hebræo suo Magistro instructus, in Hebraico haberi, *Spiritum Elohim*, hoc est, *Spiritum divini judicii*, ut divinus Archifaber sit in ejusmodi operibus. Et quidem vox *Elohim* denotat supremam potestatem, quàm in omnia quæ in cælo, terra, & infra hanc sunt exercet DEUS: quodque rerum omnium potiatur, ut Rex, Dominus, Princeps, Judex. Quamobrem, Angeli aut homines divinam repræsentantes potestatem ita aliquando appellantur.

Psalmo LXXXI. DEUS, (אלהים,) Elohim, *stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos*, Elohim, *diiudicat*: Chaldæus vertit, ut solet, per paraphrasim, DEUS Diuinitatem suam posuit in congregatione justorum, qui potentes sunt in lege, in medio Judicum. Rabbi Abraham *Angelos* legit: R. Dauid *Judices*. Quod ab Architecti notione, ut animaduertunt Pradus & Vilalpandus, non est admodum alienum. Siquidem Architectus significat principem, aut caput fabrorum: estque idem ut judex, aut princeps quidam inter opifices. Ejus enim judicio, inquit Vitruuius, probantur omnia, quæ à ceteris artificibus perficiuntur opera. An non talis est Christianus Sapiens? vir DEI Spiritu plenus, ideoque verè Spiritualis, & justitiæ sincerus, de quo Paulus Apostolus: *Spiritualis judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*, primæ ad Corinthios secundo. Nimirum idem Sapiens, & est Architectus, & Criticus Christianus, ut suo loco uberius ostendimus. Est itaque, hoc sensu, Architectus Spiritu DEI & judicii plenus, ut rectissimè queat inter bonum & malum, utile ac delectabile, honestum & turpe, perfectum & imperfectum discèrnere.

VERUM, latet fortasse sensus alius in uocula DEI, quæ, apud Hebræos, superlatiui vicem obit, sicut &

VOX,

vox, *Domini*. Pervulgata sunt illa: Cedri DEI, visiones DEI; Ciuitas DEI, Jonæ tertio, quam Interpres magnam vocat, & erat Niniue, Exercitus Domini: Paradisus Domini; Spiritus Domini. Similia multa occurrunt in Diuinis litteris. Itaque *Spiritu* DEI repletum fuisse Architectum Beseleelem, idem est, quod accepisse spiritum magnum, ingentem, sublimem, qualem Architectus DEI postulat, cùm profanum quoque illum suum Vitruuius à Philosophiâ voluerit perfici *magno animo*. Hunc sensum indicat S. Augustinus, qui quæstione CXXXVIII. in Exodum ita scribit: *Vtrum Spiritus-Sancti muneri, etiam ista opera tribuenda sunt, quæ pertinere ad opificium videntur? An & hoc significatiuè dictum est, vt ea pertineant ad Diuinum Spiritum Sapientiæ & Scientiæ, quæ hic rebus significantur? Tamen etiam hic cùm spiritu repletus dicatur iste Sapientiæ & Scientiæ, nondum legitur Spiritus-Sanctus.* Certè, D. Augustinus, cùm *Spiritum* DEI, quo repletus dicitur Architectus, non velit Sanctum dici Spiritum, negare videtur, ad Spiritus-Sancti dona, Sapientiæ, intellectus: consilii, & scientiæ pertinere: quamuis, cum Architectonica, ars sit bona, seu scientia, eaque perfecta, absque DEI Diuinique Spiritus dono & gratia haberi nequit. Videtur igitur Doctor Augustinus velle, Spiritu repletum debere esse Architectum, id est, animo magno & excelso, quem magna deceat cogitare & moliri, magnis plurimisq; imbui disciplinis, denique, artificibus aliis. vt ipsorum caput & principem, imperare.

(·.·)

ARTI-

ARTICVLVS V.

DEVS ARCHITECTVS SAPIENTISSIMVS.

Sapientia Architecto est propria.

POST Spiritum DEI Beseleeli ad architectandum cõmunicatum, additur Sapientia, quæ secundum vocẽ originariam, complectitur, tum certam rerum, tam humanarum, quàm Diuinarum cognitioaem; tum prudentiam, ac futurorum præsensionem, quæ prouidentiæ nomine denotatur. Est autem Architecti proprium ornamentum Sapientia, Quare DEVS, quando, vt Architectus inducitur Sapientia illi cum Prudentia adsignatur. Ieremiæ x. *Qui facit terram in fortitndine* (id est, Omnipotentia) *sua: præparat*, (hoc est, firmat) *Orbem in Sapientia sua: & Prudentia sua extendit cælos.* Quibus indicat Prophetа, inter perfectiones Diuinas, Sapientiam potissimùm esse & Potentiam, quas DEVS, tanquam Architectus in Mundi fabricâ, & rerum omnium opificio constituendo & conseruando adhibuerit. Et est sanè DEI *Sapientia Architectonica*, immensa, nullis constricta terminis. *Sapientiæ eius non est numerus*, Ps. CXIV. nobis incomprehensibilis. *Sapientiam* DEI *præcedentem omnia quis inuestigabit?* Ecclesiastici I. Vbique obuia: *Effudit illam super omnia opera sua*, Ecclesiastici I. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine. omnia in Sapientia fecisti.* Psal. CIII.

ARTICVLVS VI.

PAVLVS APOSTOLVS

Sapiens Architectus.

PAVLVS si quis alius ex Apostolorum choro, habuit omnes illas dotes, ac virtutes, quæ in Architecto Christiano uumeris omnibus absolutissimo requiruntur

tui; sed præcipuè Sapientiam Architectonicam. Quod sumo ex Elogio Pauli, tanquam Architecti, conscriptum à Paulo ipso Architectante Corinthios, quos ita alloquitur in epistola: DEI *Ædificatio estis*, (1. *ad Corinth. cap.* 3. *vers.* 9.) ô Corinthij! ô Auditores mei! vos Ædificium vos Palatium, vos Templum estis. Cuius-nam Architecti? DEI, vt primarij; Pauli, vt secundarij. Nam per *gratiam* DEI, *quæ data est mihi*, vt Sapiens Architectus, *fundamentum posui*. Non mea est hæc fabrica, non meum est hoc opus, Ecclesia Corinthiaca. Licet enim ego, vt *Sapiens Architectus*, prima illius fundamenta, catechizando, euangelizando, docendo, instruendo, hortando, iecerim, tamen quicquid ego feci ac perfeci, nõ meis ego viribus, sed gratiæ diuinæ præsidijs effeci. Quicquid in vobis ædificatum est, omnis virtutum in animabus vestris fabrica non mihi, sed gratiæ DEI tribuenda est. Ex hoc Apostoli effato habemus, I. DEVM esse Architectum in quolibet Ædificio spirituali. II. Paulum fuisse Architectum, quatenus fuit Apostolus Corinthiorum, eorum Pastor, concionator, instructor. III. Proprium Architecti epitheton esse SAPIENS. Quanta autem fuerit in Paulo sapientia, vt verè dici potuerit *Sapiens Architectus*; verbis vix explicari potest: certè explicare satis non potuit summus Orator Chrysostomus, quid speremus, anseres inter olores? Conemur tamen aliquid.

SAPIENTIA quatenus rerum humanarum diuinarumque cognitionem, seu doctrinam comprehendit, vel est *Profana*, seu peregrina, quam Patres antiqui Græcanicam vocabant, vel est *Sacra*, domestica, Ecclesiastica. Illa continetur in veterum Philosophorum, Historicorum, Poëtarum, Oratorum, aliorum Philologorum, eruditorumque virorum scriptis: hæc habetur tum ex Diuinis

nis litteris, tum ex traditione Ecclesiastica, tum ex inspiratione Diuina. Vtraque quadamtenus necessaria est, certè, vtilis Architecto Euangelico, Concionatori, Magistro, Instructori, Doctori. Vtraque excellunt supra quã dici potest Paulus Apostolus. Errant, qui existimant ad Architectum Euangelicum, qualis esse deberet Ecclesiastes, sufficere, quod leuiter tinctus sit litteraturâ aliquâ vulgari: quod sciat nonnihil ex Sacris litteris, quod habeat aliquam notitiam historiæ Ecclesiasticæ, Catechismum puerilem calleat, Decalogum promptè reciter, præcepta Ecclesiæ non ignoret: cetera rudis: peregrinus in doctrinâ sæculari, in historiâ gentium, in Poëtarum commentis, in Oratorum voluminibus, in Philosophorum dogmatibus, in auctorum quorumcumque scriptis.

Debet Ecclesiastes perfectus, esse Architectus Sapiens, non semi-sapiens, non semi-doctus, non semitheologus; sed plenè sapiens, sapientiâ sacrâ & profana: sapientia vulgari & abdita: Sapientia adquisita & infusâ: Sapientia humana & Diuina. Sermo Ecclesiastæ haud vulgaris, non debet esse macer & exsuccus, sed pinguis & adipatus, non ieiunio sed benè fartus eruditione omni. Quod in Moyse commendatur (Act. VII. 22.) laudatur in Stephano protomartyre; (Actor. VI.) sed in Paulo potissimùm exprimitur omnibus Euangelij annuntiatoribus ad exemplum. Profectò; Sapientia Apostoli naturalis, humana, & & Græcanica, in quâ Tarsi, vrbe patriâ, ita excultus fuit; vt facilè primas inter suos obtinuerit, plurimum auctoritatis illi attulit apud populares & gentes quaslibet, qui admirabantur in perorante illam Sapientiæ Græcanicæ eminentiam: adeò, vt tradat S. Chrysostomus *homil. 3. in 1. ad Corinth.* contendisse inter se Ethnicos, quisnam in ea excelleret magis, Plato an Paulus Tarsensis!

Qui

Qui ita in promptu habebat omnia Sapientiæ illius arcana, vt qualibet occasione ea proferret in medium, & cultoribus profanæ eruditionis promeret inde extemplò, vnde confunderentur.

Scribit quidpiam de hac re admiratione dignissimum Clemens Alexandrinus, quod à maioribus acceperat, nam in Actibus Apostolicis, aut Pauli Epistolis non reperitur (a) Quemadmodum DEVS Iudæos saluos esse voluit, dando ijs Prophetas mysteriorum Iudaicorum gnaros; ita saluos voluisse facere Græcorum spectatissimos mittendo ad illos propriæ suæ linguæ peritos, & in ipsorum met doctrina exercitatos. Exemplo sit Paulus Apostolus, *dicens* (ita scribit Alexandrinus) *libros quoquo Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum* DEVM *significet, & ea quæ sunt futura. Hydaspen sumite. & legite, & inuenietis* DEI *Filium, multo clarius & apertius esse scriptum. Quomodo etiam aduersus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen eius gestant et fideles & aduentum & tolerantiam.* Idem apparuit in concione illa doctissima & eruditissima, quam habuit Athenis in Areopago, Actuum XVII. disserens coram Epicureis & Stoicis Philosophis alijsque Gentilibus, & intimæ ipsorum Sapientiæ mysteria pandens, ac testimonia sapientum profanorum accumulans. Nec aliam ob causam cum concionarus fuisset Paulus coram Felice, Præses obstupescens Sapientiæ vbertatẽ, exclamauit: *Insanis Paule: multa te litteræ ad insaniam conuertunt*, Actuum XXVI.

SED parum efficiet Sapientia omnis naturalis, profana, humana, nisi coniungatur in Architecto Christiano transnaturalis, Sacra, Diuina, cuius excellentiam & profunditatem, quam habuit Paulus. Actus Apostolici, & omnes eius Epistolæ satis indicant, & deprædicarunt eius discipuli. Inter quos Dionysius Areopagita. *Sapientia*

(a) Clem. Alex. *l. 6. stromat.* Baron. *in appar. Annal.*

tiæ Abyssum(*a*) vocat suum Magistrum, & communem Christianorum *Solem*. S. Chrysostomus, (*b*) Cœlum eum appellat, in quo sit Sol iustitiæ, additque: Paulum esse *Mare Sapientiæ* purissimum & profundissimum. Quid S. Hieronymus? qui parum se dixisse autumat, cum plurima veluti in nucleo constipat his verbis: (*c*) *Paulus vas electionis, Tuba Euangelij, regulus Leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retrò generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum* SAPIENTIÆ, *& scientiæ* DEI *magis miratur, quàm loquitur. Quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* Et quid aliud exspectes ab eo, qui profitebatur, se Euangelium Sapientiæ cœlestis epitomen, non ab homine accepisse, & didicisse, sed per reuelationem IESV CHRISTI? ad Galat. 1. Qui gloriari poterat haud inaniter, se raptum in tertium & supremum Beatorum cœlum (11. Corinth. 12.) ibique audiuisse arcana SAPIENTIÆ verba, quæ non licet homini, nec potest mortalis, loqui; quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? 1 *Corint.* 2. Qui protestabatur prædicationem suam, non esse in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis excellere. SAPIENTIAM autem se loqui inter perfectos: Sapientiam verò, non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur; *sed* DEI Sapientiam *in mysterio, quæ abscondita est: quam prædestinauit* DEVS *ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum huius sæculi cognouit.* Quid, quod Petrus, cui Pater cœlestis Sapientiam ab alto communicauerat, Paul Sapientiam deprædicet. (*l.* 1. *epist.* 2 *cap.* 3.) *Carissimus frater noster Paulus*, inquit, *secundum datam sibi Sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis.* In quibus quantum lateat Diui-

(*a*) Dion. cap. VII. de Diuin. Num. (*b*) S. Chrysost. homil. 4. de laudib. Pauli. (*c*) Sanct. Hieronymus epist 61. ad Pamma.

Diuinæ Sapientiæ, ita Eusebius (*lib. 3. hist. cap. 24.*) declarat. *Paulus, qui inter cæteros Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, & in sensibus præpotens, non amplius, quum paruulum Epistolarum suarum corpus reliquit. Quod utique immensa continet intra se, atque innumera Sacramenta, vtpote, qui vsque ad tertium cœlũ raptus, quæ gererentur, inspexerat, & in ipsum quoque* DEO *dignum Paradisum abductus, viderat ibi ineffabilia verba, &* DOCTRINAM *illius interim Scholæ exceperat.*

PORRO, Sapientia tam humana quàm Diuina, vel est speculatiua. aut theorica, vel practica spectans vsum. Et hæc maximè requiritur in Architecto: nam Architectonica est practica, effectiua. Est autem Sapientia practica, Sapientia operans, quæ est *Sapientia Sanctorum*, nunquam à virtutibus auulsa, si tamen à virtute distinguitur. Tanta autem hæc fuit in Paulo Architecto, vt eum virtutum omnium ARCAM nominet Chrysostomus Sanctus, magnus semper Pauli, sed ex vero, encomiastes, admirator, & assecla, qui omnibus Patronum illum suum Sanctis præferre non dubitat, illustri comparatione bilancis, quam sic proponit. (2. *ad Corint. 6.*) *Etiamsi quis totum, contra eum iustorum chorum sigillatim appendat, inueniet trutinam virtutum ponderibus à Pauli parte depressam.* Sed nobis sat fuit, rudia quædam Sapientiæ Paulinæ lineamenta duxisse, vt omnibus appareat, quàm is verè dixerit: *Per gratiam* DEI, *quæ data est mihi, vt* SAPIENS ARCHITECTVS, *fundamentum posui.*

ARTICULUS VII.

ARCHITECTI INTELLIGENTIA.

SAPIENTIÆ in Architecto Beseleele INTELLIGENTIA iungitur: quæ iuxta radicem originalem diuersum quid significat ab illâ. Denotat enim vox Hebræa actum illum mentis, quo res certò cognoscuntur, aut

quo agere quidpiam decernit Artifex, luce quadam peculari mentem illustrante; cum verbum Hebræum, vnde fluxit nomen, quod Sapientiam vertit Latinus Interpres. propriè significet, res similes dissimilesque prudenter discernere, quod mentis indicium vocare possumus, vt Vilalpãdus affirmat. (a) At Rabbi Leui docet Sapientiæ subesse certam ac primariã rerum cognitionem; intelligentiæ secundariam, quæ habetur, cum res aliæ ex alijs colliguntur ac deducuntur. Vtramque vocem coniungit Ieremias Propheta, priorem que quasi sequentis causam facit: *Quis est vir Sapiens qui intelligat hoc?* eremiæ IX. id est, qui sapientia ita sit præditus, vt hoc possit intelligere, & ex præcognitionibus certis deducere? Quare innuitur, Architecto dedisse DEVM notitiam claram principiorum vniuersalium, quæ ad artem artificemque spectant; deinde verò etiam peritiam colligendi & statuendi, quæ ex ijs deduci possunt: atque ita constituendi, quibus ædificium partibus, quâ symmetria, quibus ornamentis perfici possit. Item, definiendi, quot domus integra contignationes, quot in singulis conclauia, quot ambulacra, quot aulas habere debeat: quantum esse oporteat, secundum proportionem palatij peristylium; & ex qualibus columnis; quàm amplum impluuium quàm longa lataque ianua, quàm vastũ propylæũ quomodo constituenda sit, & quot pedum, ante ædes, area.

Hæc similiaque ad Architecti intelligentiam spectant, quæ maximè conuenit Architecto, si Hebraicæ originationis habeatur ratio, quam accuratè perpendit Vilalpandus. Qui asserit vocem architectonicam, ædificare & intelligere, ferè eandem esse apud Hebræos. Et quidem Latinum, *intelligo*. Linguæ periti compositum ferunt, ab *inter* & *lego*, quia rem intrinsecus penitusque considerare significat: idemque est in ædificandi voca-

bulo

(a) Vilalp. to. 2. in Ezech. p. 2. c. 2. p. 45.

bulo(banah) Hebraico,(a) quod *ædifico* significat. Ut moneatur Architectus, non obiter illi perpendēdum suum opus, cùm non nisi solerti attentione animi perspectisque sigillatim omnibus ædificiorum fabricæ perficiantur. A quâ longè alieni sunt, qui ea præstare nec norunt, nec volunt, inquit laudatus antea Templi Ierosolymitani illustrator.

(a) בנה banah סר banan.

ARTICULUS VIII.

Architecti Scientia.

IMPLETVS fuit BESELEEL, vt idoneus esset Tabernaculi Architectus, *Spiritu* DEI, *Sapientia*, *Intelligentia*, & *Scientia*, Quæ vox notitiam cognitionemque designat, sed diuersam à Sapientiâ & intelligentia, nimirum, labore, industriâ, & experientiâ adquisitam. Quocirca in Diuinis litteris, quando DEVS vel prospera pollicetur, vel minatur aduersa, plerumque subnectere consueuit: *Et scietis, quia ego Dominus.* Solet etiam verbo *videndi* eadem vox coniungi, quasi multiplici plurium sensuum experimento percipiantur ea quæ perspicacissimo visus sensui proponuntur. Eadem tamen ad internos quoque mentis sensus referuntur. Sic ad Achabum Propheta libro tertio Regum dicere introducitur: (cap. 20. 22.) *Vade & confortare, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet contrà te.* Et Dominus apud Ieremiam: (2. 19.) *Arguet te malitia tua, & auaritia tua increpabit te: vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum* DEVM *tuum.* Tali scientia cum voluerit Dominus præditum esse Beseleelem ad Architecturam Tabernaculi, monent viri singularis eruditionis, & in Architectura versati: nulli fas esse, tantum ingenij sui perspicacitati tribuere, vt Architectum se euadere posse præsumat, absque scien-

tiâ, labore, diuturnaque exercitatione parta. Quam eum, quem magnanimum, nempè, impletum Spiritu DEI, *Sapientem* quoque & intelligentem dixerat Dominus, Scientia quoque præditum asserit.

JAM verò, quod de Sapientiâ dictum superiùs, id Scientiæ hic applicandum est : duplicis eam esse generis vnum, quod in sola theoriâ consistit, ac mentem perficit: alterum quod ad opus dirigitur, & est factiuum, cum primus illud intellectuum dicatur. Ne quis autem existimet practicam Architecto deesse posse, adiungitur : *in omni opere*: ac si diceret, non speculandi solùm promptitudinem, sed & operandi facilitatē contuli: distinguuntur enim hæc in Hebræo: quo expressit Codex Regius, quò vsus est Vilalpādus, qui sic legit: *Repleui eū* (Beseleel) *Spiritu* DEI *in Sapientia, & in Intelligentia, & in Scientia, & in omni* OPIFICIO. Quorū omniū vsum finemq; indicant quæ sequuntur: *ad cogitandū cogitationes, ad faciendu in auro & in argento.* Quæ ita expressit vulgatus noster Interpres: *Ad excogitandum quicquid fabrificri potest, ex auro, & argento & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.* POSSET-ne fingi Doctor aliquis in arte qualibet summus, qui in Architectura discipulum, quem perfectissimum optaret, aut vellet, si facere posset, cum tanta cura, diligentia solicitudine instrueret, vt artium omnium, sed signat Architecturæ Dominus hic fecit? Qui, vt declararet, non supremo solum operarum præsidi, & fabrorum magistro, quem propriè Architectum vocamus, necessaria esse dotes hactenus expressas, sed alijs quoque operarijs Artchitecto subseruiētibus, adiungit: *In corde omnis eruditi posui Sapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi.* Qui significatur, non duobus solùm capitibus, *Beseleeli*, & *Oholiabo*, sed omnibus alijs ad ædificandum ex arte destinatis, se dedisse scientiam necessariam. Quod perpendens eruditus interpres Lipomanus, monet, Sapientiam

esse

esse donum DEI; non solùm autem illam, quæ ad iustitiam spectat, & Pietatem, verùm etiam quæ ad industriam artis exercendæ. Ex quo consequitur, & in consectandis eiusmodi scientijs, ac artibus, ijsque addiscendis, DEI auxilium implorandum esse, & quæ per artem ad DEI gloriam esse referenda: denique quicquid solicitudine, ingenio, industria, manibus perficitur, in Architecturâ maximè, Architectorum Principi supremo esse tribuendum, ac consecrandum.

AVDIVISTIS aut spectatis in *Beseleele*, ornamenta, quæ in Architecto requirit DEVS; Magnanimitatem, Sapientiam, Intelligẽtiam, Scientiam, quà speculatiuam, quà practicam: adde, alios docendi facultatem, quam Aristoteles, in eodem, vt Sapiente, postulat; sed non omisit diuinus Scriptor: nam ijs verbis, *Ad excogitandum quicquid fabrefieri potest*, indicari putat Chaldæus Paraphrastes, aptitudinem instruendi artifices, vt faciant in auro, aliâque materiâ qualibet quæ ipse excogitauerit, & præscribere voluerit. Hæc ornamenta dotes omnes alias, quæ excogitari possunt pro Architecto complectuntur: aliquas designat Vitruuius qui sic scribit: *Cùm in omnibus rebus, tum maximè in Architectura hæc duo insunt*: Quod significatur, & Quod significat. *Significatur proposita res de qua dicitur: hanc autem significat demonstratio, rationibus doctrinarum explicata. Quare videtur vtraq; parte exercitatum esse debere, qui se Architectum profiteatur. Itaque & eum ingeniosum esse oportere, & ad disciplinam docilem. Neque enim ingenium sine disciplinâ, aut disciplina sine ingenio perfectum Artificem potest efficere.* Sed tam ingenium, quàm docilitas, & alia quæ in in Architecto desiderari possunt, multo melius Diuinæ Scripturæ verbis, quam vllius profani Auctoris circumloquutionibus exprimuntur. Iis autem stabilitur constans perpetuumque Architecti epitheton, quo salutatur SAPIENS, quod & Paulus sibi tribuit sine fastu, &

Isaias Propheta vniuersim Architectis adscribit, in illa comminatione capitis tertij: *Ecce Dominus exercituum auferet à Ieruſalem & à Iuda validum & fortem,* & Sapientem *de Architectis.*

Itaqve, si Architecti Sapientis titulo gaudere vultis, quod opto, & in vobis metædificare Domicilium virtutis, in proximis palatium Diuinitatis, vtrobique Domnum Sapientiæ, Sapientiam imprimis tenerrimè amate: Sapientiam tum Humanam, tum Diuinam. Humana docetur in Gymnasio litterario, & Academiâ, quam magni facite, & diligenter litteris vacate, quisque pro suo modulo. Diuina traditur à Deo interiore Magistro in Animæ basilicâ, â Concionatoribus in Ecclesiâ. Hac excellere conetur quilibet; sed non modò speculatiuâ, verùm etiam, & multo magis, actuosâ, ac practica, quæ coniuncta sit humilitati, temperantiæ, castitati, alijsque eius generis virtutibus, sed præcipuè Theologicis, Fidei, Spei, & Charitati, quibus laudetur Supremus boni omnis Architectus

Pater, filivs, & spiritvs-sanctvs

Amen.

NOTÆ.

§. 1. Beseleel *filius* Uri Ooliab *filius Achisamech.*] Hi duo fuerunt Architecti Tabernaculi, de cujus Ædificatione ita disserit Strabus; sine Gloſſa Ordinaria, Symbolicè. *In constructione Tabernaculi mysterium* Trinitatis *ostenditur, sicut in Baptismo, & Transfiguratione Christi. In Baptismo enim voce sonuit Pater, & Filius baptizatus est, atque in specie Columbæ Spiritus-sanctus apparuit. Pari modo hic* Ooliab, *qui interpretatur, protectio mea Pater Patrisperſonam significat.*

Beseleel, *qui idem est, quod umbra* Dei, *significat Spiritum sanctum, de qui dicitur:* Virtus Altissimi, id est, *Spiritus sanctus,* (ob)umbrabit tibi. *Iussio autem, hoc est, verbum, quo Tabernaculum fie-*

iussum

iussum est, est Filius, per quem Pater in virtute Spiritus sancti omnia operatur.

NOTET Architectus Christianus, Ædificationem suam Sanctissimæ Trinitati ad scribendam esse, ut Architecto primario. Siquidem ipsa tam Tabernaculum, seu DEI Domum materialem, quàm ejus antitypum Ecclesiam, & Animam justi sibi in Templum ædificat, & efformat.

OBSERVET idem, Fidem, Spem, & Charitatem esse Ædificatiuas, Domus Sapientiæ, & Ædificij spiritualis in Anima: quod secundum tropologiam sumitur ex personâ *Beseleel, filii Huri, filii Hur.* Nam *Hur* hebraicè *Candorem* significat, lucemque Candidam qualis est *Fiaei. Vri* significat ignem, qualis est *Caritas* AT, *Beseleel* significat *in umbra* DEI, qualis est *Spes*: hæc enim in ope DEI, quasi in umbra securè requiescit. Iam hæc tria, *Fides, Spes, Caritas*, ædificant Tabernaculum, id est, Domum Animæ, ut sit Templum Dei. *Cornelius sap. Exodi. xxxi. 2.*

CONTEMPLETVR quoque in *Beseleele*, & *Ooliabo* præciquos duos, post Principem Architectum, Christianæ Ecclesiæ Ædificatores, Petrum Apostolum, & Paulum Doctorem Gentium. Glossa. *Beseleel & Oliab sunt Petrus & Paulus, qui duo, post Christum, ædificauerunt Ecclesiam Iudæorum & Gentium.* Beseleel *enim, qui interpretatur. Vmbra* DEI, *significat* Petrum: *nauus ad tactum vmbræ eius, virtute Diuinâ sanabantur infirmi, Actor. v.* Ooliab, *qui interpretatur protectio, vel habitatio mea Pater, est* Paulus, *qui mente habitabat in* DEO *Patre omnium.* Vnde ait ipse ad Philip. tertio: *Nostra conuersatio est in cœlis.*

ADDE, *Ooliab* hebraicè idem est, quod *Tabernaculum meum*, vel *Protectio Mea est Pater*, scilicet cælestis: filius *Achisamech* idem hoc est, *& frater contungens.* Hic igitur significare potest, Apostolos, viroſque Apostolicos, qui per spem in DEVM DEIque opem, ili protectionem, quam significet *Ooliab*, perque opem mutuam & fraternam, quam significat *Achisamech*, ædificasse Ecclesiam, quæ est Tabernaculum DEI. *Cornel. Exod. xxxi. 6.*

§. II. VOCARE & *Nosse ex nomine.*]De *Scientiâ approbationis*, vel amoris, agitur 1 Par. multa occurrunt in Sacra Scriptura, quæ de illâ, vel accipi possunt, vel debent. Ieremiæ 1. 5. *Priusquam te formarem ex vtero noui te.* Amos III. 2. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Psal XXXVI. 18. *Nouit Dominus dies immaculatorum.* Ioannis X. 14. *Cognosco oues meas.* Et mox. *Sicut nouit me Pater: & ego agnosco Patrem.* Ad Galatas IV. 19. *Nunc autem cum cognoueritis* DEVM, *immò, cogniti sitis à* DEO. Hoc intellectu aliqui

accipiunt illud ad Romanos VIII.29. *Quos præsciuit & prædestinauit*, vt præscientiæ nomine significetur Scientia amoris vel approbationis. Item, verba Petri Apostol. epist. *1.* c.1. asserentis, Christum præcognitum fuisse, ante mundi constitutionem; loquebatur enim de Christi æterna prædestinatione.

SIC. *non cognoscere*, DEO tribuitur, respectu quorundam, quos non amat, nec eorum facta probat. Psalmo CIV. *Declinantem à me malignum non cognoscebam*? Quo loco Augustinus: Quid est non cognoscebam? id est, non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Psal. LXXIII. 9. *Iam non est Propheta: nos non cognoscet amplius.* Eodem modo hominibus aliquando abscribitur cognoscere. Ad Hebr. VIII. *Cognosce Dominum*, id est, ama, cole Dominum; Syrus, scito timere, timorem præ amore vsurpans.

1. Paralipom. XXVIII 9. *Scito* DEVM *Patrem tuum & servito ei corde perfecto & animo voluntario*: Sciebat DEVM notitia intellectus, & speculatiuè, vt multi impij, non practicè. Qualem scientiam negat esse in terra, Oseas cap. IV. 1. Hinc fortasse factum, vt Hebræi, cognoscere retulerint ad amoris carnalis finem aut actum, nempè, effectum per causam denotantes. Genes. IV. & sæpè postea. Nec illud ignorandum, quod obseruarunt Hebræi, vt verbum *Noui*, à DEO prolatum, magnam eius dignationem indicat, sic verbum *Nescio* magnam indignationem.

§. III DEI *Vox loco superlatiui.*] Vsitatissimum id est in Sacra-Scriptura: in qua genitiuus *Domini*, eadem acceptione sumitur. *Spiritus Domini*, vel DEI, Genesis 1. 2. id est, vt nonnullis placet, ventus magnus, vel excitatus ab illo. *Sagittæ ac terrores Domini.* Iob. VI. 4. Psal. XXVIII. 3. *Vox Domini super aquas*, vbi vocem significat magnam, sicut Ezechiel 1. 24. Sonus sublimis DEI. 1. Reg. XXVI. 12. *Sopor Domini.* Gen. VI. 1. *Filij* DEI, id est, vt explicat Oleaster, magni, proceri, robusti.

OPVSCVLVM II.

ÆDIFICIVM ARCHITECTI CHRISTIANI

Quod est

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sapientia ædificauit sibi Domum.
Prouerb. IX, 1.

SERMO I.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Elegantia, decor, et amplitudo, Eiusdē Architectus primarius DEVS. Vt sit secundarius Homo litterarum ac virtutum studiosus, quidnam sit ei faciendum.

ARTICULUS I.

Introductio in Domum Sapientiæ.

QUOD ad DEI OPT. MAX. Scientiarum, & Sapientiæ omnis humanæ Domini honorem & gloriam, ad Evangelij Christiani propagationem, & dilectæ Superis

Ecclesiæ Catholicæ, in eaque fidelium piam institutio-
nem benè cedat, introducam ego vos hodie in pulcher-
rimum & sumptuosissimum, si quod vnquam vllibi fuit
in orbe terrarum palatium. Palatium dico? immò, basi-
licam, templum, aulam, Regiã: non superbientis Vasthi
Persicæ magnificum, non Semiramidis Ægyptiæ ad
stuporem ingredientium splendidum, non Augustæ ali-
cuius Romanæ aureum, non Neronis Palatinum, nor
Luculli Baianum, deniq; nõ Summi Regis Pacifici anti-
quum Ierosolymitanum, aut Regis Catholici nouum it
Carpetanis finibus Scoriale. Sed Reginæ, Dominæ no
stræ, cui famulaturi estis, ideoque Sacramentum fideli
tatis dicturi, si in alma hac & Catholica vniuersitate lit
teris operam dare velitis, Diuinæ Sapientiæ planè Diui
num. Quod vocare etiam licet Magistri veracis Gym
nasium. Nam *Sapientia ædificauit sibi*, vobisque *Domum*
exædit columnas septem, *Immolauit victimas suas: miscuit v*
num, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt voca
ad arcem & ad mœnia Ciuitatis, contemplandi, discend
epulandi, animum disciplinis omnibus exornand
gratia.

In hoc Reginæ Palatio, si quæ nitent splendidè, i
fronte, vestibulo, muris, turribus; si quæ intus late
sumptuosa in atrijs, aulis, cænationibus, hypogæis, co
clauibus fornicatis, planis, vermiculatis auratis; in figu
picturis, tabulis, aulæis; si, qui in Aulâ versantur, pala
nos, familiæ totius numerum, ordinem, ornatum, el
gantiam delicias, Aulicorum adstantium grauitate
famulorum discurrentium diligentiam, puerorum m
nistrantium modestiam, omnium denique ad Regi
nutus, promptissimam obsequelem contemplati fue
tis, haud dubiè, experiemini sensum Reginæ Austri, q
Sapientissimi Salomonis fama excita, *videns omnem*
Sapientiam, & Domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ

& habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum,& pincernas,& holocausta,quæ offerebat in domo Domini, *non habebat vltra spiritum*, vt loquitur Sacer Codex libro III. Regum x. Et dixit ad Regem: *Verus est sermo, quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior est Sapientia & opera tua,quàm rumor,quem audiui Beati viri tui,& beati serui tui,hi qui stant coram te semper, & audiunt vocem tuam.* Sed plura & magis admiranda sunt in Domo Sapientiæ, quæ est ÆDIFICIVM illud quod ego in vobis,auspice DEO, & fauentibus, auxiliantibusque Diuis cælitibus, tutelaribus nostris, per anni huius decursum sermonibus Sacris erigere, vel perficere conabor. Vos enim esse debetis,si Paulo Sapienti Architecto creditis (*a*) *Templum* DEI *viui*. Ecclesiastes autem,eiusdem Magistri sensus est quoque *Artifectus Sapiens.* (*b*) Vtinam vigilando,laborando,æstuando,algendo,structuram hanc,vel in pauculis,ita aptarem ornaremque, vt audire possem in fine, DEVM gloriantem quasi,& sibi de tam nobili domicilio gratulantem, dicentemque *inhabitabo in illis,& inambulabo inter eos,& ero illorum* DEVS, *& ipsi erunt mihi populus.*(*c*)

Hæc est Ædes illa,cuius absolutionem in Scholasticis suis exercitationibus, & litterarijs laboribus, nisi spectet,siue studiosus Adolescens,qui ad maiora adspirat, siue in qualibet facultate & disciplinâ aliorum Doctor, qui auditorum vtilitatem quærit; siue in quolibet officio homo Christianus, qui Reipublicæ inseruit,aut ad gubernacula sedet,quem ex tot annorum laboribus fructum colliget?certè, nonalium quàm meræ vanitatis.

(*a*) 2.ad Corint.v.vi.16. (*b*) 1.ad Corinth.3. (*c*) 2.ad Corinth. vi.16.

tis. Hoc est Templum, cuius præclara decora, si in Adolescente studijs nato repererit Diuina Sapientia, illo magis, quàm vel augustissimo Salomonis Ierosolymitano, vel amplissimo Diuæ Sophiæ Constantinopolitano delectata, sat scio, sedem in illo firmam locabit, implebitque gloria Domini Domum Domini, & æternam mansionem suam, quod omnibus opto precorq;. figet. Et ne vota irrita fundamus, TE humani generis liberator CRVCI pro nobis affixe DEVS. Iudæis scandalum, stultitiam Gentibus, improbis ludibrium, nobis gloriam & triumphum, & Sapientiam, in quem toto hoc anno, vt scopum collimabimus, cuius laudes, exili quidem, grato tamen, vt speramus, sono celebrabimus, cuius virtutes Sapientiæ amatoribus imitandas proponemus, precamur, & obsecramus. Annue. *Absit autem nobis gloriari nisi in Cruce Domini Nostri* IESV CHRISTI. (a) *Nihil arbitremur nos scire, nisi* IESVM CHRISTVM, *& hunc* CRVCIFIXVM. (b) *semper mortificationem* IESV CHRISITI. (c) *in corpore nostro circumferamus.*

(a) Ad Gal. v. (b) 1. ad Corinth. 2. (c) 2. ad Corin. 4.

ARTICVLVS II.

DOMVS SAPIENTIÆ

Deus Princeps est Architectus.

IAM contemplemur, sicque mente ingrediamur hanc DEO dignam Regiam. Quod vt fiat commodius, Architectos imitabor, qui primùm ædificij ideam in capitis cellulis effingunt, tum eandem in gypso, vel macerata aceto, pultibusque spissatâ papyro: aut etiam ligno spectandam exhibent. Hoc autem præmittamus: non esse Ædificium istud humanæ opus dexteræ, non hominis mortalis artificium, non naturæ substructionem,

non

non noſtræ fabricam induſtriæ: ſed ipſiuſ-met, quæ in altiſſimis habitat, Diuæ Sophiæ, Æternæ Magni DEI SAPIENTIÆ & opus & monumentum: quod non tempus edax rerum, non inuidioſa operum ſublunarium dilapidatrix vetuſtas, non vlla vis inimica deteret, aut conſumet. Nobile encomium, quod ædificauerit hanc Domum, non nobiliſſimi è veterum numero Architecti, Philo, Dimocrates, Vitruuius, non nominatiſſimi è recentiorum albo, Baptiſta Leo, Durerus, Serlius, ſed SAPIENTIA, Architector ille Princeps totius Orbis DEVS. *Ipſe fundauit eam Altiſſimus.* (Pſ. LXXXVI. 5.) Vt non ſit, quamuis ambitioſiſſimi, optare etiam perfectiorem domus, aut templi Architectationem. Hæc prima laus noſtri Ædificij. Nunc quod ſubiungam, ſcribite, non in chartâ bibulâ, fragili calamo, fugacibus litteris, ſed in ſilicato corde, ſtylo ferreo, indelebilibus characteribus.

COGITAS mi Adoleſcens, hiſce auſpicabilibus ſtudiorum diebus, ac bene facis, cogitas Scientiæ altiſſimam fabricam vltra nubes educere, iamque in Grammaticorum officinis, quæ ad ædificandum neceſſaria, lapides, ligna, calcem congeſſiſti, aut etiam-num congeris; & quotidie diligentiæ malleo verborum, nominque lapides dolas, eoſque ad regularem {normam, & libellam appendicum exigis, eoſdemque iuncturarum ſyntacticarum calce, vt cohæreant, illinis, lateres à te magno coctos ſtudio accumulas, qui ſunt dicendi loquendique congruè modi varij: atque ita ad fundamentum iaciendum firmandumque his rudimentis diligentiam adhibes. Vel in Humanitatis ſeu Poëticæ Scholâ amœnas eruditaſque fictiones, velut marmorũ fruſtra, ad incruſtationem, elegantiæ, non neceſſitatis faciendam bellè formare, & ad ornatum accommodare, & varia picturæ genera, ludente ingenij exuberan-

tis

tis penicillo, in tabulas artificiosè inducere. quibus hoc palatium splendeat, addiscis. Vel in Eloquentiæ arcâ exassiatam, dolatamque materiam, & iam ante tegulalarum grosphistasam, & limis examinationum descobinatam, assuescis figurarum, vt runcinarum de planis leuigare, ac torno eloquutionis in orbem acto perpolire. Vel in amplissimis Philosophiæ spatijs, fundamento prius posito, incipis parietes erigere, columnas statuere, aptare laqueare, proiecturas disponere, trabes adiungere, tigna transuersare. Quid enim aliud faciunt ad perficiendam Ædem Sapientiæ, Logici, Physici, Ethici, Mathematici, Metaphysici, suis syllogismis, demonstrationibus, problematis, conclusionibus. Vel denique in Medicâ, Iuridicâ, aut Theologicâ facultate, tectum contignationi paratæ imponis, hamatisque, aut foraminosis imbricibus tegis fabricam, & extremam tandem manum operi imponere desideras.

Cave fidas proprio ingenio, humanæque industriæ: non est opis nostræ tantam molem attollere, tegere, consummare: non est potentiæ limitatæ Scientiarũ ædificium, gxmnasium veritatis à rudimentis incipere, & omnibus perfectum partibus tecto exornare. *Nisi Dominus ædicauerit Domum, in vanum laborauerunt, & laborant, qui ædificãt eam.* (Ps. cxxvi.) Iungas licet nocte diei, nullam à labore vacuam horam elabi permittas, intendas omnes ingenij, virium que neruos, librorum te cadaueribus obruas, omnium codices Doctorum & volumina pertoluas, caput speculationc conturbes, cerebrum euacues, vniuersa naturæ & artis instrumenta adhibeas. In cassum laboras: Nisi Dominus ædificauerit Domum, frustra sunt omnia. Terram circumeas, vniuersitates Europæ omnes intuisas, Academias Græciæ perlustres, ad Indos & Gymnosophistas, ad Iapones & Bonzios,

ad

ad Sinas & Mandarinos, ad Scribas & Rabbinos omnes peruadas, vt aliqviquid adducas, & Ædificium Sapientiæ perficias. Quid inani labore consumeris? NISI Dominus ædificauerit Domum frustra laborant, qui qui ædificare attentant. Bardus ibis, bardus redibis vndecumque redeas.

LICET vendas patrimonium cum Anaxagora, aurum abijcias cum Thalete, in edia te crucies cum Pythagora, solum mutes cum Cynico, omnia tentes cum Platone, dolium inhabites cum Diogene, oculos tibi eruas cum Democrito, vt Scientiarū particeps, Sapientiæ arcē in te extruas nihil efficies: *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum* laborasti, & porrò laborabis. Renascaris licet in Parnasso (v t ex Poëtis aliquid adducamus) dormias ad Helicona virentem: nutriaris à Musis, excolaris ab Apolline, ad ædificationem Domus SAPIENTIÆ nihil hæc conferent, quia semper occinetur & verè: *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt.* Denique, indoli ad doctrinarum studia propensæ, exercitationem adiungas, discas licet in Scholis, perores in cathedris, disputes in exedris, studeas priuatim, exercearis publicè Aristotelem doctorem adsciscas, Socratem audias, Zenone magistro vtaris, instruaris à Cicerone, totum cum Hipocrate Galenum perlegas, Hipponensem in succum conuertas, Aqinatem in sanguinē transmutes, Iustinianum decies peruoluas, Vitruuium per singulas Architecturæ partes examines, vt tibi familiarissimum facias, vt Domū Sapientiæ ædifices: omnia frustrà tentabis. *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt.* Quæ caussa? *quia Sapientia ædificauit sibi Domum. Non est Domus hæc mortalis opus dexteræ.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

Ad Ædificationem Domus Sapientiæ neceßaria ſunt: Domini Dei inuocatio, Gratiæ auxilium, & Ædificantis Pietas.

QVARE id ſibi ſtatuat oportet, habeatque fixum, litterarum ac Sapientiæ Studioſus, tantum ſe in Ædificatione Domus Sapientiæ perfecturum, profecturumque in litterarum ſcientiarum, & artium liberalium ſtudio, quantum DEVM, Scientiarum Dominum, & Domus Sapientiæ Architectum Principem, ſuum Adiutorem habuerit. Perſuadeat autem ſibi, quod adiutricem eius manum in omnibus experietur, ſi eum ſibi pietate, caſto cultu, & deuotione conciliare, & propitium reddere, tum per ſe, tum interceſſione Sanctiſſimæ Matris, ac Patronorum tutelarium conatus fuerit. PIETAS Amatores Sapientiæ Academici, Architectum Principem huius Summæ Ædis ad veſtra vota ducet, quo vno præſente ac dirigente, licet operæ minus ſint habiles, aut ceſſent aliquando & ocientur, facile ad templi faſtigium peruenitur. 1. Timot. IV. 8. *Pietas, vt ad omnia vtilis*, hic inſtrumentum eſt veræ ac ſalutaris Scientiæ, organum perfectæ doctrinæ: ſemen eius, quam in animo deſideratis copioſæ meſſis artium omnium & diſciplinarum. Quare, quemadmodum Logica, quoniam dicitur Modus ſciendi, eo quod ordinem tradat, ac facultatem ſubminiſtret, quibus Scientiæ, tam quæ in ſpeculatione, quàm quæ in actione conſiſtunt adquiruntur, ante alias addiſcere oportet, & ſibi familiarem reddere, ita, quia Pietas haud minus Modus quidam eſt, ſimulque præcipuum ad Scientiarum Arcem, ac Sapientiæ Domum fundandam perficiendamque organum, tum aliasob cauſſas, tum ob hanc potiſſimùm, quod Architectum

tectum primarium, sine quo nemo, vel lapidem lapidi, ad huius Ædificij structuram coniungere potest, propitium reddat, ac beneuolum; idcirco fallitur. quicumque sine Pietate, in vlla Sapientiæ Christianæ parte, aut vlla disciplina ex Scientiarum orbe, profectum sibi spondet.

Fili, dicebat Ecclesiasticus, cap. 1. *concupiscens Sapientiam, conserua iustitiam, &* Deus *præbebit illã tibi.* Per iustitiã intelligit fidem, religionem, pietatem, quæ coniunctam habet obseruationem omnium mandatorum Dei, quæ hominem facit ac denominat iustum. Præclarè S. Augustinus, disputans contra Faustum Manichæum lib. xxii. cap. 53. *Prior est,* inquit, *in rectâ hominis eruditione, labor operantis, quæ iusta sunt, quàm voluptas intelligendi, quæ vera sunt. Ad hoc valet, quod scriptum est: Concupisti Sapientiam? serua mandata* (sis bonus, pius, iustus,) *& Dominus præbebit illam tibi. Mandata vtique ad iustitiam pertinentia: iustitia autem, quæ ex fide est, quæ inter tentationum incerta versatur, vt piè credendo, quod nõdum intelligit, etiam intelligentiæ meritum consequatur.* Subiungitur deinde ab eodem Augustino prudens obseruatio. *Proinde in his qui flagrant ingenti amore perspicuæ veritatis,* qui sunt Amatores Sapientiæ, *non est improbandum studium, sed ad ordinem reuocandum, vt à fide incipiat, vt bonis moribus nitatur peruenire, quo tendit. In eo quippe quo versatur, virtus est laboriosa: in eo verò quod appetit luminosa Sapientia. Illi ergo respondeatur: pulchrum est quidem quod desideras, & amari dignissimum: sed prius nubit Lia, & postea Rachel.* Pulchra similitudo, Iacob, studiosus Sapientiæ, prius duxit Liam, deinde Rachëlem: Lia repræsentat laboriosam Pietatem vel Iustitiam, Rachel speciosam Sapientiam. sis pius si velis esse Sapiens. Pergit Augustinus. *Ardor ergo iste ad id valeat, vt ordo non recusetur; sed potius toleretur, sine quo non potest perueniri ad id quod tanto ardore diligitur. Cùm autem peruentum fuerit, simul habebitur in hoc sæculo,*

non solùm specioſa intelligentia, ſed & laborioſa Iuſtitia.

PIETAS igitur, ſiue IVSTITIA præcedat, vt quis ſit idoneus Ædificator Domus Sapientiæ: inuocetur DEVS ſine cuius gratiâ & & adiutorio fruſtra in operoſo ſtudiorum negocio ad culmen niteris. Cuius rei veritatem ſimulq; neceſſitatẽ auxilij Diuiniin ijs qui ſe literis ad extruendũ in ſe Sapientiæ Regiã, addixerunt, vt intelligatis educi ex intimis Theologiæ, & incõcuſſis fidei Chriſtianæ principijs, aduertite quæſo, mentem ad clariſſimam deductionem, quam habet Angelicus Doctor Thomas Aquinas, qui (1.2.q.109.) quæſtionem inſtituens: *Vtrum homo ſine gratia poſſit aliquod verum cognoſcere?* hoc eſt, ſecũdum noſtram metaphoram, DEO non Architectante, ad Sapientiæ Domum fundandam, manum extendere, in hunc modum more ſuo, ratiocinatur.

„ COGNOSCERE veritatem eſt vſus quidam, vel „ actus, aut operatio intellectualis luminis: quia ſecun„ dum Apoſtolum, ad Epheſios V. *omne quod manifeſtatur „ lumen eſt.* Vſus autem quilibet, vel operatio quendam „ motum, id eſt, tranſitum, mutationemque importat, „ largè accipiendo motum, ſecundum quod intelligere „ aut velle, motus quidam dicuntur apud Philoſophum „ lib. 3. de Anima. tex. 28. Videmus autem in corpora„ libus, quod ad motum requiritur non ſolum ipſa „ forma, quæ eſt principium motus vel actionis, ſed etiã „ requiritur motio & concurſus primi Agentis. Exem„ plum clarum eſt in homine & igne comburente. Pri„ mum autem mouens in ordine corporalium eſt cor„ pus cœleſte: vnde quantumcumque ignis haberet „ calorem perfectum, non alteraret, niſi per mo„ tionem corporis cœleſtis, Manifeſtum eſt autem „ quod ſicut omnes motus corporales reducuntur ad „ motus corporis cœleſtis; ita omnes motus, tam cor„ poreos, quàm incorporeos, reduci ad *Primum-mouens*

quod

» quod est DEUS Jdeò quantumcumque Natura aliqua
» corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non po-
» test in suum actum procedere, nisi moueatur à DEO.
» Quæ quidem motio est secundum suæ prouidentiæ
» rationem, non secundum necessitatem naturæ, vt est
» motio corporis cœlestis. Non solùm autem à DEO
» est omnis motio, sicut à *Primo Mouente*, sed etiã ab ipso
» est omnis formalis perfectio, sicut à *Primo-actu*. Sic
» ergo actus intellectus, & cuiuscumque entis creati
» pendet à DEO, inquantum ad duo. Vno modo, in
» quantum ab ipso habet perfectionem, siue formam,
» per quam agit. Alio, in quantum ab ipso mouetur ad
» agendum, Vnaquæque autem forma indita rebus
» creatis, à DEO habet efficaciam respectu alicuius
» actus determinati, quem potest efficere, aut in quem
» potest ferri, secundum suam proprietatem. Vltra autẽ
» non potest, nisi per aliquam formam superadditam:
» sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab
» igne.

» Atque ita intellectus humanus habet aliquam for-
» mam, scilicet lumen intelligibile, quod est de se suffi-
» ciens ad quædam cognoscenda (dependenter tamen
» ab adiutorio, vel concursu *Primi-Agentis*) ad ea nimi-
» rum, in quorum notitiam, per sensibilia possumus de-
» uenire. Altiora intelligibilia intellectus humanus
» cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficia-
» tur: videlicet, lumine fidei, vel prophetiæ: quod dici-
» tur LVMEN GRATIÆ, in quantum est naturæ super-
» additum. Sic igitur dicendum est, quod ad cognitio-
» nem cuiuscumque veri homo indiget auxilio Diuino,
» vt intellectus moueatur ad suum actum: non autem
» indiget ad cognoscendam veritatem noua illustrati-
» one superaddita naturali illustrationi. Tamẽ miracu-
» los à DEVS aliquos per suam gratiam instruit de his,

quæ per naturalem rationem cognosci possunt.

Ex hoc summi Theologi responso multiplici tria quædam colligo, quæ litterarum studiosum quemlibet, sed Adolescentem potissimùm, ad Pietatem colendam, & opem DEI cœlitumque, sine intermissione efflagitandam maximè permouere debent. *Primum* est. Nullam veritatem, quæ naturæ fines excedit, ideoque super, aut transnaturalis dici potest, cognosci posse à quoquam, licet subtilissimo acutissimoque, absque speciali DEI gratiâ, ope, auxilio, & sine noua aliqua illustratione. *Secundum.* Non posse hominem absque Diuino concursu vllam veritatem, etiam naturalem cognitione adsequi. *Tertium.* Veritates, quæ naturæ limitibus continentur, sæpenumero Diuinitus, peculiaribus nimirum DEI amicis, pijs castisque adolescentibus, singulari quadã illustratione reuelari. Qui idcirco θεοδίδακτοι, appellantur, quod potius DEI docentis influxu, instinctu, ac manuductione, quam sua industria & viribus ad scientiarum apicem peruenerint. Quales sine controuersia fuerunt Beseleel, Ooliab, & Salomon, ad ædificationem Tabernaculi & Templi diuinitus destinati: Daniel, Ieremias, alijque Prophetæ testamenti veteris. Nec defuerunt in nouo, post Apostolos, Hor Ægyptius Abbas, Maria Ægyptiaca, Ephræm Syrus, Basilius, & plures in vtroque sexu, quorum indicem teximus. *Tom. I. Theologiæ variæ, lib. III. qui est de Theologia infusâ.*

(·.·)

ARTI-

ARTICVLVS IV.

In Ædificatione Domus Sapientiæ initium ducendum à Deo.

EX hactenus commemoratis satis liquet, verissimum esse istud: *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam:* ac proindè, coniunctionem cum DEO per veram iustitiam, pietatem, amicitiam, quæ per mandatorum Diuinorum obseruationem obtinetur & conseruatur, esse optimum medium Scientiam Sapientiamque obtinendi; & frustra esse, qui sine hoc, manum imprudenter Ædificationi Ædificij Diuini admouet. Hinc fit, vt Adolescentes parui ingenij, sed magnæ pietatis puritatisque, socios valdè ingenioso; hebetioris intellectus admodum acutos; obliuiosi, memoria tenaces, nullis penè naturæ subsidijs præditi, omnibus naturæ dotibus instructos, breui multis parasangis præcedant. Quocirca meum solet esse *Consilium*, vt litterarum studiosi, quàmprimum animum in aliqua disciplinâ, ad illius arcana peruidenda, & scientias addiscendas applicant, sacra de peccatis omnibus exomologesi, sumptaq; cum peculiari deuotione Synaxi, auxiliatorem DEVM sibi propitium ac beneuolum curent reddere: Quo pacto ad benignos Domini influxus, ipsamque Sapientiam recipiendam retinendamque sese aptabunt. Nimirum, DEI donum est scientia omnis descendens à Patre luminum; sicut autem generosum vinum vas requirit non putidum, non fæce, vel amurcâ sordidum, sed benè perpurgatum purumque; ita illa, postulat animum à peccati labe mundatum & nitentem. Nam *in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, vt inquit Sapiens, cap. 1. Sapientiæ. Quemadmodum in speculo labeculis inspersо,

ſtellæ aut non videntur, aut obſcurè admodum: ſic in mente peccatis infectâ, & multo magis criminibus grauioribus, radij Diuini ad Scientiam maximè neceſſarij, ipſaque Scientia, aut non enitet, aut tenuiter admodum. Cogitate populum Iudaicum DEI iuſſu tribus diebus veteris vitæ ſordes purgauiſſe, priuſquam ad legis Sapientiam diſcendam admitteretur: & nobis peccatorum ſordibus inquinatiſſimis incerta & occulta Sapientiæ Diuinæ mox patebunt?

EST accommodata huic loco ſimilitudo S. Auguſtini, quam habet in Soliloquijs, lib 1. cap. 6. Diſciplinarum certiſſima talia eſſe, qualia illa, quæ à ſole illuminantur, vt videri poſſint: DEVM autem eſſe qui illuſtret. Ad cuius explicationem adiungit S. Thomas loco cit. Ratio ita eſt in mentibus humanis, vt in oculis aſpectus: mentis enim oculi ſunt ſenſus animæ. Sed ſenſus corporis quantumcumque ſit purus, non poteſt aliquod viſibile cernere, ſine Solis alteriuſ-ve aſtri illuminatione, aut inſito quodam lumine. Ergo, hominum mens quantumcumque ſit perfecta, non poteſt ratiocinando veritatem cognoſcere, abſque illuſtratione Diuina. Ad quam obtinendam, alterum do *Conſilium*, vt nunquam litterarum ſtudioſus mane, meridie, & veſpere libros tractare incipiat, niſi precibus ad DEUM Diuoſq; Cœlites præmiſſis, opem Principis Architecti implorauerit. Apud Gentiles, quos Natura ſolùm inſtituerat, ſolenne erat illud, *A Ioue principium*. Et in Republica Romana omnium rerum magnarum à Dijs immortalibus principia duci conſueſſe Tullius profitetur. Illud quoque à maioribus bene ac ſapienter inſtitutum Plinius in panegyrico commendat, vt quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi (adde, ſtudndi) initium à precationibus caperetur, quod nihil rectè, nihilque prouidenter

denter sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.

EXEMPLVM eius præclarum est, pro Oratoribus, in Cicerone, defendente Rabinium perduellionis reum, atque ita exordiēte: Primum quod in tantâ dimicatio-„ ue capitis, famæ, fortunarumq; omnium fieri necesse„ est, ab Ioue Opt. Max. ceterisque Dijs Deabusque im-„ mortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hæc„ Respublica quàm ratione hominum gubernatur, pa-„ cem ac veniam peto: precorque ab ijs, vt hodiernum„ diem, & ad huius salutem cōseruandam, & ad Remp.„ constituendam ILLVXISSE patiantur. Quemadmodum autem priscos Oratores ab Ioue, ita antiquos vates ab inuocatione Numinis alicuius principia proœmia quæque traxisse animaduertimus. Cuius antiquissimi moris meminit Seruius, tum in Id. VII. Ænead.

Dij nostra incœpta secundent. Tum in illud XII.
Præfatus Diuos solio Rex infit ab alto.

Religiosius Poëtæ Christiani, ab inuocatione Sanctissimæ TRIADOS, aut SPIRITVS-SANCTI, adiuncto DEIPARÆ patrocinio, opera sua aggrediuntur. Quorū plurima sūt exēpla, at vnius maximè oblectauit me recētis, sed nobilis Poëtæ carmen inuocatorium, quod principio suæ Soteridos (sic appellat, Christi Soteris Nostri vitam omnem libris XII. versu heroico conscriptam) inseruit, dignum quod hic quoque legatur.

Tu Numen, Tu verus honos, Tu Spiritus almus
Et Nati, & Genitoris Amor, Tu vincula rerum,
sancte move Vatem. Sunt magna exordia, magni
Hoc incœptum animi, tantæ sed pondera molis
Haud renuam, sancto firmes si pectus anhelum,
Numine, & adflatum tantas euoluere causſas
Posse dabis. Cælo quare descendrit alto
Vera DEI soboles, & sacra Virginis aluo
Se olim condiderit Tibi plus quàm nota patescunt.

Te sine nil altum mens inchoat. En age, cunctas
Rumpe moras. Helicona mihi cœlestis Olympi
Pande libens, sacroque tuum medicamine Vatem
Imbue & errorum quidquid superesse videbis,
Pelle procul, puramque meo sub pectore mentem
Conde, mihi, vt pateant, tantarum exordia rerum.
Lætus & optatæ referam solatia palmæ.
Tu Genitrix, Tu Sponsa DEI, Tu Filia tanti
Principis, haud renuas votis, precibusque vocari
Tu Sydus, Tu Diua mihi, Tu Numen, honosque
Tu quoque Virginei flos intemerate pudoris
Cuique nouem menses libuit gestare potentem
Carminis Auctorem, & sacratum condere pignus
Virgineis claustris: nec erat dubitabile verum,
Da scopulos vitare omneis, vitare minaceis
Et cæli, pelagique iras, & in hospita saxa:
Vt tandem valeam reduci contingere cymba
Optatum littus, portusque intrare petitos.

Stephanus Maccius Durantinus.

ARTICULUS V.

In Nomine Domini inchoanda ædificatio DOMVS SAPIINTIÆ.

IVSTINIANVS Imperator Institutiones suas à solemni illa formulâ, Sapientiæ Amatoribus, in libris omnibus suis, immò disputationibus, & dissertationibus ac consultationibus, publicis & priuatis vsurpandâ. IN NOMINE DOMINI, auspicatur. Quâ, in vestibulo præclarissimi operis, dum Adolescentes maturi, post litteraturæ politioris, & Philosophiæ studia, Themidis sacris initiari incipiunt, eos monere voluit, tanquam optimus Iustitiæ Sacerdos, illos non propriarum virium fiduciâ, non ingenij perspicacis, non tenacis memoriæ, non confirmati iudicij, denique non naturæ, quamuis optimæ præsidijs nixos, ad grauissimi, & Reipublicæ Christianæ, post sacram Doctrinam vtilissimi

lissimi studij palæstram accedere debere, sed ijs à Diuini Numinis inuocatione exordium esse sumendum. Sentiebat videlicet Sapientissimus Cæsar, non posse Iustitiæ Domum ædificari, nisi Architecti Principis manu, castis precibus, ad auxiliũ & opem præsentaneam impetrata. O augusta epigraphe, *In Nomine Domini!* quam neq; Philosophorum disputationibus, neque Medicorum aphorismis, neque Theologorum assertionibus præfixam reperio. Imperator autem in fronte operis sui de Iustitiâ & Iure, ad æternam posterorum memoriam, & adolescentum institutionem Christianam, tanquam noui Ædificij inscriptionem vncialibus litteris extare voluit: non quod minus indigni sint cælestis auxilij, siue Philosophi ad veritatem, altissimo immersam ignorationis puteo, speculationibus eruendam; siue Medici ad sanitatem corpoream, vel conseruandam, vel reducendam; siue Theologi, ad obscurissima Religionis mysteria in claram lucem producenda; quàm Iuris vel Antistites, vel studiosi, ad Legum perfectam intelligentiã assequendam. Sed, quod illos censeret potius monendos esse, & ad opem Diuinam assiduè implorandam exstimulandos, quos non ignorabat facilius rerum terrenarum cupiditate, & opum, honorumque præconceptâ spe à recto veritatis tramite abduci posse. Illis nimirum *Nomen Domini* fuit signatè proponendum, quibus nominis sui in terra celebrandi, tam facilis & expedita offerri solet in Iustitiæ dicasterijs occasio:

At, ab omnibus Sapientiæ cultoribus iure merito, studiorum initio vsurpandum esset programma. In Nomine domini. Non in nomine Bartoli & Baldi, Galeni & Hippocratis, Aristotelis & Platonis, Ciceronis & Quinctiliani, Prisciani & Aristarchi; sed *in Nomine Domini*. Pulchra fuit inscriptio templi Delphici. *Nosce*

teipsum:præclara epigraphe in culmine fani Apollinei, EI,id est, TVES : bona superscriptio Aræ Athenienſis, IGNOTO DEO, sed omnium pulcherrima, præclarissima,optima illa Imperatoris Iustiniani, *In Nomine Domini*.Auditores Academici,simulque Christiani & Catholici,*Hi in curribus,& hi in equis*:Vos autem *in Nomine Domini* DEI vestri Ps.XIX. 8. Hi in ingenij subtilitate,& hi in mentis perspicitate:hi in sanitate,& corporis robore:hi in laborum assiduitate, & hi in Libris, & hi in opibus vos autem *In Nomine Domini*. Hi in corporis commoditate,& hi in mentis sublimitate:hi in scriptorum multitudine,& hi in Doctorum fauore:*Beatum dixerunt populum,cui hæc sunt:Beatus populus,cuius Dominus* DEVS *eius*. Ps. CXLIII.

IN *Nomine Domini*, Auditores studiosi. Hanc primam Imperatoris legem existimate. Vt autem nemo Cæsaris legem irritat,qui non simul eius iracundiam irritet: ita nolite huius legis vtilissimæ transgressores fieri , ne Maiestatis,non humanæ,sed Diuinæ indignationem experiri velitis. Imperator Iustinianus auspicatur libros Institutionum ab inuocatione Nominis Diuini, inquit nominatus earum Commentator:Ioannes Oinotomus causſam adiungit:Quia ex hac *sequitur bonum initium medium,& optimus finis*.secundum gl.ibid.in ver. JESU. Vbi enim Christus non est fundamentum , ibi nullum boni operis est superædificium. c. cum Paulus 1. q. Addit Interpres, *Quicquid igitur agimus*, in Nomine Domini *incipere debemus*.c.non obseruetis,2 6.q.7.Hinc vno ore Doctores quærunt in principio Institutionum, an inuocatio Nominis Domini,sit de substantia instrumenti juridici? Respondent autem, honestum & pium esse eam semper in negocio honesto apponere : & quamuis existiment communiter, instrumentum non reddi,nullum, si à Notario omissa fuerit;addunt tamen, nisi ho-

esset

esset de consuetudine, quæ more introduci potest. De qua Baldus, alijque Doct. in proœmio Cod. & alibi. Abbas etiam, Felinus & Canonistæ in c.1. de fide instrumentorum. Itaque siue dictis, siue scriptis suis proponat semper scientiarum auidus studiosus. *In Nomine Domini*: & persuasum sibi habeat quod eo proœmio continetur, studiorum initium à precatione capiendum, cum sine DEI immortalis ope ac potestate frustra ad Domum Sapientiæ ædificandam accingamur. Inuocatio autem Nominis Domini, est ipsius DEI inuocatio. Ponitur enim Nomen Domini pro DEO ipso, vel potentia DEI: non rarò siquidem in Litteris Diuinis Nomen Domini DEVM significat. Sic Deuteronomij XVIII. *Ipsum elegit Dominus* DEVS *tuus, vt stet & ministret Nomini Domini.* Et Psalmo v. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt Nomen tuum.* Qua ratione DEVS dicitur iurare in Nomine suo. Ieremiæ XXV. *Ecce ego iurauí in Nomine meo magno ait Dominus.* Sic quoque homines sperare dicuntur in *Nomine* DEI: aut credere in *Nomen* DEI.

ARTICULUS VI.

Matutinis precibus DEVS *aduocandus ad ædificationem* DOMVS SAPIENTIÆ.

PRIMVM officium Adolescentis studiosi, Amatoris Sapientiæ, sit, mane se quam primum in preces effundere, & DEVM, vt sibi in studijs omnibus præsens ac propitius sit, inuocare. Quod à mundo condito obseruatum semper ad felix diei auspicium à sacris profanisque reperio, qui aliqua DEI notitiâ fuerunt imbuti, & ad aliquam Sapientiæ seu veræ, seu apparentis gradum aspirarunt. Iob eximius Sapientiæ cultor consurgebat diluculo (*Iob.1.5.*) & offerebat Sacrificium. Prima cura,

prima

prima cogitatio tibi sit de laudis Sacrificio DEO persol-
uendo, idque diluculo, valde mane

Non iacet in molli veneranda Scientia lecto.

Mane oportet quærere, Iob. VII. *diluculo venire*, Psal. LXXVII. *de nocte consurgere*, Ieremiæ, XXV. *De luce vigilare*, Psal. LXII. *Ante lucem surgere*, Psal. CXXVI. *Adferte mane victimas vestras*, Amos IV. Hoc se facturum, & matutino tempore se inuisurum templum, ac matutinis precibus vacaturum Dauid Rex spondebat: *Mane adstabo* Tibi, Psal. V. *Surgam diluculo*, Psal. CVII. seu, vt ibi Hebræa verti possunt: *excitabo*. *siue, expergefaciam auroram*: id est, nunquam me aurora inueniet dormientem: nunquam illa me excitabit, potius ego eam. Feciſſe quod receperat, testatur sæpe matutinus ille Sapientiæ Salutator. Disertè Psal. LXII. DEVS *Deus meus ad Te de luce vigilo*, Græcè, ὀρθρίζω, *manicis* mane te quæro, mane Tibi adsto, & me sisto, ante tuum Tabernaculum, vbi Te præsentem exhibes: locum sacrum adeo, ante alia negocia, vt tecum agam, consulamque, quid, quomodo, quando; ad Sapientiæ Domi perficiendam mihi sit agendum die illo.

Primi Christiani, quippe Sapientiæ alumni, primo diluculo Deum laudabant, quod à Plinio Gentili notatum, (*a*) à Philone Hebræo, (*b*) tanquam in suæ gentis hominibus commendatum, à Tertulliano, (*c*) inter illos vno, posteritati traditum, Ecclesia vniuersa suscepit, & per viros Sacratos exercuit, vt etiam-num strenuè exequitur. Illorum est summo mane iucundissima modulatio. (*d*)

Somno refectis artubus
Spreto cubili surgimus:

Nobis

(*a*) Plinius secundus epist. ad Traia. 97. lib. 10. (*b*) Philo lib. de vita contempl. (*c*) Apologet. cap. 2. (*d*) Hymn. Eccl. feriæ 2. ad Matutin.

Nobis Pater canentibus
Adesse Te deposcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum sequentium
Tu Sancte sis exordium.
Tu Lux refulge sensibus,
Mentisq; somnum discute
Te nostra vox primum sonet,
Et ora soluamus Tibi.

Neque Gentilium hic desunt exempla. Solenne Persarum Magis tradit fuisse Herodotus, lib. 1, vt primo semper diluculo suis Idolis hymnos, & laudes dicerent. Præclarum quoque illud fuit Persarum institutum, quo Regis cubile ille, qui à cubiculo illi erat, ingredi solitus, clamabat: *Surge o Rex, & negocia cura, quæ te Mesocomados curare voluit.* (Plutarch. lib. ad imperit. Princip.) Tibi non pedisequus aliquis, sed bonus Genius, Angelus tuus tutelaris, quamuis absque corporeâ formâ aur sono, inclamat, dum expergisceris, surge, & negocia ac studia cura, quæ te iustitiæ Sol curare voluit. *Hora iam est te de somno surgere:* (a) *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Vsquequo piger dormies? quando consurges à somno tuo?* (b)

Stertis adhuc iuuenis? iam clarum mane fenestras intrat. (c)

Æneam nescio quis cum diutius somno indulgentem videret, admirabundus vel indignabundus excitabat voce sonora & articulata:

Anea potes hoc sub caju ducere somnos? (d)

Soliciti adolescentum pedagogi, erat illa quotidiana mutatio aut improperatio: (e)

Surgite iam pueri. vendit ientacula pistor,
Cristataq; sonant vndique lucis aues.

Doluis-

(a) ad Rom. XIII. 11. (b) Prou. VI. 9. (c) Pers. Saty. (d) Virg. 4. Ænead (e) Martial.

Doluisse Demostheni refert Cicero 5. Tusculan. quando fabrûm ante lucana vinceretur industriâ Apud Homerum suum laudat Vlyssem ipse Jupiter. lib. 1. Odyss.

——qui semper Sacra Deorum
Ante alios fecit cumulans altaria donis,

De Apollonio Thianeo, quem vt Sapientiæ clientem habuit Gentilitas scribit Philostratus lib. I. vitæ cap. 12. Cum sacerdotibus habitabat, & oriente sole sacra quædam in occulto faciebat: illiusque hoc erat præceptum: Adveniente aurora cum Dijs versaris.

Ego Adolescenti mihi caro Sapientiæ studijs destinato, si plumis diutius involutus hæreat matutino tempore, occinere soleo:

Stulte quid est somnus? gelida nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fossa dabit.

Postquam stratum deseruit Amator Sapientiæ, DEVS ad ædificationem illi est aduocandus: principium omnis Atchitecto suo dandum: à DEO Diuinisque rebus ædificandi initium est sumendum, & quamprimum orandum, supplicandum, sacrificandum, si non alia, certè cordis & oris victima. Clemens Romanus antiquissimus Scriptor lib. 2. Constit. cap. 64. exprobat acriter Christianis quibusdam in hac re tarditatem, adducitque Gentilium quorundam & Judæorum concursum ad sua vel templa, vel synagogas, orationis caussâ, vt primum diluxit, aut experrecti sunt. ET sanè, erant diligentissimi Ethnici in matutinis & vespertinis precibus; quamuis satis constet ex hactenus allatis, lubet tamen addere Salutationes matutinas, quas vocabant. Siquidem prima hora delubrum aperiebatur, & matusinæ salutationes fiebant: quæ exercitationes dicebantur, & templi apertio. Apuleius lib. 11. Milesiæ fabulæ. Religiosi primam nunciant horam, & perstrepunt. Seneca epist. 1[illegible]

Viter-

Vitemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. Ex nostris Prudentius

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes.

Arnobius lib. 7. contra Gent. Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis mututinæ, collatis ad tibiam vocibus? Hæc erant salutationes Deorum in templis, vel ad templorum fores. At, de Syris memorat Tacitus lib. 3. histor. vsitatum ijs fuisse, salutare Solem Orientem. Idem de Parthis refert Herodianus lib. 4. Magis vniuersè Plato lib. 10. de legib. *Oriente*, inquit, *Sole & Luna, ijsdemque occidentibus, in terram inclinationes & adorationes fiunt Græcorum, & omnium Barbarorum.* Sed quid hominum genus adducimus? brutorum secla animantium eundem haud sanè brutum morem obseruant:

Injciant nobis brutorum hæc erra stuporem,
Qui tarda incipimus quærere menoe DEVM.

Scribit Solinus, quod cõfirmant alij, ne solus id dixisse credatur. Elephantes luna splendente, gregatim omnes petere, ac mox aqua aspersos purgatosque Solis exortum certis gestib us salutare, deinde in suos saltus reuerti. Huius animalis exẽplo discant homines ratione præditi, & ij maximè, qui Sapientiæ famulantur, Pietatem colere, & purâ mente DEVM venerari, idque statim ad Solis exortum. Quare Symbolo, in quo exprimuntur Elephantes aqua perfusi adorare. Solem Orientem, adscribunt aliqui, *Pura placet Pietas*: alij, *Pietas nos* DEO *consiliat*: nonnulli, *Vt dignus adorem*: quidam. *Sic ardua peto*: aliquis, *Prælata triumpho*: mihi maximè probatur epigraphe, *Diluculo adora*: cui adiungo: Ne *tardes*. Tardauit Cain, de quo Genesis IV. *Factum est multos dies, obtulit Cain ex fructibus terræ.* Hinc duplex culpa, inquit S. Ambrosius lib. de Cain & Abel cap. 17. vna, quod post dies obtulit; altera, quod

ra, quod ex fructibus, non ex primis fructibus, sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia. Quod cùm non ignoret cultor Sapientiæ, mane auroram præuenit, & sacrificium cordis ac labrorum DEO quampri-mum offert, & per matutinas preces Architecto Principe in adiutorium aduocato ædificationem DOMVS SAPIENTIÆ quotidianam auspicatur.

NOTÆ.

§. I. PIETAS instrumentum ædificatorium.] 1. Timoth. IV, 8. *Pietas ad omnia vtilis est.* Legendi ibi Commentatores. Veterum quidam ἀρχὴν τὸ τέλειον τὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν. id est, omnium virtutum principium ac finem dixit esse Pietatem. Cum quo Aristotelis sententia congruit, ἀρχὴ αὐτὴ παντων ὁ Θεὸς, ἀρετῶν δὲ ἡ εὐσέβεια. Optimum quidem rerum omnium principium DEVS: virtutum autem Pietas.

§. II. ECCLESIASTICI I. 33. *Fili concupiscens Sapientiam, conserua iustitiam.*] Per iustitiam intelligitur virtus generalis, quæ consistit in obseruatione omnium mandatorum DEI, hæc enim hominem facit & denominat iustum. Sic Psaltes toto psalmo CXVIII. docet, veram Sapientiam sitam esse in lege DEI eiusque custodia. Sequitur in Ecclesiastico versu 2. *Sapientia enim & disciplina (est) Timor Domini.* q. d. Via & modus adquirendi Sapientiam est iustitia, siue obseruatio mandatorum Domini: quia Sapientia est timor Domini, vel certè connexa cum timore Domini, ex quo oritur iustitia & obseruatio mandatorum DEI. Quod multis ibi deducit Cornelius, quæ vtilissima sunt pro studiosis,

§. III. *Theodidacti.*] Horum integrum catalogum damus in Theologiæ variæ lib. 3. Commenta XXVI, quæ est de Theologia infusa illustrium quorundam in Ecclesia DEI Idiotarum: & nominantur, *S. Antonius, Hor Abbas Ægyptius, Romualdus* Camaldulensium Pater, *Franciscus Assisias, Ioachimus Florensis Abb.* Commentatione XVII. quæ est de Theologiâ infusâ excellentia aliquot in Ecclesia Dei Doctorum, recensentur, *Hierotheus, Dionysius Areopagita, Bernardus Clareuallensis, Thomas Aquinas, Bonauentura.* Commentatione XVIII. quæ est de Theologiâ infusâ celebrium quorundam in Societate IESV Patrum celebrantur:

S. IGNA-

IGNATIUS, *Caspar Barzæus, Iosephus Anchieta, Balthasar Alvarez, Franciscus Ribera.* Commentatione XVIIII. quæ est de Theologiâ infusâ quarundam selectarum, ex cælesti gynecæo fœminarum, enumerantur, *Catharina, Alexandrina Catharina Senensis, Catharina Bononiensis, Agnes Politiana, Hildegardis Spanheimensis, Angela de Fulginio, Theresia* de JESU, Sequuntur alii minus noti. Sed præ omnibus illustris fuit Beatiss. Virgo MARIA, de quâ agitur Exercit. III. Comment. IX. Et *Apostoli*, de quibus Commentat. XV,

§. IV. MANE *surgendum, orandum, ædificandum.*] De his integri sunt libri magistrorum pietatis, & pro Sodalibus editi.

Diluculare.] est mane aliquid agere, *Diluculum*, quasi patva diei lux: ante solis ortum aurora. *S. Hieronymus* ad Eustoch. Horam tertiam, sextam, nonam diluculum quoque & vesperam nemo est, qui nesciat. Cic. pro Rosc. primo diluculo. *Dilueulò* adver. summo mane, ante lucem. *Diluculo*, idem, quod diluculum fieri. Gell. Die crastino, ubi primum dilucabit, fac amicos adeas. *Diluculascit*, diluceseere incipit. David psal. LVI. 9. *Exurgam diluculo.* Job. I. 5. Consurgens diluculo offerebat. MANE Macrobius I. Saturn. putat dictum à manibus, quod exordium lucis à partibus inferioribus emergat. Varro à manando quod cum sole manet dies ab oriente. Hinc Manii & lucii, qui nati mane & Luce,

MANICARE. Lucæ XXI. 38. *omnis populus* manicabat *ad eum in templo, audire eum.* Græcè est ὠρθρίζε, id est, mane veniebat, mane itabat; Emmanuel Sà censet legendum, manitabat. Sed Roman, apud Lucam & alibi constanter legunt, *manicabant.* Sicut enim à Græco ὄρθρον dicitur ὀρθρίζειν, sic à Latino *mane* dicitur *manicare. Mane* enim *clarum* veteres dicebant. ait Non jus. Servius autem, *Manum:* inquit *antiqui bonum dicebant, unde & mane dicitur. quid enim melius?* Mane vigent sensus; ideò mane, quasi optima & prima pars diei Deo est danda. Lege Maldonatum, Cornelium, & alios in lucam.

Cum Pagnino, Novatores plerique reprehendunt interpretem usurpantem verbum *manicare.* Sed ejus defensionem suscepimus in GRAMMATICO PROFANO Commentatione IX, ubi fusius de eo, ac similibus vocabulis, contra Grammaticum Novatorem.

SERMO II.

SITUS
Domus Sapientiæ.
ORIENS.

Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio. LXXta.
Ad Orientem. Genes. 11. 8.

ARTICULUS I.
ORIENS

Accommodatissimus est ad Domum Sapientiæ alicubi Ædificandam, Situs.

IS Principi Architecto placuit, qui imaginem quandam istius sui DOmicilii, Hortum volùptatis, quem Paradisum vocamus, plantavit ad orientalem cæli plagam. Quod enim nos in Genesi legimus, *plantavit à principio*, LXXta. Interpretes vertunt, *ad Orientem*. unde doctissimus ævi nostri interpres (*a*) scribens in Genesim, existimat, certum esse de fide, quod Paradisus fuerit locus corporeus situs in parte aliqua terræ nostræ versus Orientem. Qua persuasione imbuti, S. Chrysostomus, Theodoretus (*b*) & Damascenus, (*c*) docent Christianos orare ad Orientem, ut recordentur Paradisi è quo per peccatum pulsi sunt; atque anhelent ad Paradisum cælestem, cujus ille terrestris fuit typus & imago. Est autem idoneus admodum situs ille pro Sapientiæ Cultore,

(a) *Cornel Gen.* 2. 8. (b) *in Genes.* (c) *lib.* 4. *de fide cap.* 13.

re, ut de multis ex eo admonea tur, quæ usui futura illi sunt, & interdum, certis temporum ac locorum circumstantiis, necessaria. Imprimis enim notum illi esse debet, ut præscribit ipsa Sapientia in libro, ejus nomine, ac titulo exornato cap. XVI. 28. *quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam*, DEUS, *& ad ortum lucis Te adorare.* Monetur exemplo Hebræorum, qui in deserto, quoniam manna, Sole incalescente liquescebat, necessariò ante ortum, vel ad ortum Solis, colligere illud debebāt, vt præueniat Solem, ad benedictionem DEI accipiendam, qualis erat manna, & vicissim illi reddendam per gratiarum actionem. Monetur, vt summo manè ad ortum lucis DEVM laudet, adoret, & inuocet, ne sit ingratus. Nam vt sequitur, *Ingrati spes, tanquam hybernalis glacies tabescet : & disperiet, tanquam aqua superuacua.* Monetur igitur, vt si piger sit. & ingratus DIuinæ oblationi, quâ manè ad se vigilantibus & orantibus offert gratiam, æquè ac Hebræis manè offerebat manna, non speret posteà post somnum, & inertiam se repertu-rum, quod socors neglexit. Exemplo sint Hebræi, qui stertentes fallebantur : cùm post ortum Solis manna quærebant, nam reperiebant illud Solis radijs liquatum. Siquidem manna liquabatur vt glacies in hyeme, Sole incalescente colliquescit & tabescit, hoc est, in vaporem abit & euanescit.

DISCAT Sapientiæ studiosus ad ortum lucis adorare lucis auctorem, aut, vt est in Græco ἐυσυγκάνειν occurrere, aspirando, supplicando, interpellando. Si enim DEVS tam est beneuolus, tamq; diligēs, vt primo mane māna ac gratiā offerat, decet sanè vt illius gratiam gratè beneficij particeps excipiat. Offerat ante Ortū Solis, vel ad ortum saltem primitias DEO cogitatuū, verborum, operum. Hoc feciſſe Regium Psaltē notat S. Chrysostomus exponens illud psalmi v. *Mane exaudies vocem meam.*

Ab initio, inquit, *dicit Dauid dabat* DEO *primitias, Oportet enim ad gratias illi agendas Solem præuenire, & ante ortum lucis interpellare. Tu quidem in Imperatore non patiaris, in eo, qui tibi inferior, ante te adorare: nunc autem Sole oriente ipse dormis, & cedis primum locum creaturæ, nec omnem creaturam præuenis. quæ propter te facta est: nec ei agis gratias; sed cùm surgis manus & faciem lauas, animam autem immundam negligis.* In eundem Psalmum S. Athanasius: *Magnum certaminis decus, à lecto ipso* DEO *sistere seipsum, & prævenire in gratiarum actione Solem.* Idem Iudæis omnibus præscribebat Sapientissimus eorum legislator Moses, commendans, an non etiam mandans? Legis Diuinæ meditationem matutinam ante lucanam, hoc est, orationẽ mentalem, quæ semper vocali præmittenda aut copulãda est. *Meditabor in eis,* (præceptis, mandatis, iustificationibus Domini) *dormiens atque* CONSVRGENS, Deuteron. VI. Quod quilibet sibi dictum existimet Sapientiæ cultor maximè profectò, hinc ortum esse vsum in bonis Christianis, existimat eo loco Episcopus Abulensis, vt cùm primum lecto surrexerint, mox à Dei laudibus incipiant orationem tum vocali tum mentali. DEO causſæ primæ, auctori naturæ & gratiæ, donatori bonorum omnium, vt dicta omnium quæ in illo perficientur debentur primordia, vt Sancti, Basilius, (*a*) Ambrosius, (*b*) Dionysius, (*c*) docent. Quod si præstetur, felix dictorum operumque sperari potest exitus, defectuumque, & multo magis criminum euitatio. *Surgentibus nobis ad laudes* DEI, *omnis exinde tenor operis nostri in ipsius laudibus formatur & vitiosa tur*, vt obseruat S. Bernardus (*d*) B. Ephrem verò hæc adiungit (*e*) *Si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.*

Hoc

(a) In regul. fus. resp 37. (b) in psal. 118. ser. 19. n. 4. (c) lib. de ministerib. diuin. c. 3. (d) de vita solitar. (e) tomo 1 ser de orand. Deo.

Hoc etiam suadent Domus Sapientiæ custodes semper vigiles, Angeli, quibus ea cura, vt laudent quotidie DEVM, qvasi ASTRA MATVTINA (a) Quoties audiuisti, (b) fortasse non absque sarcasmo, *Vbi eras*, nempe in strato, inter plumas, in culcitra, (c) *cùm me laudarent simul Astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* *Ecquid beatius*, exclamat S. Basilius ad suum Nazianzenum, (erat autem vterque summus, vt Sapientiæ, sic matutinæ precationis amator, simulque solitudinis & vigiliarum) *quàm hominem in terrâ concentum Angelorum imitari? ineunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis Creatorem venerari? Grave est*, ô cliens Sapientiæ vt verbis te horter vigilantissimi Antistitis Ambr. *si te ociosũ in stratis Solis oriẽtis radius inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Occurre ergo ad Solis ortũ, ne lumina tua primus diei fulgor exagitet.* Tum diuertit aliquãtisper sermonem ad Christum, qui *Sol* est *Iustitiæ*, & hominibus *Oriens ex alto*, ac subnectit: *Si hunc Solem præveneris, antequam iste surgat, aspicies Christum illuminantem. Ipse prius in tui cordis illucescet ârcano: iterumque dices ad eum: Exitus matutinos, & vespere delectabis.* Addamus illa Dauidica, dulciora Sapientiæ Alumno super mel & fauum. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* (d) *Memor fui tui super stratum meum in matutinis meditabor in Te.* (e) *Domine, mane exaudies vocem meam: mane adstabo Tibi, & videbo.* (f) *Exaltabo mane misericordiam tuam.* (g) *Mane oratio mea præueniet Te.* (h) *Qui mane vigilant ad Me*, dicit Sapientia ipsa, *inuenient me.* (i) quid præterea? quæ mecum sunt: *Mecum* autem *sunt*, adiungit. *Diuitiæ & gloria.*

THERAPEVTAS laudat Philo Hebræus (k) quod

(a) Iob XXXVIII. 7. (q) Epist. 1. ad Nazianz. (c) in Psal CXVIII. Ser. 19. (d) Psal. LXII. 1. (e) vers. 7. (f) Psal. v. 4. (g) Psal. LVIII. 17. (h) Psal. LXXXVIII. 7. (i) Prover. VIII. 17. (k) Philo lib. de vita contc mpl.

quotidie bis precari essent soliti, mane, ac sub vesperam Oriente Sole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cælesti repleantur lumine. Esseni, inquit Iosephus, (a) & ipse Hebræus historicus, *ante ortum Solis nihil profani loquuntur, sed* (nempe, Solis auctori DEO) *patria quædam vota celebrant, quasi vt oriatur precantes.* Iudæis quoque solenne erat quotidie mane offerre iuge sacrificium. Antiquissimos illos Christianos, qui Traiani tempore floruerunt antelucanos egisse cœtus, tanto concursu fidelium, & admiratione Gentilium, vt Prouinciæ Præses iudicaret rem dignam, quæ ad Cæsarem referretur, constat ex Plinio ad Imperatorem illum epistola. Mansitque consuetudo in posteris: sed apud Monachos potissimum de quorum hymnis matutinis ad galli cantum differit Chrysostomus commentario in 1. ad Timotheum. Christianis quoque habuit, sed proximè à Mammæ matre, eorum discipula ac fautrice, Alexander Seuerus Imperator, quod manè in lalario suo rem diuinam faceret, vt Lampridius refert. Quid ergo mirum. Imperatores Regesque Christianos, fuisse tanquam Præsidem Sapientiæ, matutinos Numinis salutatores adoratoresque? De Theodorico Gothorum Rege scribit Sidonius Apollinaris lib. 1. epist. 2. *Antelucanos suorum Sacerdotum cœtus minimo comitatu expetebat quotidie, & grandi sedulitate venerabatur.* Similia de alijs Principibus nostrorum quoque temporum suis locis opportunè narrauimus.

Itaque ob hæc & eius generis plura Domum Sapientiæ ad Orientem locamus.

(a) lib. 2. belli cap. 7.

ARTI

ARTICULUS II.

SITUS DOMUS SAPIENTIÆ.

Ad Orientem, est munijs Cultoris Sapientiæ perquam idoneus,

DE Oratione matutinâ & adoratione propria Studiosi Sapientiæ diximus aliqua, sed nunquam dicetur satis pro materiæ amplitudine, & officii necessitate. Illud itaque addatur, orandum illi, non tantum, quod philomela solet, mane in aurora, sub ortum solis, sed etiam conversо ad Orientem, seu ad Orientalem mundi plagam vultu. Quod olim facere consueverant Christiani ex Apostolicâ traditione, ut docet S. Basilius (*a*) & Anastasius Nicænus. (*b*) Et ideo Templa quoque sua constituebant ad Orientem, ut tradit B. Isidorus, (*c*) quod Clemens ab Apostolis etiam manasse scribit. Immò, Lucianus, Hyginus, & Latinus Pacatus (*d*) idem fecisse Gentiles prodiderunt. Denique Vitruvius, (*e*) ubi de Sacrarum ædium positione tractat, jubet ædis signum, sive statuam in ara positam occidentem spectare, ut templum adeuntes, & ad altare accedentes spectent Orientem.

AT, cur Sapientiæ divina fiduciarius cliens, precum, aut etiam studiorum tempore, ad Orientem se vertat & in eâ plagâ Domum construat? AN quia Ortus mundi pars est nobilior ac honoratior, ideoque adorationi DEI & officijs Sapientis est accommodatior? (*f*) Ab oriente lux & Sol oritur, & oriens non raro pro luce sumitur: lux autem & Sol imagines quædam sunt DEI sapientissi-

(*a*) l. de Spir. S. cap. 27. (*b*) Q. in SS. q. 18. (*c*) l. 15. (*d*) Panegii d Theod. (*e*) lib. IV. cap. 5. (f) 8. *Iustinus lib. quæstion q.* 118. *S. Dionys. Eccl. hierar. par. 2. cap. 2. S. Cyrill. Catechesi, 1. myst.*

entissimi, illustrantis omnia sed potissimùm intellectus sibi addictorum. Huc spectat antiqua ceremonia baptismalis, ut Diabolo renunciaturus, ante ablutionem, Occidentem versus statueretur sicque positus tertio renunciantis verba proferret; idemque postea Christum D. confessurus ad Orientem conuersus id totidem vicibus faceret. Nimirum, ut Occidens est tenebrarum, ita oriens luminis est hieroglyphicum: immo, fons lucis, indeque illustrationis. An, quia decet Sapientiæ discipulum, Solis etiam illius visibilis, qui invisibilis est symbolum, beneficium agnoscere, cùm is ad Dei nutum toti mundo, sed in eo, homini præcipue, & manè vigilanti, lucem, calorem, hilaritatemque oriens adferat, sicque Deo Sapientiæ Patri matutinus gratias agat. An, quia prima Sapientis patria, primaque domus fuit in parte orbis orientali? è qua in Adamo pulsus, illam continuò contempletur, ad illam suspiret, & cum ad illam redire nequeat, aliam ejusdem denominationis inquirat Paradisum cælestem. sic Daniel faciem ad Templum Jerosolymitanum, ad quod in Babylone exul aspirabat orans convertebat. An, ut Christum Sapientiæ suæ scaturiginem, immò ipsam Sapientiam, in Cruce pendentem veluti cathedra dicentem iugiter ob oculos habeat, & dicta ejus excipiat? Siquidem Christus Crucifixus respiciebat Occidentem; nam dorsum obuertebat Ierosolymæ & Orienti, faciem verò convertebat ad Occidentem. Itaque conversus ad Orientem, Christum Crucifixum respicit, illique quodammodo occurrit. Siue ergo legat, siue scribat, siue aliquid aliud faciat, Crucifixum Dominum, velut Magistrum Doctoremque unicum suum intuetur. An, quia, ut Christum ascendentem in cælum, & Judicem inde venturum

(a) Damas. lib. IV. de fide cap. 13. Cyrill. Catech. 1. mystach. S. Basil. S. Nyssen. apud Moysem Barcepha lib. de Parad. p. 1. cap. 14.

rum, adoret, colat, ac metuat, judicii futuri memor, ne peccet in Domo Sapientiæ? Certè, Christus ascendens in cælum ad ortum efferebatur, ibique adoratus est à Discipulis, & sic inde venturus est ad judicium, quemadmodũ ascendẽtem ibidem in cælum conspexerunt Apostoli, juxta illud Zachariæ XIV. *Stabunt pedes ejus in die illa supra montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Unde bonorum omnium cum Davide illud erat votum, *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius.* Psalmo CXXXI.

ADORAMUS *ad Orientem*, inquit vetus auctor sub Anastasii nomine, *quia Deus est lux vera, eamq; ob causam ad lumen conversi creatum istud, non creatum illud lumen, sed eius luminis creatorem adoramus, & ex elemento omnium splendissimum creatorem* DEUM *veneramur.* Addatur, quod ex Oriente pater fidei nostræ Abrahã prodierit. Hinc Is. c. XLI. *Quis suscitavit ab Oriente iustum vocavit eum, ut sequeretur se?* Vocavit Abrahamum Deus ab Oriente, nempe, Mesopotamia quæ Orientalis est Palæstinæ ut sequeretur se: & profecto sequutus est DEUM Abraham vocantem cæca obedientia, *nesciens quo iret*, ut Paulus loquitur ad Hebræos XI. optima imago cultoris Sapientiæ. Nec malè, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, per Justum accipiunt Christum, qui à DEO hominibus est datus, quasi Sol quidam Iustitiæ ac Sapientiæ oriens in Oriente. Quemadmodum enim Sol Oriens mundum illustrat ac vivificat, sic Christus secundum Zachariæ vaticinium, *visitavit nos oriens ex alto* Zachar. VI. 12. & illustravit oriente luce divina, ad quod nobis eum oriri fecit Pater æternus. Quare inter propria Christi nomina est etiam Oriens. Illud quoque non omittatur, inter filios Jacobi Judam tabernaculum suum ad Orientem fixisse *Num.* 2. ut filiorum dignissimus, & Christiani populi figura illustris. Istud etiam in cæremonialibus veteris legis fuisse, ut

Sacer

Sacerdos tolleret de sanguine vituli, & aspergeret sep-
ties contra propitiatorium ad Orientem, ut est in levi-
tico. *cap.* XVI. Denique; ab Oriente prosiliunt radii sola-
res, corporibus humanis, plantis, domibus, quàm alium-
de salubriores. Unde in Oriente plantatus fuit Hortus
salubritatis, vitæ, ac voluptatis. Quid mirum, quod ad O-
rientem construamus Domum Sapientiæ, in qua per-
petuo sit Aurora musis amica, & apta studiis Sapientiæ

ARTICVLVS III.

Situs Domus Sapientiæ

Ad Orientem, ingenii ad Sapientiæ culturam accommodati indicium habet, vel spem præbet:

INGENIA quidem multa præstantia ac præclarissim
orbi dedit Græcia, & Græciæ ocellus Athenæ, tum
talia, & hujus corculum Roma: sed si Herodiano fide
ad Orientem omnes ferè mortales sunt ingeniis acer-
mi. Quod insinuatur in Divinis paginis libro Regu-
tertio capite quarto, ubi de prærogativâ Sapientiæ S
lomonis per comparationem: *Præcedebat Sapientia Sa-
monis Sapientiam omnium Orientalium*: ac si jam laudan-
diceremus, præcedit subtilitate ingenii & speculatio
altitudine omnes Hispanos, An fortasse id Orienta-
bus adscribendum quod propius à Sole absint? ut qu
dam opinantur, sicque magis excoctum habeant sa
guinem, unde spiritus subtiliores, quibus Occiden-
les destituantur. Acutè sane Dido, & ex hac persuasio
ad Legatum Æneæ:

Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni.
Nec tam aversus equos Tyriâ Sol jungit ab urbe.

Quan-

Quantum autem ſuperent aliarum regionum mortales, in Oriente nati educatique, præter alia, oſtendunt terum plurimarum inventiones, quæ ad artes & ſcientias pertinent, atque excellentius quoddam ingenium requirunt, in Oriente factæ. Oriens primos fabros & malleatores in cuncta opera æris & ferri dedit, Geneſis IV. celebratur eo titulo Tubalcain inventor artis fabrilis. Oriens primos citharædos, ac muſicos protulit, quorum princeps Iubal, *pater canentium cithara & organo* Geneſis IV, id eſt, inventor & auctor organi & citharæ, unde à Jubal, qui fuit jubiloſus, jucundus, & jovialis, veniſſe nomen *Iubilum*, & verbum *Iubilo*, etiam ad Latinos, putant aliqui. Oriens primos navium, verbium, turrium artifices, & artificum magiſtros in lucem edidit, & prouexit, Quod majus eſt, Oriens primas litteras, quibus nihil magis admirandum, nihil magis neceſſarium, nihil magis jucundum Sapientiam colentibus accidere potuit, earumque inventorem orbi ſubmiſit. Is fuit Enoch, Sapientiæ, ſi quis alius, alumnus, *qui ambulavit cum Deo*: *Gen. v.* 22. Nunquam à diluculo ad tenebras, nunquam in tenebris ipſis â DEO avulſus, Deum ſemper præſentem pro oculis habens; cum Deo, ut ejus Sacerdos, aſſidue precibus, ſacrificiis, ſacrisque actionibus agens, illi per omnia obſequens, cum illo colloquens, ilius opem continuo implorans. Illum litteras inveniſſe pluimorrum eſt aſſertio: ſcripſiſſe autem Divina quædam, eſt certum ex iis, quæ citat Judas Apoſtoſtolus in ſua epiſtola; quamuis ejus liber interierit, Siquidem ille. quem viderunt S, Hieronymus, Auguſtinus, Origenes Tertullianus ſuppoſititius indicatur & apocryphus. Oriens Magiam naturalem, licitam, bonamque docuit. Et ſane, Chriſto nato Magi ab Oriente venerunt primi Sapientiæ incarnatæ adoratores, & humani

ni generis ad Redemptorem omnium legati. Denique Adam & Eva ingeniosissimi & rerum omnium peritissimi nati fuerunt in Oriente. Videte qualem Situm regiæ suæ elegerit SAPIENTIA.

ARTICULUS IV.

SITUS DOMUS SAPIENTIÆ

Ad Orientem, felicitatem portendit.

EX Situs Domus Sapientiæ, eam ingredientibus, ibique sacris operantibus (nam & Templum est) felicia omnia spondere ausim, veterum sequutus placita, Siquidem Oriens, mundi pars dextera censetur, & ita illam habet Philosophus, probatque, quia inde motus initium. Dextera autem felicitatis est symbolum. Ad felicitatem suam referebat quidam aviculæ ad dextram volatum.

Evenient, dedit ipse mihi modò signa futuri
Phœbus & à leva dextra volavit avis.

Superstitiosum hoc, non istud, quod mandabat suis piscatoribus Christus *Ioan. xxi. 6. Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis*: respondit eventus, *Miserunt* enim, *& iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Dextera in sacris Christianis vitæ æternæ significationem habet: *Delectationes in dextra tua usq; in finem*: cantabat David *Psal. xv.* 10. In judicio extremo destinati ad vitam æternam, boni dexteram, addicendi pœnis sempiternis sinistram Christi occupabunt *Matt. xxv. Vias quæ à dexteris sunt, novit*, id est approbat, & remunerat *Dominus.* Proverbior. IV. Et sane veteres Theologi eam inesse vim in Dei dex-

dextera intellexerunt, vnde pulchra, grata, lætaque omnia provenirent. Hoc indicat toties nominata in divinis libris Dextera felicitatis index. *A dexteris est mihi ne commovear.* (a) *Dextera tua suscepit me.* (b) *Brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua* (c) *Astitit regina à dextris tuis* (d) *Exaltetur dextera tua.* (e) *Adstitit à dextra pauperis* (f) *Dextra Domini fecit virtutem. Dextra Domini excitavit.* (g) *Longitudo dierum in dextra ejus.* (h) Regnum quibusdã spondere visus Oriens, quod multis imperiis regnisque splendissimis claruerit. Ad Regnum aspirat Sapientiæ Amator; sed non, quod est de hoc mundo, regnum fragile, breve, finiendum; verum ad alterius vitæ, constans, immobile, sempiternum.

(a) Psal. xv. 6. (b) Psal. xvii. 36. (c) Psal. xliii. 4 (d) Ps. xliv. 10. (e) Psal. lxxxviii. 14. (f) Ps. cviii. 31. (g) Ps. cxvii. 16. 17. (h) Prov. iii. 16.

ARTICULUS V.

Situs Domus sapientiæ.

Ad Orientem, deliciarum, divitiarumq; abundantiam, & bonum omne pollicetur.

Oriens abundat deliciis, quarum abundantiam in Domo Sapientiæ consideramus, non corporalium, sed spiritualium, argumento tamen sumpto, & analogia ducti à corporalibus, quibus gaudet Orientis regio ob pinguem fertilemque tellurem. Odores & aromata, quæ iucundissimè sensus afficiunt, & conducunt ad sanitatem: myrra, thus, cinnamomum, piper & ejus generis plurima unde copiosius ad alias mundi plagas apportan-

tantur, quàm ex Oriente, ubi vis Solis est efficacior? verum est, alibi etiam provenire aromata nonnulla, sed nullibi tanta copiâ, tamque fragrantia, quàm in Oriente, tum è soli, tum è cæli constitutione: Siquidem signa cæli orientalia, fortiora censentur, quia ignea & prima. Persarum orientalium eæ fuerunt deliciæ, ut Alexandrũ antequam lustraret Orientem invictissimum militem, & ad durissima toleranda assuetum, enervaverint, & victorem orbis victis penè subjecerint, ut Capuanæ amœnitates ferum antea atrocemque Annibalem. Sed nihil magis hoc confirmat, quam quod Deus delitiosissimum hortum voluptatis plantaverit in plagâ Orientali Eden, qui locus aptissimus videri potuit, quia deliciosissimus, & omni genere voluptatum affluens: Immò, ipsum nomen *Eden* (a) delicias sonare, auctor est erunditissimus Masius: vnde Græcos suum τρυφὴν formasse sunt qui putant.

In eodem Situ Deliciis sunt conjunctæ Divitiæ. Unde enim lapides pretiosi, vnde aurum, unde effodiuntur opes irritamenta malorum uberius, quam in Oriente? Unde aduchuntur leones, elephanti, tigres, aliæque vestitatis ac feritatis ejusdem belluæ: quæ nobis visæ voluptati sunt, magistris suis & formatoribus maximo lucro? unde rara ideoque cara & preciosa absque numero? ex Oriente. Denique, ut ab Aquilone panditur omne malum Jeremiæ 1. ita fere ab Oriente omne bonum. An fortasse idcirco Christus Dominus, qui solus Bonus, & quià Deus, omne Bonum, in Litteris divinus nominatur Oriens? *Visitavit nos* Oriens *ex alto*, Lucę 1. *Ecce vir* Oriens *nomen eius*. Zacharia VI. cujus justitiæ & Sapientię lumine, nostræ injustitiæ ac inscitiæ nox illustratur. Ave ô Oriens, Ave. Orere nobis, ad orientem Sa-

(a) *Eden delicia Andr. Masius ad Barcepham de Paradiso. par. 1. c. 16*

Sapientiæ Domum ædificantibus. Orere, & illumina omnes, qui in tenebris & in umbra mortis commorantur.!

NOTÆ.

§ 1 ORATIO *ad Orientem.*] Jacob Patriarcha Geneſis XLVII. 31. moriturus *adoravit* DEUM *converſus ad lectuli caput.* Quare? quia illud erat ad Orientem, quo ſe vertere ſolent adorantes: & cujus rei cauſſa altaria ad Orientem extruuntur. Lyranus addit, quia caput lecti erat verſus terram promiſſam, ad quam orantes ſe convertebant, cum extra illam erant, ut conſtat Daniel, VI. 10. & lib. III. Reg. VII. 44. *Abulenſis* in Geneſ. XLVII. *Ribera* in Epiſt. ad Hebr. cap. XI. Numeror. II. indiſtributione caſtrorum duodecim Tribuum, præſcribitur: *Ad Orientem Iudas figet tentoria.* Cur? An quia Oriens eſt locus digniſſimus, qui debebatur Judæ Principum eminentiſſimo? An quia ex Iuda ortus eſt Chriſtus, cujus nomen Oriens?

§. 12. ESSENI.] De his accuratè Nicolaus Serarius lib. 3. Trihæreſium, ubi eorum diſciplinam, mores, & cum his connexa explicat. De oratione ad ortum Solis hæc habet ex Joſepho Priuſquam Sol oriatur profani quidquam loqui nihil audent, ſed patrias quaſdam ad Solem ipſum preces dicunt, veluti ſupplicantes, ut oriatur verum. Eſſenos non vere ac propriè Solem præcatos, ſed ſolum Solis auctorem ac moderatorem DEUM, Serarius bene ſentit: hymnos tamen quoſdam dixiſſe, in quibus per proſopopœiam Solem, ut felix fauſtusque oriretur omnibus appellarent, ad eum modũ quo Danielis tertio ſancti tres pueri *Benedicite Sol & Luna Domino*, ac David. Pſal. CXLVIII. *Laudate eum Sol & Luna.* Aut verò ad Solem preces dicere non fuit aliud, quam verſus Orientem precari, ſeu converſo ad ſolem vultu. Fieri etiam potuit. ut è materiato Sole mentem ſuſtulerint altius ad verum æternumque Solem, qui eſt DEUS. Quomodo canit Eccleſia.

Lux lucis & fons luminis. Dies diem illuminans.
Veruſq; Sol illabere, Micans nitore perpeti.

Gentiles ſolebant Diis primam horam nunciare, quaſi iis matutinæ, & primæ ſalutationes eſſent gratiſſimæ. Iidem fores principum mane obſidebant, ut egredientibus obviam prodirent, ac

ſalu-

salutem precarentur. Quod multis exemplis firmat Pineda Job. xxxi. 36. num. 9. S. Hieronymus de quibusdam, quos Ezechiel cap. viii. arguit: Adorabant ortum Solis, eo quod contempto Domino, id est, creatore adorarent Solem, id est, Domini creaturam. Inter quos fortasse recensendus Pythagoras, qui Solem, Lunam astraque cetera Deos autumabat, ut habet Laertius. Nonnulli rudes Christiani ac Priscillianistæ hæretici Solem orientem adorabant, quos redarguit S. Leo Sermone vii. de Nat. D. *De talibus*, inquit, *institutis* (Priscillianistarum videlicet) *illa etiam generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Christiani adeo religiose se facere putant, ut priusquam ad B. Petri Basilicam, quæ uni* DEO *vivo & vero est dedicata perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conversi corpore ad nascentem se Solem deflectant. & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam forte creatorem potius pulcri luminis, quam ipsum lumen, quod est Creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab huius modi specie officii.* Hæc S. Pontifex anxiè, ne quid commune cum Priscillianistis, atque Gentilibus haberent fideles. Consule Baronium tom. 1. Annal. Eccl. Anno Christi 58. num. 86.

§. III. AVES diluculo cantillant ac Philomela nominatim suavissima sua melodia Solem prævenit, ac venientem quasi allicit, & salutat. Sic fideles mane Solem justitiæ suis hymnis ac precibus salutent Sacerdotes maxime ut volucres cæli, & auroræ Philomelæ, sed & Cicadæ noctium, ut Eustochio commendat S. Hieronymus, & ut talis sit, desiderat: nimirum, orans adoransque DEUM *dormiens atque consurgens*, ut habetur Deutronomii vi. 7. id est, dum cubitum concedis, seu cubas, & summo mane surgis.

(*)

SER-

SERMO III.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sensu Grammatico, Litterali, Historico,

TRICLINIUM.

Sapientia ædificavit sibi Domum: excîdit columnas septem
Proverb. IX, 1.

ARTICULUS I.

TRICLINIUM. REFECTORIUM. COENACULUM.

VT Domus, quam ædificasse dicitur SAPIENTIA, habeatur exacta notitia, necessariò examinandum est, quid per Domum Sapientiæ intelligatur? Sic enim ad quæstionem, An sit? & Ubi sit? si alicubi est, atque Ubi extrui debeat; si fortasse in alicujus fundo nondum sit erecta, facilius, & sine ambagibus respondebitur. Sunt autem variæ diversorum Sapientum de hac Domo sententiæ, quas compendio referam, ut ad illam, quam uberius declarabo deinceps pronior fiat aditus Principiò itaque, si litteram spectemus, sive sensum litteralem, qui fundamentum esse debet reliquorum subsequentium, haud malè sentiunt, qui arbitrantur, GRAMMATICE, sive litteraliter, DOMUM SAPIENTIÆ designare, non integrum aliquod ædificiũ, suis cum contignationibus, aulis, cubiculis, cellis, conclavibus, horreis, similibusque receptaculis, quæ juncta parietibus, sub uno tecto DOMUS La-

tinis dicuntur, vel *Ædes*, sed certam quandam ædium partem. Quam verò illam? Quæ sumendo cibo, & celebrando convivio destinata, olim *Triclinium* dicebatur à tribus discubitoriis lectis mensam cingentibus, ita, ut stratori puerοque à poculis quartum mensæ latus esset liberum, ac reliquum: nunc, à reficiendo cibis corpori *Refectorium* nominatur apud Religiosos. In eo ferè tres mensæ sternuntur, vel, si plures, tria tantum domus latera occupant, Itaque sensus est: *Sapientia ædificavit sibi Domum*, id est, aptavit amplissimum Triclinium, ad instruendum lautissimum convivium, ad quod sibi dedit devotosque asseclas, ac suistudiosos invitet, ut in eo sumat nempe Sapientiæ ferculis, quæ sunt dogmata, monita, præcepta benè vivendi, & salutis consequendæ auditores suos erudiat, hospitesque exhilaret cum fructu.

Qvia enim paullò ante Salomõ, quod observat Cajetanus, & Jansenius, descripserat illecebras ac domum convivii, à meretrice, id est lasciviâ, seu voluptate apparati, ad quam illa juvenem nitidum & ingeniosum invitarat, ut perverteret, ac in exitium præcipitaret, idcirco ut eidem benè consulat, & abductum à fallacissimæ meretriculæ Voluptatis deliciis, transferat ad studium Sapientiæ, inducit Sapiẽtiam adornantem aliud Triclinium, & instituta comparatione, Triclinio ac convivio Voluptatis opponit, & anteponit Domum convivii, sive Triclinium à Sapientia extructum, verisque instructum deliciis. Sequitur invitatio, non unius tantùm illius Juvenis, sed omnium illi similium. Nam mox mittit *ancellas suas, ut vocaret ad arcem & ad mœnia Civitatis* quam Sapientia inhabitat. *Si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus loquuta est. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam & vivite & ambulate*

bulate per vias prudentiæ, Quibus omnes conatur à meretrice Voluptate avocare, & ad sui amorem, studiumque ac per hoc ad animæ salutem procurandam, verarum cultu virtutum, traducere. Accedit, quod Salomon toto illo libro Proverbiorum Sapientiam inducat, per fictionem personæ Oratoribus usitatam, differentem coram suis graviter simul ac jucunde, de omni pene virtutum argumento, parabolice, ænigmaticè, allegorice. Quo circa, ut tot dissertationum initium venustè daret, commodius facere non potuit, quàm designare locum, eumque delineare, ac depingere, in quo illæ sunt habitæ.

ARTICULUS II.

DISSERTATIONES CONVIVIALES.

Mos Hebræorum in Tricliniis convivando differere, moraliter, parabolicè, ænigmaticè.

OBSERVO. Solitos fuisse Hebræos à majoribus suis in lege DEI versatis benè eruditos, convivia sua condire, non inanibus fabulamentis, non scurrilibus sarcasmis, non absentium detractionibus, non mutuis præsentium insectationibus, non verborum pugnis, aut verberum: non murmurationibus de præsenti rerum statu, non querelis de Imperatore, Rege, Principe aut Magistratu civili, vel Ecclesiastico, non infamationibus hominum DEO Sacratorum, non criminum, quæ audita de aliis, vel visa narrationibus, non propriorum, sive verorum, sivè fictorum gloriationibus: non inconditis clamoribus, velut puerorum, non immodicis cachinnis, ut insanientium, non acerbis concertationibus, tanquam

ganeonum: multo minus juramentis, blasphemiis, Da-
monum ac dirarum imprecationibus. Quæ, & his ge-
mina, prô dolor! hoc tempore, sunt apud plerosque con-
viviorum condimenta. Ut iis interesse pigeat pudeat-
que hominem mandatorum divinorum amantem, nec
salutis suæ prodigum. An fortasse, idcirco S. Augustinus
imitatus S. Ambrosium, invitatus in suâ patria, ire recu-
sabat ad convivium ? Sic narrat Possidonius in vita
cap. 27. At, ut ajebam, OBSERVO, Consuesse Hebræ-
os suis in tricliniis, tanquam Sapientiæ gymnasiis con-
vivia condire ad mores accommendatis præceptis, a-
cutis, vellicantibusque sententiis, parabolicis gnomis
problematis elegantibus, ænigmatis, griphis, & simili-
bus intricatis implicitisque sermonibus; quibus inter-
conferendo, & nunc proponendo, nunc respondendo
nunc aliquid ingerendo, nunc opponendo, nunc, quod
dictum erat, roborando, nnnc novi aliquid commini-
cendo, suavissime tempus traducebant.

ERAT autem istiusmodi sermonũ genus, si lubet ac-
curatius dividere, triplex. *Primum* continebat Præcepta
moralia. *Alterum*, sententias acutas, argutasque, & dicti
ingenium exacuentia. *Tertium*, ænigmata, &, quæ eo-
dem referri possent, eruditæ mentis fictiones. De pri-
mo genere accuratè præcipit Ecclesiasticus capite XXXII.
à versiculo IV. vbi moratos sermones in conviviis ha-
beri debere edicit: sententias autem morales, gravesque
& dicere, & audire vicissim, modeste proferendo, &
patienter excipiendo suadet: denique, modum ordi-
nemque seruandum, ne sequatur confusio præscribit.
Loquere, inquit, *major natu: decet enim te primum verbum di-
ligenti scientia.* Pergit deinde serie continuata metho-
dum complectens jucnndè differendi ac utiliter inter
epulas, monens, ne impediatur exhilarans musica. De

gene-

genere altero, quod continet acutas salsasque sententias nonnulla proponit Salomon Proverbiorum XXIII. Ubi appellat illas *Pulchros sermones*: & inter reliqua dat hoc præceptum: *Ne comedas cum homine invido, neque desideres cibos ejus: quoniam in similitudinem arioli, & conjectoris æstimat, quod ignorat, cibos, quos comederas, evomes: & perdes pulchros sermones tuos.* Sensus præceptionis est: Non esse epulandum cum homine, quem torquet invidia, quod is quamuis stupidus & ignarus, si dicatur quidpiam acutum & ingeniosum, haud secus ac si penetraret singula, de iis desierat, atque instar arioli, multa effutiat inepta & inania. Atque ita fit, ut doctus & prudens eruditos sermones suos, tanquam margaritas ante porcos projiciat, nullum inde fructum ferens. Tertii generis exemplum illustre est in historia Sampsonis, Judicum XIV. Ubi intra septem convivii nuptialis dies, Philisthæis proposuit problema, sive ænigma, vel griphum illum edisserendum, *De comedente exivit cibus & de forti egressa est dulcedo.*

ARTICULUS III.

Sententiæ Epulares Festivæ.

Mos Græcorum, Latinorum, aliarumq; Gentium, in Tricliniis inter epulas proferendi sententias festivas & ingeniosas.

Non tantùm apud Hæbræos fuit in usu disserere in conviviis, sermonibus elegantibus & obscuris, verum idem mos obtinuit apud Græcos & Latinos, immò, in omnibus bene institutis Rebuspublicis. De Græcis satis constat ex Athenæo, qui volumen integrum scripsit de Dipnosophistis, id est, Cænis Sapientum: in

quo liber decimus penê totus est de convivalibus problematis, quæstiunculis, parabolis, proponendis, declarandis, definiendis. Cur autem id facerent antiquissimi illi Sophi, ita declarat, originem indicando: *Insita à naturâ omnibus hominibus scient æ cupiditas effecit, ut etiam inter epulas aliquid Sapientes aut docerent, aut dicerent libenter, aut didicisse se ostenderent.* Plutarchus quoque scripturus Symposiacalibro primo questione prima variis utitur argumentis, ut persuadeat, inter epulas esse philosophandum, nempe, haud morosè ac tetricè, sed jucundè acuta lepidis miscendo, & urbana academicis. Ut feciſſe Socratem memorant. Unde Socratici sermones, quibus convivæ, & se oblectabant, & ingenium acuebant. Clare Plinius junior libro tertio epistola duodecima. *Ad cœnam sed jam paciscor: sit expedita, sit parca. Socraticis tamen sermonibus abundet.* Platonis etiam-num legitur Dialogus, in quo de amore inter convivas in triclinio disceptatur. Unde convivii Platonici nomen. Ejusdem Philoso phi sermone convivales celebrantur. Conqueritur autem serio Macrobius lib. 7. Satur. cap. 1. quod paulatim Philosophia à Tricliniis conviviisque exularit, ex quo factum, ut alumnæ etiam ejus emanserint: Honestas nimirum, & modestia; nec minus cum Sobrietate Pietas. *Quam horum*, inquit, *dixerim minus venerabilem?* Addit: Ita fit, ut »ab hujusmodi cætibus relegatus matronarum talium »conscssus, libertas conviviorum solis concubinis, id »est, vitiis & criminibus addicatur. Ejusdem scriptoris est illud: *Non minus, quam dulcedo vini, hilarant verba convivium.* Et, *Crateri liquoris ad lætitiam nati adhibenda non modò Nympharum, sed musarum quoque admistione temperies.*

De Latinis testis est Quinctilianus lib. 1. Inst. & ante illum M. Tullius, tum Tusculanarum quæstionum primo

tum

tum libello de senectute, ubi laudat Romanos, quod accubationem epularem, quia amicorum & vitæ conjunctionem habeat Convivium nominarunt melius quam Græci, qui hoc idem, tum compotationem, tum concœnationem vocant, vt quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur. Quare epistola ad Pætum *Sapientius*, inquit, *nos quam Græci: illi* Symposia *aut* syndeipna, i.e. *compotationes, aut concœnationes: nos* Convivia, *quia tum maxime simul vivitur*. Quod dicit Cicero de Græcis, idem dicere potuisset de Hebræis, si nomen spectes: nam apud hos in vsu est, *Domus vini*, aut *compotationis*, loco convivii. Sic Ecclesiastæ VII ubi interpres Latinus legit: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*, Hebraicè est בית משתה *beth mischtheh, domum vini*, Arabicus vertit, *compotationis* : Græci reddunt οἶκον πότου Pollux nominat συμποτικὸν χώριον, συμπόσιον, quod communiter compotationem, aliquando tamen denominat & significat locum convivii. Itaque à bibendo tam Græcum quam Hebræum vocabulum est desumptum: sicut ab edendo eodem quidam derivarunt: nempe, quod in eâ sacrificantes edere consuescent, ut scribit Servius. Constat igitur, Latinos quoque morem habuisse in conviviis sermocinatione jucundâ, & ingeniosis dictis hospites & recreare & erudire. Eodem fine viros doctos adhibebant magnates, immò Imperatores. Cum inter suos conviuaretur Alexander Imperator, aut Ulpianum, aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas litteratas, quibus se recteari dicebat et pasci, ut refert Lampridius. Causas ejus moris habent Macrobius, Plutarchus, Athenæus, Gellius. Universalis est illa, utquando corpus suis reficitur ac recreatur epulis, animo non desint propriæ. Pretareà, ut vini ac epularum licentia compescatur docendi, discendique freno, & quid-

piam dignum doctis auribus proferendi cura. Adhæc, ut jucundius instilletur morum doctrina, & quæ sunt ejus generis alia: eadem verò tenacius etiam hæreant, quæ animadvertimus fieri tempore convivii moderati cùm animus est hilarior: & refectione temperanter peracta. An fortasse idcirco cælestis Magister noster, & in ultimi Cœnâ, ac Sacro illo suo convivio, & post illud longum habuit ad discipulos suos sermonem, & suavissimam de caritate dissertationē sententiis pulcherrimis pleniſſimā

Sed quoniam non est omnium, quamvis Sapientium apte disserere inter paropsides & pocula; & non nisi paucorum eruditione excellentium, confingere ænigmata, proponere parabolas, inducere problemata, introducta est apud Christianos postmodum, & quidem apud Religiosos in cœnobiis, monasteriis, collegiis ubique; apud Principes maxime Ecclesiasticos, alicubi denique apud viros doctos graveſque domicilio iunctos, multis in locis, lectio tricliniaria admensam, e Scripturis divinis, Patribus, historia varia, similibusque libris. Quam mirificè commendant Sancti Basilius (a) & Augustinus. (b) fructum inde quem decerpant uiri religiosi non satis deprædicare possunt. Imitentur alii. Se alterius forte exemplo vellent. accipiant. Carolum V Principem, Regem, Imperatorem, adhibuisse lectionem mensæ, eaque delectatum, & profeciſſe, referunt ævi superioris historici.

Sed desiderat fortasse quispiam paradigma alicuius dissertationis convivialis, in quâ more veteri de sententiis istiusmodi fuerit actitatum. Non occurrit sanè commodatius illo, quod est apud Plutarchum in convivio septem Græciæ Sapientum à quibus fuit disceptatum de Domo ipsa Sapientiæ, quid magis proprium no-

(a) Regul. brevi Reg. 130. (b) Epist. 109.

noſtro inſtituto? Sed per Domum intellige, non tam ædificium, conſtans ex parietibus & tecto impoſito, quàm, quæ in illo eſt. familiam, ejuſque conſtitutionem & Sapiẽtem œconomiam: de qua ita cenſuerunt Sophi illi ſententiis in diverſa vergentibus, Et quidem primus Solon dicebat, *Ea mihi optima videtur Domus ubi res eſt neque iniuſte parta; neque in ea conſervanda, diffidentiæ vel inſumendæ pœnitentiæ eſt locus.* Bias. *In quâ Dominus ſua ſponte talem ſe gerit, qualem foris propter leges.* Thales. *In quâ plurimum ocii Domino conceditur.* Cleobulus. *In quâ plures ſunt, qui diligant, quàm qui metuant Dominum.* Pittacus *In qua neque deſiderantur neceſſaria, neque requiruntur ſupervacanea.* Chilon. *Maxime oportet* Domum *urbi, quæ ſub Rege eſt, ſimilem eſſe.* Adjecit autem. Licurgum, *cuidam, qui popularе imperium Spartæ inſtituere ipſum iubebat, reſpondiſſe, Prius tu hoc Domui tuæ facito.*

ARTICVLVS IV.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Deſcriptio à Salomone facta Triclinio accommodatur.

ITAQUE ut ad caput diſputationis noſtræ recurramus, per Domum Sapientiæ, Senſu Grammaticali, ſeu ſecundum litteram, recte intelligitur Triclinium, ad quod Sapientia ſui ſtudioſos, & uel jam, vel poſtea futuros diſcipulos invitat, vt in eo, tanquam cum ſibi optatiſſimis, cariſſimiſque hoſpitibus diſſerat, iiſque moralia ſua præcepta, acutas argutasque ſententias ingenioſa ænigmata, jucundas parabolas. dum menſæ accumbunt, communicet: talibus enim ſcatet ab illo potiſſimum lo-

co

co Proverbiorum liber. Et sanè, quæcunque Salomon dum describit Domum Sapientiæ, commemorat bell Triclinio conveniunt. Imprimis rectè dicitur Triclinium *Domus*, Hebræorũ more, secundũ illorum idioma, quo locus quilibet ad comorãdum idoneus. vocatur Domus Sic canticorum II. inquit Sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, Hebraicè est, *In domũ vini*: nempe in cænaculum, ubi apparatum erat nuptiale sympositum. Ecclesiastici VII. *Melius est ire ad Domum luctus* (Syrus flendi) *quàm ad Domum convivii*. Litterali sensu, *Domus luctus*, & *Domus convivii* significare existimantur ab erudito interprete, in iisdem ædibus & sub eodem tecto diversi conclavia, sive loca, ex quibus unum destinatum erat je junio, pœnitentiæ, luctui: alterum convivio, & hilaritati Quasi dicat Sapientiæ Doctor: Melius, hoc est, profes sioni tuæ, si te Sapientiæ studio addixeris, magis est con veniens, tibique utilius, si conferas te ad conclave luctu ac jejunio deputatum, quàm ad cænaculum splendidi epulis instructum. Religiosus diceret: Melius est ire ad cellam, quàm ad aream; ad Sacrarium, quàm ad refe ctorium; ad domum capituli, quàm ad domum colloquii. Habuisse autem Hebræos in suis ædi bus, & Reges in palatiis, loca quædam remo tiora, & domesticis haud pervia, quæ magis fuerint te nebricosa, quàm reliqua domus habitacula, ideoque ad secessum, tempore luctus destinata videtur colligi, e illo secundo Regum XII. Ubi scribitur de Davide pr puero sibi dilectissimo ægrotante apud DEUM supplice ter agente, quod jejunaverit, & ingressus seorsim jacu erit super terram: nimirum, quod ad secessum luctui de stinatum, se contulerit, ibique solitarius hæserit. Ædi culam vocabant olim Latini, quæ erat cellula in ædibus *In ædiculam seorsum isthæc eat, iube* ajebat quidam apud Co micum

micum. Iidem dictionem τῶν οἴκων, ad domus partem referebant: & οἶκος, ac Latinis elementis, œcos, à quo œconomus, significat illud domus habitaculum, in quo viri separatim à fœminis epulabantur, ut constat ex Vitruvio (a) ac Plinio. (b) Græci autem sine addito, οἰκός, domus appellabant Cœnationes, ut Ciaconius obsetvat in Triclinio Romano.

Itaque, sub eodem tecto esse potuit Domus luctus, & Domus Convivii, Domus fletus, & Domus risus; Domus mæroris, & Domus tripudii. Utramque graphicè depingit S. Chrysostomus, & sibi illas opponit, ut una dici possit Domus Sapientiæ, altera, Domus Stultitiæ. Audite facundissimum Oratorem, homil LXII. ad Popul. *Si vultis, duas Domus describamus: hanc quidem nubentium, hanc verò lugentium: mente utramque ingrediamur: videamus, utra melior. Invenietur lugubris,* Sapientiæ *plena: nuptialis plena* Stultitiæ (in Græco est, confusionis.) *Attende turpia verba, incomposítos risus, incompositiores loquutiones: & vestis & incessus deformitate est plenus: verba multæ fatuitatis, &* Stultitiæ *plena, & aliud omnino nihil: risus omnia & derisio, quæ sunt illic. Non nuptias dico, absit? sed quæ sunt in nuptiis. Tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt præsentes. Hi quidem, ut equi hinniunt: hi autem, ut asini calcitrant: multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil. Diaboli pompa, cymbala, & tibiæ, & cantica fornicationis, & adulteriis plena. At non ita in* Domo Sapientiæ, *Quæ est luctus, ubi omnia composita, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil. nihil incompositum. Siquis aliquid loquutus fuerit, omnia sunt verba Philosophiæ plena.* Alibi idem summus Orator (c) Domum luctus, quæ est Domus Sapientiæ, docet esse Religiosorum domicilium

(a) lib. VI. cap. 5. & 6. (b) lib. VI. cap. 25.
(c) Hom. XIV. in I. ad Timoth.

um, ubi est jugis meditatio mortis, cinis, cilicium, soli tudo, jejunia, chaumenia, luctus sine risu. Iterum disse rens coram Populo (a) *Verè*, inquiebat, Domus luctu *est* Monasterium *ubi saccus & cinis, & solitudo*: ubi risu non est, neque secularium turbela negotiorum. Ub jejunium, & stratum humi cubile: omnia pura à nidor cruoribus, tumultu, perturbatione & vexatione. Portu est tranquillus: in quo sunt tanquam faces in excelso lo co, ut procul adventantibus luceant, & ad portum per ducant. In portu sedentes sunt securi omnes; absq metu naufragii tam ipsi, quam quos ad se trahunt, quo que non permittunt versari in tenebris. Ad eos ab hospitare, accede, sanctos illorum tange pedes: mult namque honestius est, illorum pedes tangere, quam liorum caput. Denique Domum luctus vocat omne locum ubi jacet mortuus. Dionysius Carthusianu templum, ubi fit sermo de novissimis.

At S. Hieronymus, Domum luctus interpretatur *em quias funeris*, aut in qua apparatur pompa funebris, qu duci solet à domo defuncti, & perduci ad locum sepu chri: *Infernus domus mea est*, ajebat Patiens cap. XVII. anh lans ad tumulum: utrique convenire potest Domus lu ctus. Quid mirum, cùm Hebræi locum omnem, qu quid recipitur, cellam, stabulum, cubiculum, immò v omne, quia receptaculum, Domum appellent, sic Beth lehem *Domus panis* est dicta: an fortasse eo loquendi mo do, quo Sicilia horreum, granarium, aut cella penuar Romanæ Reipublicæ? Immo, odorum aromatumq pyxidulæ apud illos domus nomen habent. Ita illo Psalmi XLIV. (a) *Myrrha & gutta & casia à vestimen tuis, à domibus eburneis*, interpretantur plurimi: Ut sit sen sus;

(a) Homil. LIX. ad Popul. item homil. XV. ad Popul.
(b) Psal. XLIV. 9. Campensis Jansenius Crucius Arias. Olea Lyranus Janicarola Arguanus.

sus; circumfers tecum eburneas capsulas plenas odoramentorum; è quibus mira suavitas in omnem partem diffunditur. Non est igitur insolens, per Domum Sapientiæ significari in regia Imperatricis illius Triclinium, quod Romanis etiam Diæta, Cœnatio, & Cœnaculum dicebatur, locus ad cænandum, seu sumendum cibum idoneus: nam & prandere inibi solitos reperio.

ARTICULUS V.

Columnæ Septem

In Domo Sapientiæ, quà Triclinio.

Quod subjungitur à Salomone, *excidit columnas septem* quod Septuaginta legunt, *subdidit* Syrus, *erexit*; Chaldæus, *Statuit in eâ*; Arabicus, *fecit eam inniti septem columnis*, non est alienum à Triclinii, seu Cœnaculi architecturâ: sive per septem intelligantur indefinitè plures, sive præcisè tot, & non plures. Siquidem non Hebræorum modò, sed Romanorum quoque & aliarum gentium cænationes vel columnis tanquam fulcris & basibus superædificabãtur, vel ordine disposito isornabantur: immò, præcipua structuræ pars in cœnaculis erant Columnarum ordines. Præter ornatum, ad usum etiam erant Columnæ, quæ in Triclinio erectæ, vela & aulæa suspensa habebant, ad mensam obtegendam, ne quid pulveris aut sordium super epulas incideret, vel ad solares radios avertendos.

Huc facit narratio, quam texit auctor sacer Esthers primo, ubi Rex Assuerus *iussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu*

con-

conſcitum erat. Et pendebant, inquit hiſtoricus, *ex omni parte tentoria ac varii coloris, & carbaſini & hyacintini, ſuſtẽtata funibus byſſinis atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant & columnis marmoreis fulciebantur.* LXXta paullo explicatius *ſuper funibus byſſinis & purpureis, ſuper cubos aureos & argenteos ſuper columnas Parias & lapideas.* Nominant Κύβους, Vitruvius vocat taxillos, qui pyramidibus, pilis, & ingentibus molibus, ut firmius inſiſtãt, ſubſtruuntur. Jam concipe Domum Sapientiæ, ut Triclinium, quod ut eſſet ampliſſimum, firmiſſimum, ornatiſſimumque SAPIENTIA excîdit, id eſt, è rupe ſuccîdit, dolavit, polivit, erexit, ſtabilivit, & ſuppoſuit Columnas, myſtico numero, ſeptem, qui omnem deſignat perfectionem, quam continet DOMUS SAPIENTIÆ.

NOTÆ.

§. I. DOMUS *Sapientiæ, Triclinium.*] Auctores, *Galatinus*, lib. 3. de Arcanis fidei, cap. 3. *Aben. Ezra, Salazar, Cornelius* in Prover. De Triclinio legendus *Fulvius Vrſinius & Alph. Ciacconius.*

§. II. Mos diſſerendi in Conviviis, jucundè, eruditè, ſapienter, parabolicè, ænigmaticè, moraliter, habetur ex Athenæo, Platone, Macrobio, Plutarcho.] Conſulendi ex recentioribus, præter nominatos, *Nicolaus Serarius* Eſdræ I. à quæſt. XII. & Judicum XIV. ubi de convivio nuptiali Samſonis, à quæſt. XII. uſque ad XVI. commentatores Eccleſiaſtæ VII. ubi *Joan. Lorinus.*

§. III. ÆDES.] Dicitur *Ædes* ex Servio, ab Edo nam quædam ſunt nomina, quæ initio diphthongum recipiunt, quamvis à verbo monephthongo deriventur, ut ædes, æſculus. *Varro* lib. 4. de ling. lat. ab aditu fieri putat: quod ſcilicet plano pede adibantur; unde etiam prima ſyllaba diphthongum accepit. Feſtus: *Ædes* quod in edito poni ſoleret. Alii Ædem dici exiſtimant, quod in ea ævum degatur, quod Græcis ἀϊδιον dicitur.

§. I. V

§. IV. Vsus *Columnarum in Tricliniis,*] Apud Plautum, qui Triclinium jubet apparari, ita edicit.

Iußin' columnis dejcier operas aranearum?
Iußin' in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?
Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum:
Verte pavimentum, nitidas oſtende columnas,
Arida cum tota deſcendat aranea tela,
Hic lavet argentum, vaſa aſpera tergeat alter.
Juvenalis.

Ad tentoria velaque in Triclinio referri poſſunt illa Horatii.

Intereà ſuſpenſa graves aulæa ruinas
In patinam fecêre trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Columnæ ſunt fulcra & baſes, quibus Sapientia Domum ſuam ſuperædificat. Exempla habemus in Architectura Romana. Romæ templa S. Petri S. Pauli, S. Joannis Lateranenſis, B. Virginis Majoris, S. Cæciliæ, & aliorum quorundam Cælitum, Columnis è marmore excisis, iiſque plurimis & magnificis inſiſtunt, ac ſunt inædificatæ.

SER. IV.

SERMO IV.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sensu parabolico.

ARTICULUS I.

TEMPLUM. SYNAGOGA.

PARABOLICÈ per Domum Sapientiæ intellexisse putatur Salomon, Templum Jerosolymitanum, & in eo congregari solitam Synagogam Judæorum. Quæ est expositio Rabbinorum communis, qui totum eum locum in Proverbiis de Templi constructione, & quæ in illo erant interpretantur. (a) Estque haud difficilis applicatio. Siquidem Salomon Sapientiâ divinitus sibi indita, & consequenter ipsa in illo Sapientia, aut Sapientia Dei, vel Deus per Sapientiam, ædificavit Sibi. Deo Opt. Max. à quo non distinguitur Sapientia increata, cujus participatio est omnis creata, Domum, nempe, Templum, cujus figura & fabrica, quoad præcipuas ejus partes interiores & exteriores describitur lib. tertio Regum cap. VI. ubi vocatur Domus, quam ædificabat Rex Salomon Domino.

In eo ad fulcimentum, & ornatum fuerunt *Columnæ septem*, id est, multæ: aut, si lubet definitum numerum accipere, habes, quem sequaris, totius fabricæ diligentem

(a) Hieronymi Prado in Ezechiel. cap. 5. Vilalpan. in cap. 40. Ezechiel. Tom. 2. p. 2. lib. 3. cap. 20.

tem inspectorem,& mensuratorem peritum Joan Bap. Vilalpandum, qui asserit, præter plurimas columnas, quibus fulciebatur Templum, fuisse præcipuè septem columnas porticuum Templi, id est, atrii, quod erat Templum populi, qui non ingrediebatur Sanctum, solis sacerdotibus destinatum locum, sicut nec Sanctum-sanctorum, Soli Pontifici. Pro singulis ergo Atrii porticibus docet septenas fuisse columnas hinc & hinc, hoc est universim quatuordecim, iisque representatas fuisse tres tesseradecades Genealogiæ Christi, quas enumerat Evangelista Matthæus primo cap. Nam tres erant Porticus, quare, si quæque habebat tesseradecadem columnarum, scilicet, columnas centenas in uno ordine, & septenas in altero illi opposito, tres erant columnarum æquè ac genealogiarum Christi decades.

JAM verò, in eodem Templo Sapientia proposuerat Mensam hoc est, Altare, in quo victimæ DEO mactabantur, cum libamine, nempe mistione & effusione vini: nec deerat alia Mensa continens Panes propositionis. Ibidem docebatur è Cathedrà varia Sapientia, nimirum, fides, religio, virtutum exercitia, observatio Legis, cultus divinus: ad quas prælectiones sacras audiendas. mittebantur in omnes partes Ancillæ Sapientiæ, præcones verbi, Prophetæ, Ecclesiastæ, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi. TEMPLUM dum nomino, ut parabolicè Domum Sapientiæ, nolim accipi solum materiale ædificium, ex lapide, ligno, calce, parietibus ac tecto superposito; sed animatũ etiam designo, quod fuit SYNAGOGA, hominum in Templo congregatorum ad audiendos Magistros Sapientiæ: nam & in hoc habitat Doctrix illa, ac mensæ suæ facit participes auditores factoresque eruditionis suæ:

ARTICULUS II.

Gymnasium, Academia.

SUperiori jungenda est explicatio quorundam recentium doctissimorum virorum, qui per Domum Sapientiæ arbitrantur significari Ædificium ad docendum & discendum publice constitutum, sive id vocetur *Gymnasium*, sive *Academia*, aut more Hebræorum, *Domus doctrinæ*: quomodo Chaldæus Genesis xxv. nominat ea tabernacula, quæ dicitur inhabitasse Jacob Sapientiæ studiosus. Censet igitur, Salomonem ædificasse juxta Regiam & templum, immô in atrio templi amplissimum Gymnasium, sive Academicum palatium, in quo Doctores profiterentur Sapientiam: quod idcirco non tantùm *Domus Sapientiæ*, sed & *Sapientia* dici potuit, quo pacto Romæ appellatur vasta illa moles, in qua disciplinarum omnium Magistri prælectiones habent. Ut hic locus suas haberet Cathedras, excidit columnas septem, & aptavit in septem Artium liberalium suggestu, sive prælatas ex marmore elaboratas Cathedras, in quibus sedendo aut stando docerent magistri. Alii per septem Columnas indicari etiam putant, septem auditoria, aulas, seu classes, & Scholas, nt nunc loquimur, in quibus cathedræ marmoreo ornatu visendæ erectæ fuerint, in quibus Doctores artes omnes liberales, quisque suam profitebatur. Ex antiquis Optatus Milevitanus aliquid habet scribens contra Parmenianum lib. 1. quod huc facit: exponens enim illud Isaiæ xxii. *Onus vallis visionis* hunc in modum commentatur: *Non ait, in Sion sed in ea eius valle: non in illo monte Sion, quem in Syria Palæstina mu-*

muris Ierusalem parvus disterminat rivus, in cuius vertice est non magna planicies, in qua fuerunt septem synagogæ, ubi Iudæorum populus conveniens legem per Mosen datam discere potuisset. Inde scriptum est in eodem Propheta : *De Sion exibit lex & Verbum Domini de Ierusalem*, Isaiæ secundo cap. Ex Rabbinis Aben-Ezra septem columnas interpretatur septem Artes liberales: Scientiæ enim, inquit R. Levi, sunt columnæ prudentiæ & Sapientiæ. Nec absurdâ analogiâ dicere posses, Columnas septem, designare septem Artium aut scientiarum Professores consistentes in cathedris: sunt enim Columnæ, qui populum in veritate ac Sapientiæ dogmatibus erudiunt. Quomodo ad Galatas II. scribit Paulus de Coapostolis: *Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur esse Columnæ.*

Ancillæ à Sapientiâ missæ ut vocarent ad Arcem & ad mænia Civitatis significare possunt in hoc interpretandi genere diversas Facultates, quomodo nunc appellamus, Oratoriâ, Philosophicam, Legalem, Theologicam, quæ tradebantur in Academiâ; & auditores ab inferioribus studiis ad altiora invitabant, tum verò etiam sua specie, & objectorum elegantiâ alliciebant, non modò Jerosolymites & Judæos, sed exteros etiam ac proselytos, ut venirent ad Arcem, mænibus ac propugnaculis munitissimâ in qua Domum doctrinæ Salomonem constituisse, sunt, qui existimant, ut exciperent ex ore Professorum, Sapientiæ dogmata. Quò fortasse spectat aliquatenus istud Canticorum IV. *Sicut Turris David collum tuum (ô Sponsa) quæ adificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea.* Quod Theodoretus de doctrinarum apparatu exponit, quarum copia, sicut & Doctorum erat in domo Sapientiæ, quam arx continebat, & tuebatur. *Habet collum tuum*, inquit Sponsus, *quod caput tuum & faciem sustinet, omnes aliorum* Magistrorum;

aut aliarum Academiarum) *doctrinas, quibus, tanquam iaculis cunctos adversarios transfigis: habet etiam clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hostis tela extinguis: munita enim es spiritus armatura, & facie hostes vulneras, cum omnibus fortium sagittis abundes, eosq; modo per Prophetas, modò per Apostolos redarguis.* Eodem referri potest, quod scribit Isaias capite secundo, ubi Populus anhelans ad veræ doctrinæ scatutiginem properat, & trahit secum obvios quoslibet hoc invitatorio: *Venite & ascendamus ad montem Domini & ad Domum* DEI *Iacob.* quænam illa? Domus Sapientiæ: sequitur enim: *& docebit nos vias suas.* Item, capite XXXIII. dicit idem Propheta de Sapientiæ studioso: *Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius. Vbi* (nisi hic) *est litteratus? ubi legis verba ponderans? Vbi Doctor parvulorum?* LXXta legunt, *Vbi grammatici? ubi conciliatores? ubi est, qui numerat eos, qui nutriuntur.* Quibus indicari opinatur nonnemo, in Gymnasio arcis Sion, & Academia Salomonica, præter Doctores facultatum superiorum, scholis præfuisse etiam Grammaticæ peritos. Quod dixi de Gymnasio in altissima montis planitie aperto confirmari potest ex Iustino Mart. qui dialogo contra Triphonem, asserit, antiquos Mithræ, hoc est, Solis sacerdotes, imitatos fuisse Hebræos in saxorum Sionis sublimitate docentes, quippe qui ad eum modum in spelunca saxeâ discipulos suos erudierint. Quòd scribit etiam non uno loco Tertullianus. (a)

AD splendorem autem, & decus immortale Academiæ istius Jerosolimitanæ facit, quod qui illam fundarat sapientissimus Salomon, primus in eo jam ædificato docere publicè cæperit, Professor excellentissimus, cùm privatim domi suos prius docuisset. Hinc tantus auditorum undique confluentium accursus. *Veniebant inqui-*

(a) *Tertull. lib. de cor. milit. lib. de præscript. cap. 4.*

inquit ſcriptura, *de cunctis populis ad audiendam Sapientiam Salomonis. & ab univerſis Regibus terræ, qui audiebant Sapientiam eius.* Et quos ad contemplationem ſui Jeroſolyma non traxerat, uniusDoctorisSapientiæ fama perduxit ut aſſerit P. Hieronymus epiſtola ad Paulinum. Porro, cùm templum Jeroſolymitanum habuerit portas, porticus, exedras, receptacula audirorum ac profeſſorum, immò domunculas pro fœminis DEO conſecratis, exiſtimant nonnulli locum Academiæ, ſeu Domum Sapientiæ, fuiſſe in Porta Templi, (*a*) Orientali, ut Arias Montanus, & S. Antoninus, (*b*) qui ſentiunt, ſive in porta, ſive in porticu magiſterium exercuiſſe Doctores Academicos: aliis haud magno diſcrimine, in atrio, juxta portam Orientalem. De quo loco accipi poteſt illud Pauli Apoſtoli Actuum XXVIV. *Neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem:* nimirum, in Gymnaſio, quod in templi atrio erat: quamvis nullum ſit incommodum, ſi porticus Salomonis intelligatur, ut Joannes Lorinus monuit.

CONVENIENTIBUS. ad Auditorium Academicum, hic erat ordo conſidendi, quem ex traditione ſynagogæ refert S. Ambroſius *In ad Corinth.* 14. Sedentes diſputabãt ſeniores è cathedris, juniores in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſupra ſtratas humi ſtoreas excipiebant doctorum dicta. Quo ſpectabat illud Pauli Apoſtoli Actuum XXII. *Nutritus ſum in iſta civitate, nempe,* Jeruſalem, *ſecus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternæ legis.* Nam non interierat Academia Salomonis & hoc Sapientiæ gymnaſium tempore Chriſti, qui præſentia ſua & auctoritate illud honorare voluit quando parentes invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, ut eſt Lucæ ſecundo. Denique ad Academiæ huius

(a) *Mant. in Apparatu* (b) S. Ant. 1. par, tit. 5. cap. 1. §. 5.

excellentiam spectat, quod ipsa fuerit antiquissima, si comparetur cum externorum gymnasiis, ut Matrix dici possit reliquarum Academiarum, eo loquendi genere, quo matricem arborem vocavit Suetonius in Augusto ex quâ stolones succreverunt, & quo matrices urbes appellantur, quæ à Græcis μητροπόλεις, ex quibus multæ aliæ urbes natæ & ductæ sunt. Nam ex eâ prodierunt, Pythagorica, Socratica, Platonica, Aristotelica, harum enim auctores ac magistros, ceterosque Gentium Philosophos à Salomone, & Hebræis Sapientiæ dogmata accepisse ostendunt Patres antiqui, Eusebius, (a) Clemens Alexandrinus, (b) & alii.

(a) *lib. 3. de præpar. Evang. cap. 13.* (b) *lib. 1. Stromat. S. Ambro. lib. 1. Epist. 6.*

ARTICULUS III.

Encyclopædia

Orbis Scientiarum.

A Dictâ interpretatione non multum abit illa pervetus quorundam, cujus meminit Origenes, qui Domum Sapientiæ voluerunt esse orbem universum scientiarum, quæ eruditis Encyclopædia dicitur, tracto nomine à circularis figuræ perfectione, ut Latine dici possit *Circularis* vel *Orbicularis scientia*: nempe, artium omnium & disciplinarum perfecta scientia: Ugoni de S. Charo Cardinali commentanti in Proverbia Salomonis, vocatur Philosophia *Domus Sapientiæ*, inquit, est *Philosophia*. Septem Columnæ sunt septem Artes liberales, scilicet, *Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Arithmetica. Musica, Geometria, Astronomia*: deinde ad mores parabolam transfert, & septem illis Disciplinis, quomodo uti debeat Sapientiæ Auditor: & quomodo in ædificio suo tanquam

quam Columnas erigere eas possit, edocet: denique, quinam earum aliqua, vel omnibus careant, accommodate ad morum informationem, declarat. Præmittit autem: Sapientia excidi jubet has columnas, à vanitate, & à superfluitate. Unde Deuteronomii XXI. præcipitur, ut puellæ captivæ ungues, & cæsaries resecetur. GRAMMATICA docet rectè loqui. Hunc Columnam non habent in Domo sua, qui nunquam aperiunt os suum ad loquendum verbum DEI, cum tamen ex officio teneantur. De quibus Isaiæ LVI. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt universi: canes muti, non valentes latrare.* Nescientes eitam loqui Spiritualiter. Unde, cùm interrogantur, ut dicant *schibbolet*, quod interpretatur *Spica*, ut non moriantur, haud valentes exprimere *spica*, eadem littera, respondent *sibbothet*, quod interpretatur *Spica paleæ*, et ideo jugulantur, ut Judicium XII. Ephrathæi. Vel certè, primam Columnam, id est, Grammaticam, non habent detractores, qui nunquam rectè loquuntur de aliis, & barbarismos, & solœcismos committunt frequenter, cum fimæ achenori proximorum sordes aspergunt. At *Grammatica* rectè & congruè loqui docet. DIALECTICA, quæ est, secunda Columna, carent adulatores, qui falsis aurium illecebris, tanquam poppysmis magnatibus imponunt. Illa autem docet vera eloqui. RHETORICAM non habent illi, qui turpia & scurrilia loquuntur, fescenninis veneriisque jocis sermonem infarcientes. Siquidem *Rhetorica* docet sermonis & orationis purum ornatum, non impuritatis fœditatem ARITHMETICA destituti sunt superbi, arrogantes, fastuosi, qui in aliorum numero nolunt computari, singularitatis extra aliorum censum amantes, qui in coagmentate cum aliis vivere detrectant, Societatis osores. Nam *Arithmetica* docet conflare & congruentare numeros, ac horum

Proportionem. Talis fuit Phariſæus ille, qui orabat ſe eximendo ab aliorum conſortio Luc. XVIII *Gratias tibi ago Deus, quia non ſum ſicut ceteri homines.* Talis Lucifer qui nolens eſſe in aliorum numero gloriabundus jactabat: *Conſcendam in cælum, & ero ſimilis Altiſſimo.* Iſa XIV. Inamante Congregationis, excidit Sapientia, ut in Domo ſua, columnam quartam, nempe *Arithmeticam.* Musicam ignorant ſchiſmatici, & proximorum oſores. Hæc enim docet ſonorum concordiam, harmoniam, concentum, & tenorum proportiones, unde pulcherrima conſonantia: Illi diſcordiam amant, & confuſionem ingratiſſimam. GEOMETRIAM non callent divites avari, Eucliones ſordidi, Epulones prodigi: nam male menſurant, ſibi omnia retinentes aliis indigentibus, & nihil habentibus: ſine ullâ menſura opes appetunt, & metas Juſtitiæ tranſilientes, contra jus faſque aliena invadunt ac detinent. *Geometria* autem menſuras ponendi artem præſcribit. ASTRONOMIAM neſciunt homines laſcivi & luxurioſi: cum enim ea Diſciplina doceat cotemplari cælum, & cæli motus, curſusque ſiderum, ac proinde ad cælum oculos attollere, juxta illud decantatum in gymnaſiis:

Pronaq; cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit cælumq; videre
Iußit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Illi, ut porci oculos & os ſemper habent in cæno, ac volutantur in luto.

PORRO, cùm ſeptem iſtis columnis incumbat, velut tectum, *Phyſica*, *Ethica*, *Metaphyſica*, ſeu *Theologia*, facile eſt has quoque ad mores accommodare: PHYSICA contemplatur Ens mobile, quod proprium ejus eſt objectum. In *Phyſica* non ſunt verſati, qui in rebus mundanis conſtantiam exqurũt, & quod eſt mobile, tanquam immo-

mobile apprehendunt,& conſectantur ETHICA totius vitæ finem,quæ eſt beatitudo vel felicitas , & ad illam media, quæ ſunt virtutes,conſiderat. Ejus peritiam non habent qui nullum veræ felicitatis ſcopum ſibi proponunt:neque actiones ſuas ita moderantur , ut ad finem ad quem à DEO ſunt conditi,conducant , vitiorum ſectatores,non virtutum. THEOLOGIA DEUM ac Divina ſpeculatur:à quâ alieni ſunt, qui non niſi in humanis occupantur,homines terrenis , & quæ carnem ac ſanguinem ſapiunt,dediti. Ita ferè Domum Sapientiæ parabolicam, quatenus Encyclopædiam deſignat- auctores illius interpretationis conſtituunt, & moralibus emblematis exornant.

ARTICULUS IV.

DOMUS SAPIENTIÆ MUNDANÆ

Quæ inimica eſt Deo.

HUius deſcriptionem deſumo ex Cardinale Ugone Ordinis Prædicatotum in caput IX: Proverb. Quare, ſi quid cuipiam in illâ videatur minus probum, Auctorem conveniant. Habet inquit ille, Diabolus ſuam Domum,ſcilicet Sapientiam hujus mundi, quæ inimica eſt Deo. Cujus ſeptem ſunt Columnæ,*Grammatica*, *Dialectica*, *Rhetorica*, *Arithmetica*, *Muſica*,*Geometria*, *Aſtronomia*. Habet enim Diabolus Grammaticos ſuos , ſicut & DEUS ſuos. GRAMMATICI Diaboli ſunt omnes Hypocritæ, qui rectè & congruè loquuntur,ſed congruè ad impoſturam. DIALECTICI Diaboli ſunt omnes Doloſi, qui ſophiſticè loquuntur,ut decipiant. De quibus Eccleſiaſtici XXXVII. *Qui Sophiſtice loquitur , odibilis eſt.* NIMIRUM Deo & hominibus. RHETORES Diaboli ſunt advocati,qui cauſſas iniquas foverint potentum: cauſa autem

tem pupilli & viduæ, non ingreditur ad eos, ut dicitur Isaiæ 1, Cauſſidicorum lingua damnifica eſt, niſi eam fu nibus argenteis vincias. ARITHMETICI Diaboli ſunt o mnes, qui habent *Numerum præbendarum*: ſive *Beneficiorum*. De quibus dicitur Apocalypſis XIII. *Et vidi de mari Beſti am aſcendentem habentem capita ſeptem*, id eſt, ſeptem Epi ſcopos: & *Cornua decem*, id eſt, decem dignitates, & *ſu per cornua ejus decem diademata*, id eſt, decem Mitræ: in quot enim Eccleſiis habet *præbendã, tot mitras habet in ca pite ſuo, ſpe, ſive præſumptione. Ob hoc enim præbendas retinent cum ad nihil aliud ſibi valeant, niſi ad ſolam ſpem, ut ſic Epiſcopa tum poſſint adipiſci.* Ita loquitur Cardinalis Ugo. Musici Diaboli ſunt Adulatores, qui omnibus in bono & ma lo concordant. GEOMETRÆ Diaboli ſunt Quidam ſuperficialiter Juſti, qui ſibi propitii ſunt, aliis auten auſteri, Quod valdè damnabile eſt, maximè in Prælati & Confeſſariis. De quibus dicit DOMINUS Matthæi XXIII *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum opera. vero eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligânt autem onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros homi num: digito autem ſuo nolunt ea movere.* In hos quadrat illud Proverbior. XX. *Abominatio eſt apud* DEUM *pondus & pondus ſtatera doloſa non eſt bona.* ASTRONOMI Diaboli ſunt curio ſi, qui relictis neceſſariis de curſu ſiderum diligenter in quirunt. quib⁹ dicitur Ecc. III. *Altiora te ne quæſieris, & fo tiora te ne ſcrutatus fueris: Sed quæ præcepit tibi* DEUS, *illa cogi ſemper, & in pluribus operibus eius non eris curioſus.* & Cato

Mitte arcana DEI, *calumq; inquirere quid ſit.*

SER- V, I Nam

SERMO V.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sensu Allegorico.

ARTICULUS I.

Ecclesia Christi.

CUM vetus Judæorum Templum, Synagoga & Academia repræsentaverint Christi Ecclesiam, sequitur, *Allegoricè*, hanc esse Domum Sapientiæ: quoniam sensu allegorico ea quæ sunt Legis veteris significant ea quæ sunt in Novâ. Atque ita sentiunt Auctores isti, gravissimi. S. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. S. Athanasius Orat. v. contra Arianos S. Augustinus lib, xvi. de Civitate, cap. 4. Auctor quæstionum vet, & Novi Testamen, quæstione lii. ubi *Domus Christi.* inquit, *est Ecclesia.* Anastasius, Nicenus, quæst. xl. in scriptus. Cæsareus Arelatens. homil. vii. de Pascha, S. Gregorius libro xii. Moral. cap. 17. Salonius Viennensis in expositione mystica S. Isidorus lib. viii. Etymol. cap. 1. S. Thomas 3. p. q. 32. art. 1. ad 3. & Scripturæ interpretes, Lyranus, Ugo, Salazar. Cornelius. In columnarum significatione non conveniunt. Discrimen designo per numeros.

I. Septem Columnæ significant Ecclesias singulas particulares, ex quibus Ecclesia universalis conflatur, & consistit. Ita S. Gregorius lib. xxiii. moral. cap. 1. Nam & S. Joannes Evangelista in Apocalypsi cap. 1. scribens ad Ecclesias septem expressit: *Ioannes septem Ecclesiis.*

cleſiis: nempe, *Ioannes*, inquit Gregorius, *ſeptem* Eccl*ſcribit, ut unam Catholicam ſeptiformis gratiæ ſpiritu plenam ſignaret*. De his autem docet moraliter exponenda illa Jobi xxvi. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pavent ad tum ejus*. Conſentit in Columnarum ſignificatione S. A guſtinus. lib. xvii. de Civit. cap. 4. aliam tamen cauſſam Septenarii, quia eſt ſymbolum plenitudinis, univerſalitatis: itaque eo univerſæ Eccleſiæ eſt ſignifi ta perfectio.

II. Repræſentant Doctores Eccleſiæ. Hi enim ha ſecus, ac Columnę, Domum, ſuffulciunt Eccleſiam. C tè, Paulus Apoſt. ad Galat. ſecundo, eo ſenſu Petrum, cobum, & Joannem vocat Columnas Eccleſiæ. Sal us, cujus hæc eſt expoſitio ita ſcribit: *Columnæ Dom jus ſunt ſancti Doctores. Quæ columnæ bene ſeptem eſſe dicu quia ſancti Doctores repleti ſunt ſeptiformi gratia Spiritus-S cti. Quomodo ergo excidit Sapientia has Columnas? quia m Prædicatorum ab amore præſentis ſæculi, velut à ſuâ lapidicin paravit, & ad portandam eiusdem Eccleſiæ fabricam erexit.* dem habet S. Gregorius, moralium xxxv. cap. 16.

III. Deſignant vii. Spiritus-Sancti Dona, quibu pſe ſuffulcit Eccleſiam juxta Iſaiæ vaticinium cap. xi bi ſeptem Spiritus exprimuntur, quo omnes ſunt ro ſti, & robur addunt Eccleſiarum Rectoribus, Paſto bus, Doctoribus, contra quoslibet adverſarios, ipſ que Tartari potentiam: *Portæ inferi non prævalebunt*. Ita rè Auctor imperfecti operis homil. l. in cap. 24. Ma

IV. Denotant univerſitatem Prædicatorum, q Deus per ſeptem, id eſt, omnes mundi ætates illi ſubj ſit. Auctor incertus, qui in Apocalypſim comment eſt, ſub nomine Ambroſii & Bedæ: *Sapientia* inquien *dificavit ſibi Domum, quando Dominus noſter* Jesus Chr stus *ab initio mundi uſque ad finem eius ex numeroſitate el*

rum

rum Ecclesiam sibi construxit & constituit. Excidit columnas septem, Prædicatores, qui singulis temporibus convenitent in Ecclesia sua statuit, qui & monitis salutaribus, & bonorum operum exemplis eam sustentarent.

V. Indicant septem Sacramenta, quibus, tanquam Columnis Ecclesia Christiana fulcitur. Ita auctor catenæ græcorum: idemque habet Lyranus.

VI. Exprimunt Apostolos, quibus numerus septenarius accommodatur à S. Augustino, propter fidem trium Divinarum Personarum per quattuor mundi plagas ab ipsis evulgatam. Aliqua ex dictis conjungit Ugo Cardinalis, & addit alia eodem spectantia, sic scribens SAPIENTIA. id est, CHRISTUS, qui est DEI virtus & DEI Sapientia, 1. Corinth. 1. *ædificavit*, sua & suorum operatione & prædicatione, *sibi*, non alii, *Domum*, id est, Ecclesiam. *Excidit Columnas septem*: id est, particulares Ecclesias septiformi gratia illustrans per orbem erexit. Vel septem Columnæ sunt Doctores septiformi gratia rotundati, quos quasi columnas ad portandam Ecclesiæ fabricam Christus excidit, id est, ab amore mundi separavit, de quibus Psalmo LXXIV. *Ego confirmavi columnas eius.* Quæ etiam dicuntur septem. non tantum propter septiformem gratiam, sed etiam propter ternarii & quaternarii rationem, qui in se etiam ducti duodenarium faciunt, quot fuerunt Apostoli, qui etiam fidem Trinitatis, in quatuor orbis partibus prædicaverunt.

ARTICVLVS II.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sensu Allegorico & Mystico

VIRGO DEIPARA. UTERUS MARIANUS.

HÆc est communis Patrum antiquorum, & recentium Scripturæ interpretum expositio. *S. Ignatius epis-*

to-

pistola ad Philippenses, *Sapientia* inquit, *ædificavit sibi D*
mum, & factus est sicut homo. Deus cum corpore, quod susce
Virgine, non ex colloquutione scilicet aut semine viri: Virgo en
ait Isaias cap. VII. *in utero concipiet, & pariet filium.* Ubi
Hieronymus idem adfirmat. S. Ephiphanius hæ
LXXIII. Pro *Verbum Caro factum est*, inquit Salomon, *S*
pientia ædificavit sibi Domum. Sic Gregorius Nicodemie
sis Orat. de Oblar. B. V. vocat eam *Domum gloriosa*
DEO *sibi ædificatam, instructam columnis septem.* Quod e
am usurpant, Petrus Damiani, sermone de Nativit B.
& Hildphonsus sermone 3. de Assumpt. S. Bernard
sermone IX. ex parvis, MARIA *Domus est Sapientiæ aet*
omnibus virtutibus conspicua, septem Columnis suffulta, id est,
butissimas virtutibus, nempe tribus Theologicis, fide, spe, &
ritate *ac quattuor Cardinalibus.* Prudentia Justitia, For
tudine Temperantia. Ugo Cardinalis Proverb. 1. *Dom*
Sapientiæ est, Beata Virgo *Septem Columnæ* sunt septe
virtutes, quas educit, tum ex epistola S. Jacobi cap. 3, tu
ex salutatione Angelica. Septem Columnas nominat
Damiani serm. cit. *septem dona Spiritus-sancti.* S. Bonave
tura in laudibus B. V. num. 12. *Domus* DEI *à vero Salom*
ne constructa est MARIA. Idem in speculo Mariano c
VII. illi accommodat, quod est Psal. XCIII. *Domum tua*
decet sanctitudo Domine. Simpliciter, Domus Dei dicitu
Jordane pag. 14. cap. 32. Potho Prumiensis Presby
(*a*) in libro singulari de magna Domo Sapientiæ, all
goricè eam interpretatur uterum Marianum, in qu
DEUS Homo factus novem habitavit mensibus. Ide
ei ornatum & dedicationem Templi Salomonici a
commodat mysticè. Quod dixit Jacob Patriarcha G
nesis XXVIII, de B. V. mystice pronunciasse censeri pote
Non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cæli. Quomod
MA-

(*a*) Potho scripsit Anno 1152. Tom. XII. Bibliothecæ PP.

MARIA sit Domus Sapientiæ latissimè explicat Richardus à S. Laurentio lib. x. de laudib. B. V. à pag. 609. Verum, totam hanc expositionem, sive illa dicenda sit Allegorica, sive Mystica, sive Accommodaticia pertractamus accuratè in Encomiastisis Marianis, & opusculo Architectonico cui titulus,

MARIA DOMUS MYSTICA.

SERMO VI.

DOMVS SAPIENTIÆ

Sensu Physico

MUNDUS.

HÆBRÆI in Sanedrim apud Galatin. lib. 3. de Arcan. fidei. cap. 3. ita Salomonis sententiam exponunt, *Sapientia ædificavit sibi Domum suam, id est,* DEUS *per Sapientiam creavit Mundum. Dolavit columnas eius septem: id est, ordinavit septem dies primordiales creationis Mundi, quibus omnia creavit, formavit & suis locis, ordinibusq;, quasi per columnas distinxit. Immolavit victimam suam, vel coxit victimam suam, vel decoctionem suam: per hoc intelliguntur maria, flumina & omnia Mundi necessaria. Misit puellas suas, ut revocarent. Hi sunt Adam & Eva.* Eandem interpretationem habet R. Salomon proverbior. 1.

Ex Christianis Doctoribus, Potho Presbyter Pruímensis eundem sequutus interpretandi modum, sive physicè, sive symbolice, ita commentationem suam de magna Domo Sapientiæ orditur. *Dominus Sapientiæ fundavit terram, stabilivi cælos prudentia. Initio namque Dominus terram fundavit, & opera manuum eius sunt cæli. Cælum & Terra*

duo

duo sunt gaudia Mundi corpora. Ergo cælum & terra, & universa, quæ cæli ambitu continentur Domum unam constituunt. Magna est hæc Domus DEI, *& ingens locus possessionis eius: Terra videlicet, & plenitudo eius: orbis terrarum, & universa quæ habitant* » *in eo* Sapientia DEI, quæ ædificavit hanc Domum, » excidit columnas septem. Quæ-nam sunt illæ? Sex » dies, quibus in primordio mundi DEUS operabatur, » & septima dies, in qua requievisse DEUM ab operibus » suis sacra-scriptura testatur, septem sunt Columnæ, » quibus Mundi fabrica, quæ est Domus Sapientiæ su- » stentatur.

DEINDE septem Columnis dierum, adjungit septem alias, nempe *Septem Spiritus*, sive septem Dona Spiritus sancti quibus tota mundalis machina sustinetur, conservatur, & quoad septem dierum opera ac quietem animatur. Hos autem Spiritus vel Dona ita distribuit. Primæ diei, in quâ divisit Deus lucem à tenebris: Angelos lucis ab Angelis tenebrarum: adsignatur *Spiritus timoris*, terribile DEI Judicium perpẽdere faciens. Secundæ diei, in quâ fecit DEUS firmamentum, *Spiritus pietatis*. Quid tam pium, quàm idcirco præparasse cælos, & fecisse Mundum, ut in eo fieret homo Sapientia æterna Patris, & esset cum filiis hominum? Tertiæ diei, qua dixit DEUS, appareat arida, id est, terra, quàm ornavit herbis, plantis, fructibus *Spiritus scientiæ*: oppositus spiritui tentatori dicenti primis parentibus; *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*. Quartæ diei, qua dixit DEUS, fiant luminaria in firmamento cæli, nempe, Sol & Luna, *Spiritus fortitudinis*. Quid fortius Solis Lunæque operationibus & influentiis? Quintæ diei, qua dixit DEUS, producantur aquæ, reptile, ac volatile, & benedixit ei dicens: *Crescite, & multiplicamini, Spiritus consilii*, qui in eo cernitur quod potentia sua effecerit, ut creatura ratione carens admi-

admirandum in modum consuluerit posteritati suæ. Sextæ diei, quâ creatus est homo, *Spiritus intellectus*: Spiritu enim intelligentiæ replevit eum Dominus Septimæ diei, in qua requievit Creator; & cui benedixit, ac quam sanctificavit, *Spiritus Sapientiæ*, qui verè ad magnam Sapientiam adducit illum, quem docilem facit hujus dicti: *Tollite jugum meum super vos, & discite â me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

ARTICULUS II.

DOMVS SAPIENTIÆ

Religiosè.

Monasteriuu, Clauſtrum, Cellæ.

DOMUS Sapientiæ inquit Cardinalis Ugo Charensis, est *Clauſtrum*, tu adde, *Monaſterium, Collegium, Cella*. Ejus fundamentum est Paupertas: parietes, Obedientia, & continentia: altitudo Humilitas: tectum Amor fraternitatis. Septem Columnæ, sunt septem Observantiæ regulares. I. Cibi ariditas. II. Vestis austeritas. III. Jejuniorum continuatio. IV. Vigiliarum protractio V. Manuum labor. VI. Disciplinæ rigor. VII. Orationum instantia.

SERMO VII.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Symbolicè.

ARTICULUS I.

CHRISTI CORPUS. CARO. COMPOSITUM.

S. GREGORIUS lib. XXIII. moralium. cap. 15. *Sapientia sibi Domum condidit, cùm Vnigenitus Dei Filius in semetipso intra uterum Virginis mediante anima humanum sibi* CORPUS *creavit. Sic quippe corpus Vnigeniti Domus Dei dicitur, sicut etiam Templum uocatur. Ita verò, ut unus idemque* DEI *atque hominis filius ipse sit, qui inhabitat: ipse qui inhabitatur.* S. Augustinus lib. XVII. de Civitate cap. 20. *Certè agnoscimus* DEI Sapientiam, *hoc est,* Verbum Patri coæternum, *in utro virginali* Domum *sibi ædificasse,* Corpus humanum, *& huic tanquam capiti membra Ecclesiam subjunxisse; Martyrũ victimas immolasse: Mensam in vino & panibus præparasse: ubi apparet etiam Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech: insipientes, & inopes sensu vocasse, quia sicut dicit Apostolus: Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia.*

In eundem sensum S. Athanasius disputatione contra Arium in concilio Niceno: *Sapientia, id est, Verbum, sive filius Dei, cùm esset in corporeus ob nostram salutem ædificavit sibi Domum in utero Deiparæ* MARIÆ, *sine commercio virili, & homo factus est, & seipsum exhibuit exemplar omnis virtutis, ut qui illum sequi vellent, quasi in divino itinere haberent vestigia, ad quæ similes facti divinæ naturæ participes redderentur.* Cum itaque Domus sit Corpus Christi, per illud nobis factus est σύσσωμος, id est, *concorpor,* inquit idem S. Pater. Accinit S. Gregorius Nyssenus, Oratione secunda contra

tra Eunomium scribens: *Sapientia ædificavit sibi Domum*, hoc est, *Carnem, quam assumpsit*: quid hoc est aliud, quam *Verbum Caro factum est*? Iisdem pene vocabulis Anastasius Nicenus Quæstione XL. in SS. *Sapientia ædificavit sibi Domum: cum Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Paravit mensam, *Scilicet divinæ carnis & sanguinis in Eucharistia.* Miscuit vinum suum, ut, *qui suam Divinitatem Carni univit, tanquam Vinum merum.*

Hanc etiam interpretationem sequuntur, S. Ambrosius lib. I. de fide cap. 7. & lib. III. de Spiritu sancto cap. VIII. Cæsarius Arelatensis homil. IV. de Pascha Philo Carpatiensis Episc. in cantica cap. 3. E. Scholasticis S. Thomas 3. p. q. 32. art. 1. ad 3, Basilicè Leo Papa scribens ad Augustam Pulcheriam Epist. XIII. *Sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum mille implebant figuræ —— ut & intemerata viscera, Ædificante sibi Sapientia Domum, Verbum Caro factum fieret, & forma Dei, ac forma servi in unam conveniente personã, Creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur.*

ARTICULUS II.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Symbolicè.

CHRISTI HUMANITAS.

SAPIENTIA Increata, nempe, Filius Dei ædificavit sibi Domum, id est, formavit adsumpsitque humanitatem, dum fuit incarnatus, in quâ habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter. In ea septem Columnæ sunt Spiritus-sancti Dona septem, ut habet Auctor quæstionum. V. & N. T. & Anastasius Nicenus loco cit. nam his plena & suffulta erat Christi humanitas, secundum

Isaiam cap. XI. 2. in eadem, Mensa est Mensa Eucharistica, in qua Christus nobis suam carnem & sanguinem ad convivandumque proponit. Ugo Cardinalis Proverb. 1. *Sapientia ædificavit sibi Domum*, id est, Corpus & Animam, nimirum, Humanitatem, ad inhabitandum. *excidit Columnas septem*, id est, septem Dona Spiritus-Sancti Isaiæ IV. *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa.* Id est septem dona Christum, qui est vir unus, quia non habet parem. Vel septem *Columnæ* sunt *Sigilla* septem, quibus signatus fuit liber vitæ, quæ solvit Leo de tribu Juda Apocalyps. v. Inter quæ I. est Nativitas. II. Circumcisio. III. Baptismus. IV. Passio. V. Sepultura. VI. Resurrectio. VII. Ascensio.

Potho Prumiensis Presbyter lib. de magna Domo Sapientiæ, de Humanitate quatenus est Domus Sapientiæ ita disserit. *Verè magna Domus, pulchra & altissima Domus. Septiformis Spiritus in ea Domo plenariè habitat quietissime, nunquam ullam ibi passus offensam alicujus culpæ. Et hoc est, quod Isaias dicit:* Et requiescet super eum Spiritus Domini. *Quomodo ædificata domus est ista?* Malleus & securis & omne ferramentũ non sunt audita in Domo cum ædificaretur: *quia nulla humani operis perstrepente inquietudine Spiritus Domini, qui super aquas ferebatur, virtute sua superveniens Virginem obumbravit, & de carne illius Verbo incarnato materiam carnis formavit. Sic in fabricâ hujus Domus, quam sibi Sapientia ædificavit, Spiritus sancti operatio perfecit, ut sine semine viscera Virginis se infunderet, & eam fotu suo velut ovum volucris superfedentis, separata mysterii majestate ad fecunditatem perduceret.*

In hac Domo, quam Spiritus-sanctus in utero Virginis ædificavit tria sunt consideranda. I. Domus *Ædificatio.* II. *Exornatio.* III. *Dedicatio.* Attende, quomodo, & quàm mirabiliter sit ædificata: nempe, ex materiâ nostræ carnis, intra viscera Virginis Matris genitura ineffabili splen-

splendida & alta Columnarum septem positione firmata. Sine humano opere facta est ejus Ædificatio. Sicut enim Domus illa, quæ à Salomone in Jerusalem ædificata est, sic & ista Verbi Incarnati Domus, dedolatis atque perfectis lapidibus extructa est. Fuerunt autem dolati & perfecti lapides Patriarchæ & Prophetæ, qui fide & operibus, & Propheticis scriptis testimonium perhibuerunt de hac Domo, ideoque ab incredulis persequutione passi sunt. De quibus Dominus: Osiæ IV. *Propterhoc dolavi in Prophetis* Hi tũsionibus & pressuris expolit lapides ad ædificiũ Domus Domini præparabãtur. Ipsa autem Domus, dum ædificaretur, malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita, quia Spiritus-sanctus operatione quietissima ædificabat in partu Virginis: Siquidem in virgineo corpore tantam invenit Spiritus-sanctus requiem, ut nulla ibi perstrepente pugna carnalis molestiæ, tanquam mallei percussione, Domus Domini structura, cum suis integralibus partibus perficeretur. Porro sunt tres integrales Domus Hujus partes Fides, Spes, Caritas. In Fide fundamentum Domus est positum: in Spe parietes elevati: in Caritate tectum consummatum. Domus Sapientiæ, quæ est humanitas Christi, Fide fundata est, quando fide Virginis Verbum fuit conceptum. Parietes sunt erecti ejusdem Domus cùm Deus Homo per sidem natus profecit ætate & Sapientia. Tectum Domus fuit consummatũ, cum peracta carnis dispensatione, Filius Dei ascẽdens ad cælos, Spiritum-sanctum credentibus misit in remissionem peccatorum ut beati essent, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Exornatio hujus Domus consistit in Verbi humanati operationibus, virtutibus, miraculis, gloria, quæ ab Evangelistis accuratè annis singulis Dominicæ prædica-

dicationis describuntur, & continent purissimum aurum, gemmasque pretiosissimas sensu mystico omnis generis, plures, quàm habuerit Templum materiale Salomonis. DEDICATIO Domus Sapientiæ, quà est Christi Humanitas, dici potest gloriosa Resurrectio: nam per eam omni mortalitatis, seu passibilitatis paupertate detersa, solennitas æterna, festivitas sempiterna in voce exultationis, & confessionis in ea celebrata est ab Angelis, & celebratur a celebrabitur ab hominib⁹, quotquot sunt vel erunt filii Resurrectionis. Plura de Domus Sapientiæ, quatenus est corpus Christi, aut Humanitas illius, Ædificatione, partibus, ornatu, dedicatione, dicemus propriis locis, ac titulis: cum tanquam Templum, Hospitium, Palatium describetur.

SERMO VIII.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sensu Anagogico.

1. CÆLUM empyreum anagogicè dicatur Domus Sapientiæ. Septem Columnæ, universitas Angelorum, quos excidit Sapientia, id est, à ruina cadentium separavit, Job XXVI. 11. *Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.* Ita Ugo Cardinalis. Proverbior. IX.

11. Corpus glorioſum, quod tanquam Domum inhabitationis ædificat sibi, scilicet filiis, discipulis, & auditoribus suis Sapientia, si vitam suam secundum monita data instituant. Ad hunc sensum facit illud Christi Joannis secundo 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, id est, post mortem, corpus glorioſum red-

dam

dam, illudque anima iterum inhabitabit: nam loquebatur de templo corporis sui.

III. Domus, Thronusque in cælo. *Scimus*, inquit Paulus Apostolus, 2. Corinth. 5. 1. *quoniam, si terrestis Domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod Ædificationem ex* Deo *habemus, Domum, non manu factam æternam in cælis.*

SERMO IX.

DOMUS SAPIENTIÆ

Tropologicè. Ethicè. Moraliter.

QUÆ sit illa Domus, quam Sapientia ædificavit sibi pervarios sensus ac interpretationes diu agando investigavimus hactenus; nunc tandem ventum est ad significatiouem Tropologicam, seu interpretationem Ethicam, quæ Latinis dicitur sensus Moralis, nostro proprius instituto, ac proinde ineo diutius morabimur. Quod ut fiat absque confusione, sit

ARTICULUS I.

Domvs Sapientiæ.

Tropologicè.

COR JUSTI

HOminis Justi Cor considerat Ugo Cardinalis, ut Domum Sapientiæ, in quâ fundamentum est Fides, parietes, Spes, & Timor: altitudo, Humilitas: longitudo, Longanimitas: tectum Caritas. Septem Columnæ sunt septem virtutes, quas enumerat Apostolus in altera

ad Corinthios cap. VII. *Ecce hoc ipsum secundum* DEUM *contristari vos quantam in vobis operatur* solicitudinem : *sed* defensionem, *sed* Indignationem, *sed* Timorem, *sed* Desiderium, *sed* Æmulationem, *sed* Vindictam. Septem alias Columnas contemplatur in Justo S. Bernardus super illud psalmi XCVI. 2. *Iustitia & judicium correctio sedis eius*, dicens, *Superioribus debemus* Reverentiam, & Obedientiam: *paribus* Consilium, & Auxilium: *inferioribus* Custodiam, & Disciplinam: *Septima est iudicium iustum, ut* justè judicemus.

SEPTEM ab hic diversas Columnas comminiscitur Cardinalis Charensis: nimirum, Virtutes septem robustas, quæ maximè valent ad sustentanda septem onera, quæ sunt in homine mortali, Sunt autem ista. PRIMUM pondus proprii corporis: Sapientiæ IX. 15, *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Hoc pondus sustinet disciplina vitæ præsentis cum spe futuræ. Ad Hebræos XII. 5, *Fili mi noli negligere disciplinam Domini.* Ver. 11. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* SECUNDUM Pondus Tribulationum; & passionum: quod satis leve est, quia breve. De quo 2. ad Corint. 4. *In præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ. supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Propter quod non deficiamus.* Hoc onus portat Patientia. TERTIUM, Gravamina proximorum quæ ipsi patiuntur, & inferunt. Hoc onus portat Caritas. Ad Galat. VI. 2. *Alter altrius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* QUARTUM Pondus, vel stimulus datus contra elationem de bonis concessis. De quo in alterâ ad Corinthios XII. 7. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Hoc onus portat Humilitas. Unde Gregorius

in

in Moralibus. *Aquas appendere in mensura*, est inter prospera & adversa, inter summa & infima, inter tentationes & dona animarum, sensum in humilitate custodire. Ut enim est Job. XXVIII. 25. Deus *fecit ventis pondus & aquas appendit in mensura*: ejusdem beneficio, ut inter prospera & adversa Humilitate sit firmus Justus consequitur. QUINTUM, Tristitia, de dilatione præmii cælestis. Psalmo LXVIII. 4. *Defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.* Hoc onus portat Longanimitas. SEXTUM, Debitum officiorum, Hoc onus sustinet Discretio.. Unde Jetro suadens discretionem Mosi dicebat Exodi XVIII: 18. *Stulto labore consumeris tu & populus iste, qui tecum est. Vltra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere* SEPTIMUM Pondus propriorum laborum, sive studiorum. Hoc onus portus Hilaritas conscientiæ. Sine qua cito corruit homo in laqueum acediæ.

ARTICULUS II.
DOMUS SAPIENTIÆ.
Moraliter.

JUSTI ANIMUS, vel ANIMA,

CONVENIT cum superiori emblemate, sive enim Domus Sapientiæ dicatur esse Cor justi homnis, sive ejus Animus, vel Anima, idem significatur: nempe, vel pars ipsius rationalis, in quâ proxime sunt virtutes, vel homo ipse totus justitiæ ac sanctitatis amans & sectator. Atque ita Domum Sapientiæ interpretantur multi ex Sanctis Patribus. Nam Sapientia ædificat, aptat, præparat Animam, ipsumque Justum, ut in eo tanquam Domo, habitet Pater Filius & Spiritus sanctus, juxta Sapientiæ Incarnatæ promissum, Joan. XIV. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus dili-*

diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. An non etiam menſæ accumbent, & cœnabunt in eadem Domo? Audi pollicitationem ejuſdem: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Apocalyps. III. 20. Itaque Juſtus, vel ejus Anima, eſt Domus, in qua SS. Trinitas inhabitat, & convivatur. Ita fere S. Athanaſius Oratione V. contra Arianos, explicans illud, Ex Deo Deus, & in diſputatione contra Arium in Concilio Niceno, Auctor operis imperfecti homilia XX. in Matthæum. S. Bernardus ſermone III. De adventu Domini, S. Bonaventura Sermone de ingreſſu ad Sapientiam, & ſeptem Donis Spiritus-ſancti.

ARTICVLVS III.

Quæ, Qualisq; Iuſtitia conſtituat Iuſtum: & in eo Animam pulcherrimùm Domum Sapientiæ.

S. Bernardus ſemone IX. ex parvis poſtquam ſe formaſſet pulcherrimè Deiparam, ut Domum Sapientiæ, quam imaginem in Symbolicis Mariana expoſuimus, monet Nos, ut ſi ejuſdem Sapientiæ Domus fieri volumus, iiſdem quibus Domus Mariana, ſeptem Columnis extruamur, id eſt, *ut fide & moribus ei præparemur.* Adjungit autem: *In moribus quidem ſolam putat ſufficere* Juſtitiam, *ceteris tamen virtutibus circumfultam. Ita taq; ne errore fallatur ignorantiæ, ſit ei prævia* Prudentia. *Sit hinc inde* Temperantia *atque* Fortitudo: *ne fortè labatur, vel in dexteram, vel in ſiniſtram partem declinando.* Quod Sapienter dictum reor à Doctore Clarevallenſi. & Juſtitiæ Antiſtitibus maximè advertendum: Solam Juſtitiam ad ipſorum officium ſufficere, ſi aliarum virtutem chorus cingatur: nam ſi ſolitaria ſit abſque illarum conſortio contingit frequenter, vel errore, vel declinatione ad mi-

mi-

mium rigorem (cum interdum, summum jus summa sit injuria) peccari. Id exemplis ex omni historia clarissimis & maximè admirandis ostendi posset. Unum tantùm profero, quia recentius, & valere potest ad instructionem illorum, qui judiciis, & præcipuè rerum capitalium præsunt. Apud illos Regula ex Justitiæ præscripto recepta est, Theologiâ etiam approbante: *Ex allegatis & probatis*, accedente præsertim propriâ confessione, procedi ad sententiam condemnationis posse. Attamen, si hæc sola spectetur, & non adsit prudentia, æquitas, epikia, caritas, denique industria in Judice, omnibus viis investigandi, & eximinandi quod est dubium, ac eliciendi veritatem, facile aberratur. Excipite quid acciderit Neapoli Patrum nostrorum memoriâ. Pius V. Pontifex Max. Anno M. D. LXX. Pontificatus V. inter Cardinales XVI quos creavit, expressit quoque F. Paulum Aretium Italum, Istrii honesto loco natum, cui in baptismo Scipio nomen datum fuerat. Is Legum studio, & peritiâ insignis, caussarum capitalium Neapoli Judex resignato officio, & seculari vitâ abjuratâ, Clericorum Regularum institutum, qui Theatini vocantur in monasterio S. Pauli amplexus est, deinde, mutato nomine, F. Paulus dictus. Cur autem seculum desereret, & religionem ingrederetur hæc fuit occasio.

Cum Judicem ageret, quendam ipse hominem insimulatum homicidii, & post probationes, allegationesque, tormentorum vi, expressa confessione, atque ita convictum suspendi jusserat, Reus, cùm ad furcam diceretur, se neĺquaquam id scelus admisisse palam adfirmabat: dolebat interim ac lamentabatur, quod falsâ delatione circumventus, ac tormentis superatus ad infamem ac innocentia suâ indignam suspendii mortem raperetur. Sed Judex post latam semel feralem sententiam,

am, fractoq; judiciali bacillo, istiusmodi protestation
bus moveri non consuevit. Sic frequenter suspenditu
suffocatur, ustulatur, omnique mortis genere afficitu
certe potest affici, innocens: quis contradicat? Admir
tus tamen tot tamque constantes obtestationes Scipi
nec ratus tormentorum violentiâ quemquam adi
posse, ut fateatur, unde capitis periculum moximm
neat, eam rem experiri voluit in domestico. Ergo stab
lum clam ingressus, mulam suam pugione confodit,
mox à famulo doli ignaro sibi sterni jubet, tanquam
gressuro. Is mulam interemptam referens, heri ju
in vincula conjectus, examinatus, tormentis exagitat
non admissum crimen fatetur: immo, causam add
quæ probabilitatem augeat: se gladiolo mulâ confeci
quod recalcitrando molestiam exhibuisset. Qua re
nimadversâ Scipio, & expendens secum diligente
quanto in periculo tum Judices omnes, tum ii potis
mum, qui capitalibus rebus, & hominibus torquend
præsunt, versentur, quamvis maximè justi videantu
postquam illatum famulo suo damnum, benigne ac
beraliter compensasset, exosus periculosam Judicu
conditionem, securionem vitæ rationem, & magis
peditam ad animæ salutem, viam religionis elegit,
quâ peragranda ita sedulus, continens, piusque proc
sit, ut post alias Ordinis sui dignitates à Civitate Neap
litana ad Philippum II. Hispaniarum Regem Cathol
cum Orator missus fuerit, tum Placentino S
cerdotio insignitus, denique à Pio V. in Cardinali
Senatum sit allectus. Sedente autem Gregorio XIII, A
chiepiscopus Ecclesiæ Neapolitanæ renunciatus, cu
ibi non modò verbo, institutisque præclaris, sed raro
riam sanctitatis exemplo creditum sibi gregem ferè b
ennio instruxisset, vitam hanc mortalem cum immo

tali

tali commutavit, & in sui Ordinis templo tumulari voluit, sine epitaphio, quod id affigi humilitatis religiosæ gratia testamento prohibuisset. Quæ à me eo fine relata sunt, ut obsignata maneret D. Bernardi sententia, &, ut qui ad imitationem Dominæ nostræ optat esse DomusSapientiæ,sciat post fidei in Sanctissimam Trinitatem Columnam triplicem,sufficere in moribus Justitiam, non quamlibet, sed illam, quæ in sese

Virtutes continet omnes.

Qua Justus extruitur in Domum Sapientiæ.

(a) *Alphonsius Ciacconius in, Vitis Pontif.& Cardinal.sub Pio V.Mortuus est Card. Aretius Anno* 1577.

ARTICVLVS IV.

DOMUS SAPIENTIÆ

Spiritualiter

Anima Iusti dignè Communicantis.

INTER celeberrimas de significatione Domus Sapientiæ. interpretationes, est una apud Sanctos Patres vulgatissima, qua refertur ad EUCHARISTIAM, in quam ita conspirant plurimi doctores Ecclesiæ, ut dubitari possit, an accommodatitia appellari debeat, cum de sensu literali plurimum habere videatur, ob unanimem magnorum Patrum consensum. Certè verba illa, *Sapientia ædificavit sibi Domum: Excidit Columnas septem. Immolavit victimas suas: miscuit vinum, & proposuit mensam suam* accipiunt de Sacramento Altaris, S Cypriacus epistola ad Cæcilium, & lib. 2 testimoniorum contra Judæos. S. Ambrosius lib. IV. de fide cap. 7. D. Chrysostomus. homil. in Psalmum XXII. Anastasius Nicenus quæst. XL. in Sacrâ-scripturâ aliique non pauci. Secundum hanc interpretationem DOMUS SAPIENTIÆ designare potest

&

& Ecclesiam Christi, & Animam hominis Justi, digne in Eucharistiâ Christum recipientis. Et quidem in Ecclesiâ suâ Christus Eucharistiæ Convivium, lautissimum quotidie invitatis suis exhibet. Ut hic sit sensus sententiæ Salomonicæ: *Sapientia ædificavit sibi Domum*: Christus Sapientia Increata, eademq; Incarnata, extruxit Ecclesiæ sibi suisque fidelibus, veluti cænaculum, aut TRICLINIUM. Hoc enim, ut superius est demonstratum, *Domus* hîc litteraliter significat, Nomen autem illud per bellè accommodatur Ecclesiæ Christianæ, propter fidem SS. TRINITATIS, ad quam ingredi eam volens vocatur, & quilibet illam ingrediens ea initiatur.

BENE etiam Ecclesia, quatenus in eâ dispensatur Eucharistia vocatur *Triclinium*, quoniam exhibet in se quasi tres accubitorios lectos, in quibus Eucharisticæ Mensæ triplex hominum genus accumbit. Hos enumerans S. Thomas, Opusculo LVIII. quod est de Vener. Sacramento Altaris, dicit esse *Dignos*, *Indignos*, *Non-dignos*, Vocantur, *Non-digni*, qui nullius lethalis culpæ sibi conscii accedunt, tamen reipsa non vacant culpâ: peccarunt mortaliter, sed peccati commissi non recordantur, aut illius notitiam non habent: in quib⁹, ut sentit Angelicus Doctor, Sacramentum peccati maculam eluit per accidens. *Digni* dicuntur, qui ab omni lethiferâ noxa liberi Mensæ divinæ accumbunt *Indigni*, qui vel una peccati mortiferi macula fœdati, nulla ignorantia excusabiles. Differit autem fusè eodem Opusculo Aquinas per capita omnino XXXI. de admirandis hujus Mysterii, deque requisitis æd illud dignè participandum, atque ostendit ingeniosè, omnia, quæ ad Eucharistiam pertinent, & in illa, aut circa illam considerari possunt commodè ad TRIA revocari.

ET imprimis Tres causas Institutionis Sactamenti

Cor-

Corporis Christi enumerat: Scilicet *Memoriam* Salvatoris, *Sacrificium* Altaris, *Cibum* hominis, Quæ tria dispositi in Sacramento hoc divina Sapientia, contra Tria vetera mala scilicet contra oblivionem Dei, contra debitum rapinæ alienæ rei, contra corruptiones pomi mortiferi. Prima causla, quæ est Memoria Salvatoris Tria complectitur: nempe, memoriam de præterito, ut nostri Redemptionis, qui propter nimiam caritatem à morte mala morte sua liberavit nos: de præsenti, ut omnium Inspectoris, qui per occultam præsentiam omnia nostra cernit: de futuro, ut justi Judicis, qui per omnipotentiam suam omne pravum incorrectum districtè judicabit. In secunda causla, quæ est Sacrificium, Tria quoque considerat: Formam offerendi: Sacrificii legalis usurpationem: Excellentiam nostri Sacrificii. Ad tertiam causlam, quæ est cibus hominis: nempe, quod Dominus suum Corpus dat in cibum, Tria perpendit, in quibus est triplex Sapientiæ divinæ ratio: summam liberalitatem, qua major esse non potest. *Primò*, quantum ad magnitudinem doni. *Secundò*, quantum ad nobilitatem dantis *Tertiò*, quantum ad utilitatem accipientis. Summam curandi per cibum medicinalem diligentiam, *Primò*, quãtum ad congruam curationis inchoationem. *Secundò*, quo ad continuationem. *Tertiò*, quoad consummationem. Progreditur deinde S. Doctor. Et cur potissimum in specie Panis, vitæ auctor se manducandum offerre voluerit, Tres adsignat causlas: & Tres subnectit, ob quas non alterius Panis quàm triticei. Posthæc, Tria Sacramenti Eucharistici Mirabilia deprædicat, & singula Tribus aliis constare ostendit. Prætereâ, Tria ad præparationem necessaria præscribit: & hæc Tria novis Ternariis amplificat. Posteà triplicem manducandi modum proponit: & in singulis modis Tres differentias explicat.

plicat. Ulterius, fructuum Tria quaternaria c
numerat: & principales effectus Tres esse dici
Tribusque nominibus principalibus exprimi adfirma
Tandem potum Sanguinis Christi Ternario circum
scribit. Quæ cum integra Capita haud brevia apud Au
torem suum conficiant, si legantur, amplissimam da
bunt, contemplandi & disserendi de Eucharistico con
vivio in Domo Sapientiæ materiam. Inde autem appa
ret quàm convenienter Sacrum istud divinumque Con
vivium celebrari dicatur in Domo, seu Triclinio à Sa
pientia ædificato, cùm in eo quicquid arripis, imm
consideras, in Tribus, vel solitariis, vel cum alio Te
nario connexis patinis contineatur.

Septem Columnæ, quibus fulcitur Cœnaculum Eu
charisticum, sunt Doctores Ecclesiæ, qui repleti sept
formi gratiâ Spiritus-sancti, divinissimi hujus Sacra
menti arcana in lucem protraxerunt, & fortiter propu
gnarunt: Quorum scripta concipere licet, ut vela ipsi
appensa, mensas Eucharisticas ab hæreticorum, ut mu
scarum morientium excrementitiis sordibus lances fi
dantibus defendentia. Jam vero, quod in hac ipsâ
Eucharistiâ interpretatione, sensu ad mores accommo
dato, Domus, sive Cænaculum, à Christo æterna De
Sapientia exædificata, rectè dicatur Anima Iusti accum
bētis Mensæ Eucharistice, & digne de cælesti illa bucce
participantis, iidem, quos antea laudavi, Catholicæ doc
trinæ assertores adfirmant. Et valet hic quoque figu
Triclinii. Habet Triclinii formam Anima Iusti, q
Christo Sacramentaliter, & Spiritualiter pascitur. Sun
enim in illâ, ut in conclavi ad convivandum tribus lect
accubitariis, mensisque instructo, tres Potentiæ, velu
recubitoria aulæis floribusque exornata, & suaviter re
dolentia. Nimirum *Memoria*, *Intellectus*, ac *Voluntas*. I

his

his considerare licet Tres convivas, *Patrem, Filium, Spiritum Sanctum* hilariter cœnantes: in Memoria hæret Pater, Intellectum occupat Filius, in Voluntate versatur Spiritus, Amor vtriusque. Adjunge Trinitati Increatæ, creatam aliam Triadem: & in Intellectu colloca Fidē, in Voluntate Caritatem, in Memoriâ Gratitudinem, seu Gratiarum actionem, quæ memoriam beneficiorum consequitur. Aliam Triadem suggerit. S. Thomas, quam celebrat Ecclesia Catholica, sed sentit in se Anima Justi fruentis deliciis Eucharistiæ, quæ triplices exprimuntur in Carmine conviviali, *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur Memoria Passionis ejus: Mens impletur Gratia: & futuræ Gloriæ nobis Pignus datur!* Licet huc advocare Psaltem Regium, quod faciunt præclari Scripturæ interpretes. Is enim Psalmo cx. Ita intellectum Memoriam & Voluntatem depingit ac si circa Sacram Mensam in Animæ cænaculo tres lectos constituere voluisset, quemlibet cum suo conviva, Audite. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se* En Memoriam, in qua epulatur Gratiarum actio. nam præcesserat: *confitebor.* id est, gratias agam, *Tibi Domine in toto corde meo.* Sequitur, *Initium Sapientiæ Timor Domini.* En Voluntatem, in qua recumbit Caritas, quæ per Timorem Domini filialem, ut exponit S. Augustinus, intelligitur. Denique, *Intellectus bonus omnique facientibus eum.* En Intellectum, in quo hæret Fides, Dei cognitio, Contemplatio, & ut legit S. Hieronymus *Doctrina bona*, Quibus instigatur Anima ad omnem virtutem, & jugem Dei operumque illius deprædicationem, quæ continetur epiphonemate *Laudatio eius manet in sæculum sæculi.*

Ut autem hoc animæ devotæ Triclinium sit firmissimum, ornatissimumque, Sapientia excidit Columnas

septem, per quas, vel intellige definite septiformem Spiritus-sancti gratiam, quâ ad dignam Divinissimi Sacramenti participationem Anima Justi disponitur, ac deinde in gratiâ accepta firmatur? vel indesinitè, virtutes omnes, quæ simul & fulciunt, & ornant: fulciuntur Columnæ, propter robur insitum, est enim virtus omnis per se constans: ornant, ut picturati tapetes, ob elegantiam adnatam: quare hic concipi possunt, ut peripetasmata, ad ornatum & tutelam: ne cælestes epulæ, sive velariis expositæ, ab incidentibus peccatorum, qui mortalium sordibus quà vemalium pulvisculis conspurcentur.

UTINAM quotiescumque ad Sanctissimi Sacramenti opiparam Mensam accedetis, Sapientia æterna ædificet in vobis Domum, id est, apparet cænaculum, & Triclinium tanta dignũ Majestate, Animam vestram, tribus instructam lectis convivialibus, Intellectu, Voluntate, Memoria: & Intellectum insternat tapete fidei, Memoriam aulæo Spei, Voluntatem peristromate Caritatis, sicque nunquam indigni, nunquam etiam, quod optandum, non-digni, sed semper digni, excipiatis, cum Christi corpore, Sanctissimam TRINITATEM, DEUM PATREM FILIUM & SPIRITUM-SANCTUM.

Amen.

NOTÆ.

§. 1. S. AUGUSTINUS in Psal. CXXVI.] Salomon filius Davidis ædificaverat Templum Domino in typo quidem & figura futuræ Ecclesiæ & Corporis Domini. Unde dicit in Evangelico (*Ioan. 2. Solvite Templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Quia ergo Salomon ædificaverat illud Templum, ædificavit sibi Templum verus Salomon Dominus NOSTER JESUS CHRISTUS, verus Pacificus. Est autem ille verus Pacificus, de quo dicit Apostolus ad Ephe-

Ephesios secundo *Ipse est enim Pax nostra, qui fecit utraque unum.* Ipse est verus Pacificus, qui duos parietes è diverso venientes in se copulavit, quibus factus est lapis angularis, venienti populo ex circumcisione credentium & venienti populo ex præputio gentium, & ipsorum credentium, fecit unam Ecclesiam ex duobus populis; & factus est lapis angularis, & ideo verus Pacificus, quia verus Salomon. Salomõ autẽ ille filius David de muliere Bersabee Israël figuram gestabat hujus Pacifici, quando Templum ædificavit: ideo ne illum putes Salomonem, qui ædificavit Domum Deo, alium Salomonem tibi ostendens, intonat Psalmista.

§. II. *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Dominus ergo ædificat Domum: Dominus Jesus Christus ædificat Domum suam, Laborant multi in ædificando, sed si non ille ædificat, in vanum laboraverunt ædificantes eam. Qui sunt isti, qui laborant ædificantes? Omnes qui in Ecclesia prædicant Verbum Dei, Ministri Sacramentorum Dei, Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modò: & ante nos alii cucurrerunt, laboraverunt, ædificaverunt. Sed *nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Ideo quosdam videntes ruere Apostoli, & propriè Paulus ait *Dies observatis & annos & menses, & tempora. timeo ne fortè sine causa laboraverim in vobis* (Galaticæ. IV.) Quia noverat se intus à Domino ædificari; plangebat istos, quia sine caussa laboraverãt in eis. Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus. Quomodo audiatis nos advertimus: quid cogitetis, ille solus novit, qui cogitationes vestras videt ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat; & amplificat sensum vestrum: & tamen laboramus & nos tanquam operarii. Sed nisi Dominus ædificaverit Domum in vanum laboraverunt ædificantes eam.

§. III. Quæ autem Domus Dei & ipsa Civitas. Domus enim Dei Populus Dei, quia Domus Dei Templum Dei. Et quid dicit Apostolus? *Templum enim Dei Sanctum est, quod estis vos* (1. ad Corinth. 3.) omnes autem fideles qui sunt Domus Dei, non solum qui modo sunt, sed & qui ante nos fuerunt & jam dormierunt, & qui post nos futuri sunt, adhuc qui nasci habent in rebus humanis usque ad finem seculi, congregati in unum fideles innumerabiles, sed Deo numerati, de quibus dicit Apostolus: *Novit Dominus. qui sunt ejus.* (2. ad Timotheum. 2.) Grana illa, quæ gemunt modo inter paleas, quæ massam unam factura sunt, quando area in fine mundi fuerit ventilata (Matthei 2.) Omnis

ergo numerus fidelium ex hominibus commutandorum, ut fiant æquales Angelis Dei adjunctis etiam ipsis Angelis, qui modò non peregrinantur, sed exspectãt nos, quandò à petegrinatione redeamus, omnes simul unam Domum Dei faciunt & unam Ci vitatem. Ipsa est Jerusalem, quæ ut habet ædificantes, laborantes ut ædificetur sic habet & Custodientes, de quibus dicitur: *Nisi Dominus custodierit civitatem; in vanum laboravit, qui custodiam.*

§. IV. *Frater Autores nominatos per sermones, & scriptura Interpretes in Proverb.* Ferdin. Salazar, & Cornelium de lapide, *legatum* Carolus Musart, *libello, cui titulus,* Sunamitis Christiana: sive *Affectus pii, quibus exemplo Mulieris Sunamitidis Eliseum hospitio recipientis, Anima disponitur, ad ritè, & magno cum fructu suscipiendum Christum in Venerabili Eucharistia.*

OPVSCVLVM III.

ÆDIFICIUM

ARCHITECTI CHRISTIANI

Quod est

FABRICA VIRTUTUM.

Obiectum

ACHITECTI TROPOLOGICI.

SERMO I.

ÆDIFICIUM MORALE PHILOSOPHICUM

ARTICULUS I.

Quintuplex Ædificium

Architecti Christiani Tropologici.

DEus Opt. Max. ſicut in hominis ad æternam vitam Electione, & in ejuſdem Creatione, ac deinde in Redemptione per Filii ſui Incarnationem, necnon in Eccleſiæ conſt.-

tutione egit Sapientissimum Architectum, ut suis locis est demonstratum; ita in Justificatione vel sanctificatione cujusque, sive per Sacramenta, sive absque iis ea fiat, ad instar Architecti opus suum peragit. Quamobrem cùm hominem, post lapsum, de peccatis dolentem, veniamque deprecantem in gratiam recipit, Ædificium in illo extruit, in quo ipse tanquam in domo, aut Regia, sua Majestate haud indigna commoretur.

Hoc Ædificium non est aliud quam virtutum coagmentata universitas; in qua quædam, ceu Fundamentum, imam, quædam, velut parietes, mediam, quædam denique, tanquam alia domus membra, interiorem, exteriorem que partem occupant. Ad hanc autem Fabricam erigendam Christianus Sapiens, tanquam peritus Architecturæ, manum admovere, & operam quotidianam, ut conservetur, conferre, si muneri suo satisfacere velit, debet: nam contemplari tantùm & ociosè aspicere, non est satis. Ut autem intelligatur, dum in hoc Ædificio construendo laborat, non unam esse Domum quam sibi propositam habere debet: OBSERVA. Quintuplex esse Ædificium, quod sibi quilibet Amator Sapientiæ objicere possit, ut suæ opus industriæ. *Primum* voco Ædificum morale Philosophicum, *Secundum* Spirituale Theologicum. *Tertium*, Ædificium Gloriæ meritorum. *Quartum*, Ædificium boni exempli. *Quintum*, Ædificium Adoptivum. Horum omnium, & singulorum Christianus Sapiens est Architectus Tropologicus.

ARTICULUS II.

VIRTUTES.

Ex quibus construatur Ædificium Morale Philosophicum.

Hic necessario præmittendæ sunt virtutum aliqua distin-

distinctiuneulæ, ne unius Ædificii materia accipiatur, quæ est alterius, magno errore, Ædificatoris lapides temerè confundentis. Itaque PRIMO dividatur Virtus ex efficiente in *Naturalem*, *Acquisitam*, & *Infusam*. Naturalis est, quàm una cum naturâ ab Auctore naturæ homo accipit. Atque hac acceptione, una tantum est naturalis: nempe habitus primorum ptincipiorum. Adquisita vocatur, quam homo suis actibus efficit, iisque frequentatis adquirit habitum. Infusa dicitut, quàm donat DEUS infundendo: unde illi nomen. SECUNDO, distinguatur virtus Adquisita ex materiali caussa vel subjecto, in *Intellectualem*, quæ est in parte apprehensiva, & *Moralem*, quæ est in appetitivâ Cùm enim virtus sit dispositio perfecti ad optimum, ut Aristoteles definit *lib. 7. Phys. cap. 3.* quia perficit supremas animæ potentias Intellectum & Voluntatem ad optimam operationem circa honestum prout congruit naturæ rationali, secundum cujusque statum & conditionem, necesse est duplex ejus esse genus, quorum alterum sit in intellectu, alterum in voluntate. In intellectn quæ sunt, dicuntur *Intellectuales*, quarum quinque species enumerat Philosophus: *lib. VI. Ethic. cap. 3.* & sunt, *Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia Intellectus.* Quæ in voluntate, appellantur *Morales*, quatenus Morale dicitur, quod ad inclinationem appetitus, sive rationalis, sive sensitivi spectat, & mores hominum secundum rectæ rationis præscriptum componit. TERTIO, Virtus infusa ex diversitate caussæ formalis, id est, objecti, dispescitur in *Theologicam*, quæ habet pro objecto ultimum finem, DEUM: & virtutem *Moralem, infusam* quæ habet pro objecto medium ad illum finem. Jam verò,

ÆDIFICIUM MORALE PHILOSOPHICUM appello, quod constructur ex virtutibus moralibus, quas pri-

sci Philosophiæ Magistri agnoverunt, & nunc fidei illustrati lumine, Philosophi tamen, quamvis ad Theologiæ adyta non admittantur, quales multi, perspectas habent. Iis igitur virtutibus, quæ humano studio, & exercitatione adquiruntur, & idcircò ADQUISITÆ vocari solent, constat Primum Ædificium: quod ideo etiam Humanum dici potest. Cujus materia partesque facile intelligentur ex virtutum illarum enumeratione.

ARTICULUS III.

ENUMERATIO VIRTUTUM

Ex quibus construitur Ædificium Humanum Morale Philosophicum.

VIRTUTES, quas designavimus, & generatim descripsimus sunt universè in duplici differentia. Aliæ namque, perficiunt hominem, ut rectè se cum proximo, secundum rationis præscriptum, gerat: quæ virtutes dicuntur esse ad alterum, & circa operationes: Aliæ perficiunt eundem, ut suis appetitionibus modum ponat, affectusque, qui passiones, aut perturbationes vocantur, ad mediocritatem flectat: hæ dicuntur esse circa passiones. Utriusque genus est varium & multiplex.

ET quidem, quæ circa alterum & operationes sunt hoc ordine numerari possunt. I. JUSTITIA virtutum moralium princeps. Hæc describitur à Juris-Consulto (a) *Constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi*: id est, virtus, qua quis constante ac perpetua voluntate, sci-

Aristoteles lib. 5. 8. 9. Ethicor. S. Thomas 1. 2. q. 59. & 60. Vbi vasquez 2. Salas, Tannes, Valentia disp. 5. q. 4. Azor lib. 3. Inst. cap. 28.

(a) Ulpian. ff. de Just. & Jure l. Justitia Institut. eod. tit. §. 1. vide Arist. 5. Eth. 2.

sciens, prudens, atque ex electione, propter honestum finem, unicuique jus suum tribuit. Partes illius integrantes, ut tradit S. Thomas (a) sunt duæ : Facere bonum, & declinare à malo: tribuendo alteri, quod æquum est, ac debitum : vitandoque, quod alteri noxium, aut incommodum. Itaque Justus æqualitatem cum omnibus servat, faciendo bonum, & æqualitatem non corrumpit, declinando à malo. II. RELIGIO, quæ debitum cultum DEO defert. Virtus homini, quatenus est Dei creatura, maximè conveniens. Ejus duplex est genericè officium, Interius. Sub quo sunt, *Devotio*, & *Oratio*. Exterius, sub quo continetur, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Votum*, *Iuramentum*, *Adiuratio*, *Laus*. Hæc ità definiri solent. *Devotio* est operatio voluntatis paratæ ad præstanda ea, quæ ad DEI cultum & gloriam spectant. *Oratio* est petitio decentium à Deo. *Adoratio* est actus, quo non solum mente, sed externa etiam corporis significatione Deo reverentiam homo exhibet. *Sacrificium* est oblatio, qua exterius aliquid Deo offertur ad eum honorandum ac placandum cum protestatione supremi dominii, cui se subditum Sacrificans significat. *Votum* est deliberata promissio de bono facta Deo. *Iuramentum*, actus &, quo revereter Deum in testem sumimus, ad alicujus rei confirmationem. *Adiuratio* est invocatio nominis divini, qua quidpiam deprecando, aut compellando, ad aliquid faciendum vel non faciendum inducimus. *Laus* est adsumptio nominis divini externa voce facta. Scio disputari posse, an non inter internos Religionis actus computari debeant, Laus, Adoratio, Votum, ac fortè Juramentum? inter externos autem Oratio, & fortasse Devotio. Sed hoc ad Scholas amandamus, & numerare pergimus. III. PIE-

(a) S. Tho. 22. quæst. 99. art. 10. Iessius lib. 1. de Iust. & Iure lib. 1. Salas. 1.2. quæst. 59. tract. 11. q. 4. Sect. 3.

III. PIETAS. Hac parentibns imprimis, tum omnibus sanguine junctis, patriæ, & patriæ benevolis debita officia, & cultum exhibemus, atque impendimus. IV. OBSERVANTIA. Hac personis dignitate, virtuteque præstantibus reverentia defertur. V. OBEDIENTIA. Hac voluntas prompta ac facilis redditur ad superiorum præcepta implenda. VI. VERITAS, seu *Veracitas* per hanc homo verbis & factis talem se demonstrat qualis in se est: promissionem, si quam facit, exequitione veram reddit: denique, facit, quod addicit. Quare vocatur etiam ea virtus *Fides*, seu *Fidelitas*. Nam fides est, qua fit, quod dicitur, VII. GRATITUDO. Hac homo iis, qui de ipso benè meriti sunt, gratiam non solùm habet & agit, sed etiam cum potest, refert. VIII. VINDICATIO, quæ & *Iustitia vindicativa*. Hujus est convenienti ratione injuriam atque culpam ulcisci. IX. LIBERALITAS. Hujus directione homo gratis dispensat pecunias, vel quæ pecunia æstimantur, in usus bonos, suos vel aliis. Item, in aliorum utilitatem beneficia confert. X. MAGNIFICENTIA. Hæc versatur in magnis sumptibus, aliorum caussa susceptis, XI. AFFABILITAS. Quis in communi hominum consuetudine, & congressu mediocriter, ac, ut decet, habet se loquendo, agendoque suaviter: ac studet, quatenus potest, omnibus benignè obsequi. XII. AMICITIA. Hac Aliqui mutuam apertamque benevolentiam inter se habent ac vicissim ostendiisse colunt, ob aliquod bonum, & non ob solam jucunditatem. Distinguitur ab Affabilitate, quæ est erga notos & ignotos: Amicitia erga notos tantùm. Et Affabilitas versatur in sermone, & vitæ consuetudine: Amicitia potissimum in affectu. S. Thomas 22. q. 80. art. non nominat in hac virtutum serie Magnificentiam, sed insinuat revocari ad Liberalitatem. Ad aliquam etiam

vocan-

vocanda est MISERICORDIA, nisi sit specialis virtus.

JAM verò Virtutes ad affectiones moderandas, sunt fere totidem, quæ ad Ædificium morale Philosophicum constructendum adhiberi debent. Decem colliguntur ex Aristotele (*a*) & S. Thoma, quibus adjunguntur aliæ, vel ad alias revocantur. Sunt autem istæ. I. TEMPERANTIA. quæ moderatur passiones concupiscibilis circa tactum, prout gustum etiam comprehendit. II. LIBERALITAS. quæ quatenus ponitur etiam in Concupiscibili, moderatur amorem, concupiscentiam, delectationem circa pecunias, quæ sunt bonum quoddam delectabile, quod attingitur, non sensu exteriori, sed interiori: nempe *Potentia cogitativa*, quæ potest in particulari æstimare pecuniam, ut bonum commune, ad commutationes, & similia. Itaque Virtus hæc tribuit homini, ut temperet affectum circa habendi facultatem, sicque moderatè pecuniis utatur, maxime in largitionibus. III. PHILOTIMIA. quæ temperat passiones Concupiscibilis, id est, amorem, concupiscentiam, & delectationem circa dignitates ac honores? quæ etiam percipiuntur sensu duntaxat interno. IV. MAGNIFICENTIA: quæ versatur circa pecunias, ut sunt quoddam bonum arduũ ad consequendum, atq; idcircò, ut sunt objecta, spei, vel desperationis: quas proinde passiones virtus hæc redigit ad mediocritatem: & est in irascibili. V. MAGNANIMITAS: quæ moderatur spem & desperationem circa dignitates & honores, ut sunt bona quædam ardua, estque in irascibili. VI. VERITAS. quâ se exhibet quis alteri manifestum uerbis & factis decentibus: quatenus ex hoc capit etiam ipse aliquam delectationem. Atque ita hæc virtus est in concupiscibili, habens pro objecto exhibitionem, sive communicationem illam, quatenus ipsum delectat. VII. AMICITIA. Cui adjuncta AFFA-

BILI-

BILITAS: utramque confundunt nonnulli, quatenus est virtus, per quam quis seſe accommodat, & exhibet, alteri jucundum decentibus verbis & factis, in rebus seriis; ita, ut delectatio, quam ex hoc ipso aliquis capit, sive communicatio hæc ut delectabilis, intelligatur objectum hujus Virtutis, ac proinde ipsa inconcupiscibili. VIII. EUTRAPELIA: per quam quis accommodat, & exhibet se alteri jucundum, in jocis & ludis sicut decet, cujus virtutis objectum ea-propter sit hæc jocosa communicatio sui, ut adfert delectationem ipsi, qui se communicat: atque idcirco etiam hæret in concupiscibili. IX. FORTITUDO in irascibili circa timores & audacias, quas moderatur, & suscipit, prout est id utile ad aliquid consequendum. X. MANSUETUDO. Hujus est iram regere: quare & illi sedes est in irascibili. Sub his directè vel reductivè continentur aliæ. PATIENTIA revocatur ad Fortitudinem. CASTITAS Temperantiæ est species. Porro istis virtutibus, quæ collocantur in appetitu sensitivo, respondent totidem in voluntate, iisdem nominibus, & circa easdem materias.

ARTICULUS IV.

VIRTUTES MORALES ADQUISITÆ Constitunt Ædificium Philosophicum *Quod est* DOMUS HONESTATIS.

EX Istis igitur virtutibus, construitur primum, inter superius nominata, Ædificium, quod nuncupari potest, ut morale Philosophicum, ita Humanum & Naturale, quoniam humanis viribus, absque alia transna-

tura-

turali facultate potest extrui. Est autem hæc DOMUS HONESTATIS. Ita tamen, ut eam quoque inhabitet DEUS, quatenus est Naturæ Princeps. Quemadmodum enim, quando hominem ipse condidit per Creationem, tanquam Domicilium quoddam, in eo habitare cæpit, *Primò* quidem per assiduum influxum conservationis, ac dependentiæ necessariæ: quo pacto lumen habitat in aëre, quem illuminat: neque enim aër illuminatus absque inhabitante lumine esse potest; sic nec homo absque inhabitante DEO. *Secundò* autem per intimam penetrationem, qua DEUS, ratione suæ immensitatis, in omnibus corporis animæque facultatibus, ut in totidem Domus aulis ac conclavibus commoratur: estque magis intimè præsens, quam lumen aëri, vel anima corpori: ut benedixerit ille:

Est Deus in nobis. agitante calescimus illo.

Haud secus, quando DEO, tanquam supremo Architecto annuente, & vires subministrante, in nobis ex Virtutibus naturalibus Palatium ereximus, in illa DEUS, velut Auctor Naturæ, sedem collocat, & Honestatis hanc Domum incolere ipse censetur. Ut in fronte hujus Ædificii insculpi possit capitalibus litteris:

ET HIC QUOQUE DEUS EST

Quod olim Sapientiæ naturalis Sectator quidam furno aut dolio suo inscribebat.

SERMO II.

ÆDIFICIUM SPIRITUALE THEOLOGICVM

ARTICULUS I.

GRATIA SUPERNATURALIS

Ad Ædificii Spiritualis structuram necessaria.

LONGE augustius superiore est alterum *Ædificium* Christiani Architecti, quod *Spirituale*, & *Theologicum*, & *Divinum* appellari potest. Constat siquidem eâ materiâ, & ex iis construitur Virtutibus, ac Dei Donis: quæ naturalem hominis potestatem longè superant, ideoque humano studio, atque industria, nisi altior quædam vis atque potentia accesserit, haberi non possunt: quamobrem ea cælitus immitti, & infundi à DEO necesse est. Talis imprimis, omnium consensu Doctorum, judicatur esse divina illa qualitas, quæ GRATIA dicitur, qnâ, dum sanctificamur, seu justificamur, id est, justi coram DEO, nempe, legi ipsius conformes, efficimur, remittunt momentò, peccata omnia, ex inimicis Dei capitalissimis intimi amici, ex peregrinis & alienis domestici, ex peccati mancipiis, Filii Dei constituimur, & unitur nobis intimè Spiritus-Sanctus, ipsaque Divinitas. Quocirca, in iis, qui per Gratiam sanctificantur, hæc omnia concurrunt.

PRIMO remissio peccatorum. Ista enim fit per Gratiam illam. Tum, quatenus est tale donum creatum, à

Deo

Deo peccata condonante liberaliter conceſſum. Tum, quatenus ex naturâ ſuâ eſt incompoſſibilis cum peccato, ideoque vi ſua deletiva peccati. Tum, quatenus unit homini Spiritum Sanctum Sanctificatorem, ſeu Divinam ipſam Naturam. SECUNDO. Adoptio in filios-ſiquidem conſtituit Gratia filios DEI, quippe Divinæ participes naturæ. TERTIO. Præſentia DEI intima. Nam Gratia ſecum ducit, vel trahit, ut etiam loquuntur Theologi, Naturam Divinam, eamque homini præſentem & inhabitantem facit, ita, ut etiamſi ita non eſſet Immenſa & ubique per eſſentiam, tamen homini eam intimè præſentem ſiſteret. Cujus rationem hanc dant Scholæ Doctores Theologicæ aliqui: quoniam unio DEI cum homine per Gratiam non eſt ſolum unio, per affectum & amorem, ut quidam alii ſentiunt; ſed eſt unio per naturæ communicationem & inhabitationem Spiritus. Atqui non videtur poſſe homo verè ac reapſe dici filius DEI, & particeps Naturæ divinæ, ſi ipſa non ſit in homine. ſed procul ab eo ſit ſejuncta. Hinc Spiritus-Sanctus dicitur homini dari in juſtificatione, & DEUS ad eum venire: videlicet, ut ad Domicilium: & in eo manere, nempe ut in habitaculo ſuo. Joannis XIV. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* QUARTO Donatio juris ad vitam æternã. Siquidem Gratia tribuit jus ad vitam æternam, eaque hominem reddit dignum. QUINTO. Dignificatio. operum humanorum: nam Gratia reddit hominis opera digna vita æterna. Non enim opera hominis quantumvis dicantur & ſint ſupernaturalia, per ſeſe, & ſecundum phyſicam, ſunt digna vitæ æterna: cùm *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*: ad Roman. VIII. 18. ſunt autem condigna ratione æſtimationis moralis quàm cenſentur accipere à Divinitate inhabitante, ac

con-

constituente hominem filium DEI, sive, quatenus sunt opera filii DEI, nempe consortis Divinæ naturæ, atque ita Deificati.

ARTICULUS II.

VIRTUTES

Ad Ædificii spiritualis structuram requisitæ.

GRATIAM, vel consequuntur, vel comitantur, vel ex eâ profluunt, ut rivi è fronte, proprietates et substantia, effectus ex caussa, vel producente, vel eliciente, aut evocante Virtutes, quæ Ædificii spiritualis Theologici sunt materia, ut lapides & ligna.

I. VIRTUTES THEOLOGICÆ.

Imprimis sunt tres illæ, quæ Theologicæ vocantur, *Fides, Spes, Caritas*; quas viribus humanis non posse comparari, ideoque à DEO liberaliter ex alto immitti, & quidem cum ipsa Gratia, dubitare non possumus. Est enim id sancitum in Synodo Tridentina, cujus hoc est decretum sess. VI. c. VII. *In justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipere hominem per* JESUM CHRISTUM *cui inseritur, Fidem, Spem, & Caritatem.*

II. VIRTUTES CARDINALES.
ET
III. MORALES INFUSÆ.

Superioribus accedunt Virtutes Cardinales: *Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.* Quibus adjungo *Virtutes* omnes *Morales* à DEO peculiariter datas seu infusas, distinctas à Moralibus adquisitis. Existimo enim, præter Virtutes morales solitas adquiri nostris operationibus, & humana industria, esse alias Morales divinitus infu-

sas,

sas, quæ simul cum Gratia, & Virtutibus Theologicis homini donantur. Hæ disponunt justificatum, ut prudenter operetur in fide, propter finem altiorem, quàm sit præscriptum finis naturalis, ac proinde propter finem supernaturalem: præterea, ut moderatur appetitum, quatenus obediat Rationi quantumvis operetur ex regulâ transnaturali.

IV. VIRTUTES CHRISTIANÆ.

Virtutes illæ Morales divinitus infusæ vocari possunt CHRISTIANÆ, quas distinctas esse à Virtutibus Philosophicis quas Ethnici agnoverunt, & de quibus multa Aristoteles in libris Ethicorum, mihi nullum est dubium & evincunt rationes, quas tum Theologia, tum Philosophia suppeditat. Imprimis *Virtutes Christianæ* pertinent ad Rempublicam spiritualem & cælestem, ideoque spirituale ac cæleste quoddam Ædificium constituunt: Philosophicæ ad civilem & humanam. Quando autem Virtutes pertinent hoc modo ad diversas Respublicas, tunc diversas esse debere ipse agnoscit Aristoteles in Politicis, lib. 5. cap. 7. Deinde, Virtutes Christianæ longè alias habent functiones, ac proinde & objecta, quam Philosophicæ & naturales licet eodem appellentur nomine: sunt igitur ab his diversæ. Constat sanè quædam esse officia Virtutis Christianæ, ad quæ obeunda non attingit Philosophica, quia vi necessaria destituitur. Præterea, Virtutes Philosophicæ ac naturales sunt in animâ vel appetitu, ut imperent affectionibus, & moderentur passiones secundum id, quod dictat ratio naturalis. Sed præter hoc, necessarium est, ut sit in Christianis quidpiam, quod modum adhibeat, secundum id, quod præscribit regula supernaturalis, ex cujus præscripto debent Christiani vitam suam dirigere. Magis speciatim, Pru-

dentia Philosophica solùm dictat, quod ex principiis naturalibus secundum rectam rationem deduci potest. Atqui Christianus præterea habere debet prudentiam, quæ dictet, quid agendum sit secundum principia supernaturalia, in ordine ad finem supernaturalem: cùm omnes operationes hominis Christiani ad finem naturalem debeant dirigi. Quod fieri non potest sine virtutibus altioris ordinis, per quas functiones illæ ritè perficiantur. Est autem tanta illarum, tum functionum, tum principiorum, unde procleunt, diversitas, ut vix major sit aliquando in sibi maximè oppositis, Ob quam caussam, *Prudentia & Sapientia huius mundi*, id est, Philosophica- naturalis, *Stultitia* dicitur, 1. ad Corinth. 1. & 2. Et patet manifestè, quamvopere inter se dissideant cum ea idem etiam objectum. Exempli caussa. Prudentia & Sapientia Christiana censet Christum Cruci affixum ut DEUM esse colendum, & eo ducit. Prudentia seu Sapientia gentium judicat id rem esse stultitiâ plenissimâ. Sed *quod stultum est* DEO, *Sapientius est hominibus*. 1. inquit Paulus Apostol 1. ad Cor. illa ipsa Creux, quæ hominum secundum seculũ prudentium, judicio, stultitia putatur & DEO indigna, humanæ Sapientiæ, & prudentiæ longè ante ferenda est. Item Prudentia Philosophica suggerit ad persuadendum adhibendas esse semper artis oratoriæ regulas, eloquentiæ subsidia, rationes humanas, eruditionem profanam verborum flores, sententiarum gemmas, Rhetorum artificia. At Prudentia Christiana contrarium sæpe præscribit Exemplum habemus in Doctore Gentium, Viro Christianè prudentissimo, licet ei non deesset prudentia naturalis - philosophica. *Sermo*, inquit, 1. *Corinth.* 2. 4. 5. 6. *meus, & prædicatio mea non in persuadentibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed intensione Spiritus & virtutis. Ut fides vestra non sit in sapientia hominum,*

sed

sed in virtute DEI. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur, sed loquimur* DEI *sapientiam*, 1. ad Corinth: secundo. Sensus est. Auditores mihi percari, oratio & prædicatio mea, ex prudentiæ Christianæ præscripto, non profanæ Sapientiæ probabilia argumenta, non verborum flosculos, non declamatorum enthymemata humano ingenio atque industria, ad persuadendum excogitata, non plebeios lepores, non aniles fabulas ingerunt; sed veris solidesque nituntur rationibus, nec humana sapiunt aut persuadere conantur, sed divina: Sapientiam veram & divinam trado, non humanam, non hujus seculi, neque eorum, qui primas in hoc seculo tenent, scilicet, Philosophorum, quorum memoria momento temporis evanescit, sed DEI Sapientiam; Longè ergo alia est prudentia & Sapientia Christiana à Philosophica. Huc facit illud ad Romanos VII. *Prudentia carnis mors est: prudentia autē spiritus vita* & pax. Prudentia carnis vocatur, quæ humanæ rationis ductum tantummodò sequitur ac proinde non raro cupiditatis impetum. De qua prudentia intelligendum est illud Christi Lucæ XXVI. *Prudentiores sunt filii huius seculi in generatione suâ filiis lucis.* De his scriptum est, quod habet Paulus primæ ad Corinth. 1. cap. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*

SIMILE discrimen licet animadverte in aliis virtutibus, quæ, sub eodem nomine, sunt *Adquisitæ.* & *Infusæ* ac speciæ differunt: Adquisitæ sunt naturales & Philosophicæ, Infusæ autem super naturales & Christianæ: Jam diversitatem functionum attende: TEMPERANTIA *Philosophica* mandat solùm abstinere à superfluis, ab conservationem sanitatis, rationi consentaneam: *Christiana* jubet frequenter fugere ac detestari; omnem delecta-

tionem tactus & gustus ut caro spiritui subjiciatur imperat non raro gulæ irritamenta omnia respuere, suadet nonnunquam, cibos palato suaves & jucundos, datâ opera, novo artificio infatuare, Christi amore, suique abnegandi desiderio: instigat ad arduum pœnitentiæ institutum animosè amplectendum, & constanter continuandum, rigida carnis maceratione, victu cultuque horrido atque aspero, abnegatione sensuum severa, vigilantissima sui custodia, nullalicet tenuissimæ, & infirmæ valetudinis, cum de DEI honore agitur, habita ratione.

HIC quoque intervenit *Christiana* FORTITUDO, quâ virtute instigante multas gravesque corporis afflictationes subeunt boni ac pii, & maximè Religiosi, quas nunquam *Philosophica* suscipiendas suaderet. Dicit Christianus, virtute sibi infusâ exstimulatus, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*, 1. *Corinth.* IX. 27. Ad nihil simile impellit virtus philosophica ac naturalis. Vestiri sacco, jacere in cinere, vesci seris & aridis, omni etiam subducto condimento, sitim frigida restinguere, lorica ferreisque catenis nudam carnem affligere, spinas in capite, scrupulos in calceis sponte, ad tormentum circumferre: intestinum ventri bellum indicere: peregrinationes longas & molestas pietatis caussa suscipere: Crucem trabalem & nodosam decorticatis humeris imponere & portare: dorsum flagellorum aculearis stellulis incidere, uncis lacerare, luridare nodis: nudis plantis calcare silices: denique amenitati omni corporis nuncium remittere, & æternum, cellæ carcerem adamare, & in illo includi, functiones sunt Christianæ Fortitudinis, ad quas *Philosophica*, licet extrema conetur, & primis pedum digitulis insistat, non assurget unquam.

SI-

Simili ratione, Justitia Christiana versatur non solùm circa homines, quibus jus tribuere imperat in commtuationibus, distributionibns, ac similibus negotiis verumetiam circa Deum qui si fuerit offensus, si jus illius læsum, si bona externa, qui ut honor & gloria imminuta, imperat, ut satisfiat, actibus tam externis quam internis, qui ad forum Pœnitētiæ pertinēt, & à *Iustitia Philosophicæ*, ac *Politicæ* actibus remotissimi sunt. Alia ergo est Justitia, alia Fortitudo, alia Temperantia, alia Prudentia Christiana, & quæ his adnexæ sunt virtutes, quān turales illæ quas Philosophi agnoverunt. Siquidem ut ex functionibus perspicitur, & materia distinguuntur, & objecto formali, ꝙ est in virtutum distinctione summum. Virtus omnis Philosophica versatur circa materiam propriam, certo quodam ac determinato modo, naturæ limitibus incluso: Justitia circa commutationes, Fortitudo circa pericula, Temperantia circa esculenta & poculenta, Prudentia circa ea, *quæ & bona & mala homini sunt*, ut loquitur Aristoteles, *lib. VI. Eth. cap. 5* id est, circa agenda ab homine, quà homo est, nempe ratione ac libertate præditus, ut dictat recta ratio naturalis: ataliud dictamen sequitur Virtus Christiana, & ad alia se objecta extendit. Et sanè cùm objectum formale Virtutum sit, finis, vel ab hoc sumatur, indeque inducenda rectitudo: ea autem diversa sit in virtutibus Philosophicis & Christianis: cnm illæ non intendant aliam rectitudinem, quàm rationis naturalis, hæ verò superiorem secundum fidei divinæ præscriptum, quis non videt, objectis formalibus distingui?

):(o):(

ARTICVLVS II.

VIRTUTES CHRISTIANÆ

Infunduntur divinitus dum homo iustificatur.

QUOD autem Christianas has Virtutes homo divinitus accipiat, sive dum Baptismi latice ritè perfunditur infans, aut adultus, sive dum alia ratione sanctificantis Gratiæ fit particeps, multa sunt, quæ persuadent. PRIMO quidem, quoniam idcirco in divinis Literis appellantur Dona DEI, videlicet, plus aliquid quam naturæ debitum postulat, liberaliter largientis Sapientiæ VIII. Ubi Salomon Increatam Sapientiam deprædicat, docet, eius munere, virtutes principales homini immitti, & illarum eam esse matrem: *Sobrietatem*, inquit, *& Prudentiam docet, & Iustitiam, & Virtutem*. Per Sobrietatem designatur *Temperantia*, in usu, tam circa bi, quàm veneris, ceterarumque voluptatum sensu ab quo sensibilium, est enim Græcè σωφροσύνη per *Virtutem* Græcè, ἀνδρείαν, intellige *Fortitudinem*. Atque hinc haud inconvenienter probant Theologi, cum *S. Thomas* 2. *q.* 63. *art.* 3. virtutes illas sub iisdem nominibus aliquando naturales esse, & per actus naturales adquisitas, sicut fuerunt in Philosophis; aliquando verò supernaturales, & à DEO in justificatione cum fide, spe, & Caritate fidelibus infusas, eo quod ad finem supernaturalem dirigantur. Psalmo XCIII. de DEO dicitur: *Qui docet hominem scientiam*: nimirum, illam, quæ est virtus intellectualis Christiana: sicut Sapientia quam à Domino postulare monet Jacobus Apostolus in sua epistola, c. 1. Magni etiam ad hoc ipsum momenti est, quod

Cle-

Clementina unica de summa Trinitate diserte habeatur tam parvulis in baptismo, quàm adultis in justificatione infundi gratiam & virtutes. S Gregorius quoque homilia V. in Ezechielem, quod refertur in Jure Pontificio *de pœnit. d. 2, Ca, potest*, docet, Spiritum-sanctum in Sanctorum corporibus juxta quasdam virtutes semper manere: inter eas esse humilitatem & justitiam, similesque quæ cùm à Theologicis sint distinctæ, infundantur etiam oportet,

Præterea, Virtutes morales reperiuntur in beatis, ut sentit S. Thomas 1.2.q 63. At nisi infunderentur à Deo in justificatione, iis carerent parvuli innocentes statim à baptismo ad beatitudinem translati: non haberent enim vel ad quisitas, vel infusas. Ad hæc. Dei *perfecta sunt opera*, Deuteron. xxxii. quocirca quando hominem justificat, id est, animæ sanctitatem tribuit, perfectè sanat, eaque omnia donat, quæ necessaria sunt ad benè vivendum. Sunt autem per quam necessaria ad vitam Christianæ, id est, morales cælitus infusæ. Deinde, contingit non raro, ut facinorosissimi antea homines, quàm primum acceptâ à Deo Gratiæ amicitiæque tesserâ, vitam & virtutis præscripto instituere seriò proponunt magnam quandam facilitatem ad omnia virtutum officia experiantur. Quod esse non posset sine virtutum habitibus, qui in ipsa infundantur justificatione. Denique, Continentia & Patientia virtutes sunt, & præclaræ quas tamen non nisi peculiari Numinis divini benignitate haberi, ac proinde infundi satis est vulgatum: par autem est reliquarum ratio.

Ut *scivi*, inquit Salomon Sapientiæ viii. nempe, ex inspiratione Sapientiæ, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi* Deus *det: & hoc ipsum erat Sapientia, scire, cujus esset hoc donum: adii Dominum & deprecatus sum illum ex totis*

præcordiis meis. Profitetur se planc intellexisse divinum ac supernaturale donum esse *Continentiam*, ἐγκράτειαν, Castitatem, aut magis uiversè, omnium concupiscentiarum moderatricem virtutem, sed præcipuè refrenatricem libidints. *Iubet* Deus *Continentiam*, inquit alicubi Augustinus, *& dat continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per litteram, dat per Spiritum.* Et alibi ad Deum conversus. *Tota spes mea non nisi in magna valdè misericordia tua. Da quod iubes, & iube quodvis. Imperas nobis continentiam.* Sed nemo potest esse continens, nisi Tu des. *Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Continens est, homo in potestate tenens, frenans: & coercens venereas corporis voluptates, earnmque domitor, victor, dominus, qui talis constituitur Virtute Christiana, sive illa dicatur Castitas, sive Continentia.

S. August. lib. 7. Confes. cap. 11. Epist. 59. q. 2. Epist 143. ad Iulian. lib. 10. Conf. cap. 29, Bellar. *lib. 2. de Monach. cap. 31. lib. 5. de grat. & lib. arb. 2.*

ARTICULUS III.

Ædificum Spirituale Theologicum

Quomodo fundetur, erigatur, perficiatur.

Virtutes istæ, quas Christianas vocavimus (Theologi in scholis infusas appellant, ut ab adquisitis hac nomenclatura distinguantur) Ædificium illud secundum constituunt, quod spirituale Theologicum, ac Divinum nuncupavimus, & ab Architecto Christiano Moral, seu Tropologico debet magna industria constr. At, quomodo? dicis, cum superius sit demonstratum nullo hominum labore, nullis humanis viribus, nulla creata industria, vel posse has virtutes provenire, vel

ani-

anima, tanquam in solo, cui imponendum est Ædificium, aptè ad structuram collocari. Qui ergo fieri potest ut quis mortalium hoc Divinitati Palatium in se erigat, aut ejus sit Architectus? Si quispiam neque lapides, neque ligna producere, neque è montibus aut silvis exscindere, neque ad destinatum Ædificio iocum aduchere, neque tandem ad structuram posset componere, is profecto nunquam domum posset construere, & si id tentaret, operam omnem suam perderet.

Hæc quidem probant, hominem per se, & solâ naturæ faculrate non posse divinam hunc fsbricam erigere, ideoque necessitatem adjutorii à supremo Architecto postulandi: non tamen evincunt, Omnipotentis adjutorio, non posse per hominem quoque molem illam Christianarum virtutum exsurgere. Quamvis enim homo divinis destitutus Gratiæ subsidiis, nequeat, ad virtutes Christianas producendas quicquam conferre; & licet etiam divino instructus auxilio, non valeat easdem actuum frequentatione in se gignere, velut adquisitas, seu Philosophicas: nam non ita illæ producuntur; tamen, si Gratiæ cooperetur, & setora mente, ac animo ad tantorum munerum auctorem convertat, tum verò etiam votis ac precibus suppliciter ejus opem efflagitet, denique, nihil omittat eorum, quæ ad amicitiam ejus demerendam, & gratiam obtimendam desiderantur Deus, tanquam Architectus, Virtutes dictas illi communicabit; & easdem ut Ædificii divini materiam, ad structuræ proportionem, in lanimæ ad hoc præparatæ solo accommodatè tanquam totidem lapides collocabit: deindc. Gratiâ suâ veluti calce, conjunget, ac tandem adamantinis Providentlæ retinaculis constringet, ut nihil ad Ædificii perfecti consummationem amplius requiri possit. Quod cùm Deus, homine operam

quo-

quoque suam, & industriam in adificationem conferente, faciat, recte homo inter operas architectonicas numeratur, & dicitur in se Virtutum Christianarum Ædificium extruere.

DICAM hoc planius. Non est existimandum nobis, oscitantibus & planè ociosis Christianarum virtutum munera cælitus instillari. Est hoc privilegium parvulorum, qui dum ante rationis usum baptismo admoventur, simul cum divinâ, absque aliâ præparatione, virtutibus infusit dotantur. At vero, qui rationis usu est præditus, Virtutibus nondonatur, nisi diligenter ipse allaboraverit, & operam iuduſtriamque suam adhibuerit, Quamobrem Theologi inter causlas Gratiæ divinæ numerant etiam disponentem sive præparantem ut S. *Thomas* 1 2. *q.* 112. *art.* 2. *ot*, 3. Constat enim ex Litteris sacris ad Gratiam, Virtutesque supernaturales obtinendas, necessariam esse mentis in DEUM conversionem. Hinc creberrimæ illæ Prophetarum adhortationes: *Convertimini ad me in toto corde vestro*, *Ioëlis* Secundo. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, Zachariæ I. *Convertimini, sicut in profundum recesseratis*, Isaiæ XXXI. *Convertimini ad me & salvi eritis*, Isaiæ XLV. *Convertimini filii revertentes* dicit Dominus Jeremiæ III. *Convertere Israël ad Dominum Deum tuum*, Oseæ IV. *Præparare in occursum* DEI *tui Israël*, Amos IV. *Præparate corda vestra Domino*, I. Regum VIII. *Aperi mihi*, inquit Sponsus, Canticorum V. itaque cordis patentes aperiendæ sunt januæ. Apocalypsis III. *Ego sto, ad ostium & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum.* Quocirca docent consensu Ecclesiæ Doctores, debere hominem in animo patefacere aditum divinis muneribus, ut illorum sit particeps. *Non dat* DEUS *sancta canibus*, inquit Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi I. *Sed ubi bonum videt propositum*, (quod ipsum est divinæ gratiæ præveni-

venientis & excitantis) *illic salutare sigillum & admirandum imprimit.* Et S Cyprianus epistola ad Donatum, *Profluens largiter spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa murorum spacia frenatur: manat jugiter, exuberat affluenter: nostrum tantum sitiat pectus & pateat. Quantum illuc fidei capacis adferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

PORRO, absque operâ humanâ non extrui in homine Ædificium Gratiæ ac virtutum Christianarum adfirmat diserte S. Augustinus. lib. de Spiritu & littera cap. V. *Humana,* inquiens, *iustitia operationi Dei tribuenda est* (id est, DEUS est princeps Architectus) *quamvis non fiat sine hominis voluntate* (hoc est, homo quoq; est inter secundarios operaros. Et c. IX. *Iustificati gratis per gratiam ipsius: non quod sine volũtate nostra fiat? sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem.* Eundem sensum habent illa ejusdem Doctoris, in sermone XV. de verbis Apostoli *Esse potest Iustitia* DEI *sine voluntate tua, sed in te esse non potest. nisi per voluntatem tuam.* Ac mox *si hominem te fecit* DEUS *& iustum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus: non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te faceret Deus, quomodo consentiebas, qui non eras. Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.* Idem confirmat S. Thomas I. 2. *quæst.* 112. *art.* 2. hoc argumento. Nulla forma recipi solet in subjecto, nisi sufficienter aptato ac disposito. Sic domus non inædificatur areæ, nisi prius ad structuram suscipiendam idoneis modis præparatæ. At per mentis ad DEUM conversionem, & variis recipiscentiæ, pœnitudinis, amorisque actibus, mens apta efficitur ad suscipienda Gratiæ, & virtutum charismata. Itaque non extruitur virtutũ Christianarum Fabrica, nisi homo ad ædificationem operam suam contulerit. Quamvis autem tota hæc præparatio,

una

Conversionis in DEUM formulâ exprimatur, multa tamen continet, ad quę perficiēda hominis debet desudare industria, ut muneri suo satisfaciat. Nam præter functionem fidei, qua firmiter credere oportet omnia à DEO revelata, & ab Ecclesiâ proposita, requiruntur ad obtinendam Gratiam, operationes timoris, spei, pœnitentiæ & tandem Caritatis, quas homo divino adjutus præsidio exerceat.

JAM verò Virtutibus illis in anima ritè dispositis, divinaque Gratiâ junctis, ac belle exornatis, exsurgit in illa, præter Ædificium Morale, seu Philosophicum, alterum virtutum Christianarum divinitus infusarum Theologicum, seu Divinum, in cujus cacumine legi posset inscriptio:

DOMUS SAPIENTIÆ ÆTERNA.

Quæ, ut in vobis erigatur, & in æternum maneat, præter ædificationem vestram, quæ consistit in piâ cooperatione, requiritur maximè auxilium Patris æterni benedictio Filii increati, & afflatus Spiritus-sancti, qui vos Sapientiæ condidatos, quod enixè precor, ament, foveant, & iterum iterumque benedicant in secula seculorum. AMEN.

SERMO III.

ÆDIFICIUM OPERUM MERITORIORUM

ARTICULUS I.

A quo, & Quomodo extruatur

TERRIUM Ædificium, circa quod versari debet Architectus Christianus Tropologicus, nuncupamus *Operum Meritoriorum*. Postquam enim in homine constituta est

Do-

Domus spiritualis Virtutum Christianarum, censetur virtutis perfectæ studiosus esse idoneus, & tam opulentus, ut ipse suis impensis, additis tamen ex infinito meritorum Christi ærario subsidiis, possit amplissimum sibi extruere Palatium in quod dissolutâ terrena, in quâ moramur, habitatione, immigret æternum mansurus. Clarius. Homo justus & in gratiâ DEI constitutus, operibus studiosis, & ex gratiâ DEI provenientibus, vitam meretur æternam, id est metitis sibi extruit in omnem æternitatem duraturum Ædificium. Nam DEUS *reddet unicuique secundum opera ejus*, ad Romanos secundo. Et, *cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet*, primæ ad Corinthios tertio. *Labor* enim *Operariorum*, & Architectorum spiritualium, non est inanis in Domino. Hac metaphorâ ab Architectura desumpta, humanarum & piarum operationum meritum exprimit Paulus Apostolus, & tanquam Sapiens Architectus graphice describit hoc operum meritoriorum Ædificium.

ARTICULUS II.

ÆDIFICIUM MERITORUM

Est Domus cælestis.

IN altera ad Corinthios V. *Scimus*, inqnit Apostolus, *quoniam, si terestris Domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex* DEO *habemus, Domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & ingemiscimus, habitationē nostram, quæ in cælis est, superindui cupientes.* Quibus verbis consolatur fideles, & asserit, Corpus hominis mortalis esse Domum luteam, ac terrenorum domicilium, ac proin

proinde haudmagnopere curandum, si, dum sanctè pie- que vixit, vel jubeatur migrare; vel etiam, ut quandoq; contingit, ejiciatur tanquam ex conductâ domo Spiritus, qui hactenus illam inhabitavit quamus domus tota dissolvatur & concidat, non turbetur, sciens terrena illa fabricâ subsidente ac corrupta, aliud sibi superesse domicilium longè elegantius & commodius. Quod-nam illud? duplex est sanctorum Patrum, atque interpretum sententia, utraque mirifice convenit nostro instituto. Convenuunt inprimis omnes. Corpus mortale esse Domum habitationis, in qua modo habitat Anima fidelis, ut cujuslibet alterius, quam diu in hac vitâ consistit: Græcè est Οἰκητήριον, habitationem: Domum caducam, momentaneam, dissolubilem. At, quæ nam est illa Ædificatio ex Deo, id est, Ædificium paratum a Deo, quænam ille Domus, non manufacta, id est, non opere naturæ, nec hominis naturaliter ædificantis. Hic opinionum intervenit diversitas

DOMUS SUPERNA
Corpus glorioſum.

Quidam per *Domum non manufactam*, Græcè Οἰκία ἀχειροποίητος, significari volunt Corpus incorruptibile, immortalitate donatum, glorioſum. Ita S. Chriſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, S. Ambroſius, & alii, qui non manufactũ docent, quoniam incorruptibilitas corporum glorioſorum provenit ſolùm ex operatione divina, qua Deus *reformavit corpus humilitatis noſtræ*, ad Philippenſes tertio, Et ſanè, aptè corpori mortali, tanquam tabernaculo, opponitur corpus immortale nunquam transferendum, diſſolvendum, aut complicandum: ideoque rectè dicitur *Domus æterna in cælis*: cum illa altera ſit terre-

ſtris

strisnempe,ut estapud Iobum,:cap.IV.terrenum habens fundamentum,quod facile subsidit,& quo labefacte totum Ædificium corruere necesse sit: quod experiuntur quotidie mortales.

DOMVS ÆTERNA

Gloria cælestis.

MULTI auctoritate graves & primæ notæ Auctores existimant *(a)* Domum non manufactam designare vitam beatam,gloriam cælestem, seu beatitudinem. Ut sensus sit: si terrestris domus habitationis vestræ, id est, corpus dissolvatur per mortem habetis statim, non in spe tantum, quod secundum superiorem interpretationem dicendum esset, sed in re etiam meliorem domum, eamque non manufactam,ut est corporis mortalis, sed divina beneficentia ac liberalitate constitutam: nimirum Gloriam cælestem:immò DEUM ipsum, qui est hominis beatitudo. Ita sanè Gloriam & DEUM concipiebat Rex David,cùm oraret: *Esto mihi in* DEUM *protectorem & in* Domum *refugii.* Psalmo XXX,3. Idcirco eandem Domum vocat *æternam*, quia DEUS est æternus & beatitudo æterna,& quidem *In cælis*, ubi statim in hanc Domum justus ingredietur,mansurus in aliqua mansionum,de quibus Christus Joannis XIV. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quò etiam spectat,quòd, cùm Dominus Beatitudinem cælestem nomine Gaudii expressisset, eo verbo est usus, quod non nisi ad Ædificium commodè referri potest: *Intra*, inquiebat, *in* Gaudium *Domini tui*: id est,ingredere tibi paratam Domum,Matthæi XXV. id est, ejusdem gloriæ, ejusdem lætitiæ sis particeps. Sic dicuntur,qui Beatitudinem adipiscuntur, intrare in abyssum divinitatis, ut loquuntur Mystici, quoniam per visionem & amorem in DEUM ingredi-

un-

(a) *S. Thom. in illam Epist. lect. 1, Anselmus, Lyranus,*

untur. Profectò, qui DEUM non videt foris stat, immò, procul ab illo distat, quia DEUS ad illum se habet, ut longè absens. At, qui illum clarè videt, præsens illi est, neque hæret quasi foris, vel in vestibulo, sed ingressus præsens cum illo agit. Amor quoque facit, ut intra Dilectum amans commoretur, cùm unicus ipsi sit ei locus, Domus, requies.

DOMUS INDISSOLUBILIS

Corpus glorioſum, & Beatitudo.

UTRUMQUE nectimus, quia & sententia Apostoli patitur, & Interpretum auctoritas. Ex Græcis, Methodius, habitationem manu factam Corpus mortale appellari dicit, quia opera atque industria humanâ erigitur & conservatur: non manufactam, tum corpus immortale, tum vitam beatam in cælis, nulla amplius manuum opera, nullo hominum ædificantium subsidio indigentem. (a) Sic quoque Photius apud Oecumenium diligenter notat antithesim inter utramque Domum à Paulo indicatam. Nam quæ jam inhabitatur à mortalibus in terra, vocatur terrestris: altera verò, cælestis quia in cælo, tanquam amplissima regione constituta. Illa dicitur facile dissolvi, ut momentanea agnoscatur: ista manere æternùm. Illa manu, id est corporeis viribus erecta, & aliquamdiu conservata: Ista non humanis viribus, neque corporis sed animæ industria, meritoriis videlicet actibus, qui in anima sunt, aut ab illa dimanant, divina virtute semper principalem in hac architectione obtinente, extructa. Et sanè, non solum corpus immortalitate denatum, sed etiam quicquid naturæ vim, & efficientiam superat, ut est Beatitudo, seu Gloria cælestis, tanquam Domum in habitabunt electi, re-

(a) Οἰκία ἀχειροποίητος, Domus non manufacta.

ctè dicitur Ædificium non manufactum. Et quæ deinceps subjungit Apostolus de Vitâ in Cælis beata optimè intelliguntur. Est autem D. Chrysostomi illa utilis observatio, S. Paulum miro artificio usum vocabulis, quibus ostenderet quantum futura præsentibus anteferenda sint: nam terrestri habitationi opponit cælestem; tabernaculo Domum non manufactam in cælis.

His adjunge, cùm Cælum optime tanquam Civitas concipiatur, Ad Hebræos XIII. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* : In eo quotquot sunt Cælites tot licet numerare Domos, operibus meritoris fabricatas: nempe, vel Gloriam & Beatitudinem, tam quoad Angelos, quam homines; vel Corpus glorioſum & vitam Beatam quoad homines; Neque Sapientibus Seculi planè incognitæ fuere Domus illæ cælestes. Certè, Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromatum postquam de iis disseruisset, secundum Apostoli sensum, & dixisset: Justos, tanquam hospites & peregrinos animum ab luteis hisce domibus, quas inhabitant, & rebus omnibus, quæ sub sensum cadunt, abducere, mox profert Pindari sententiam, qui ajebat, impiorum infra cælum crebris cruciatibus divexari, & malorum veluti mole premi: piorum verò in cælo suam habitationem obtinere. Quid hoc est aliud. quam cælestem Domum incolere?

ARTICULUS III.

ÆDIFICIUM MERITORUM

Quomodo construatur à DEO? *& Quomodo ab hominibus iustis.*

CORPORE mortali, tanquam Domo terrestri, dissoluto, seu, ut etiam vox (a) Græca sonat, destructo,

habemus inquit Apostolus, *Aedificationem ex* DEO, hoc est diuina beneficentia ac liberalitate, sine qua merces operibus meritorijs non redditur: immò & *Iustitia*; siquidem hæc DEVM ex pollicitatione obstringit; *Domum non manufactam, æternam in cœlis*, quæ est Ædificium meritorum: de quo ita differit Tertullianus Apostoli sensum explanans, libello de resurrectione carnis cap. XLI. *Hoc quod dissoluetur caro nostra per passiones, domicilium conquuturi sumus in cœlis. Meminerat Euangelicæ definitionis:* Beati, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quorum est regnum cœlorum: *non tamen carnis restitutionem negauit; si compensationem mercedis opposuit, cùm ipsi compensatio debeatur, cui dissolutio deputatur, scilicet carni. Sed quia* Domum *dixerat* Carnem, *eleganter voluit, & in mercis comparatione vocabulo* Domus *vti: ipsi* Domui, *quæ dissolvetur per passionem, meliorem* Domum *repromittens per resurrectionem.* Hanc autem Domum iustus quilibet in hac vita sibi ædificat, vt in alterâ eam inhabitet, quando illam bonis operibus promeretur. Eandem ædificat DEVS quia ipse est principalis Architectus, sicut in quolibet opere meritorio princeps ac prima causa. *Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid*, quod meritorium sit *à nobis, quasi ex nobis. sed sufficientia nostra ex* DEO *est*: qui & idoneos nos fecit cooperatores Architectionis suæ. Atque ideo *fiduciam habemus per Christum* ad DEVM 2. ad Corinth. 3. 4. 5. 6.

ARTICULUS IV.

OBSTETRICES ÆGYPTIÆ

Aedificant sibi & Deus ædificat illis Domos.

CVM Rex Ægypti dixisset obstetricibus Hebræorū & mandasset: quando obstetricabitis Hebræas, & parrus

partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina, reseruate; illæ astu detrectarunt imperium. Quare *benefecit* DEVS *obstetricibus, & quia timuerunt* DEVM, *ædificauit eis Domos*, Exodi 1. Hic merces illarum mulierum exprimitur metaphorâ ædificationis, & Domus. De quâ licet sit magna interpretum digladiatio: tamen non dubitauit asserere S. Hieronymus, & post illum, Rupertus Abbas, Domos ædificatas obstetricibus, fuisse Domos spirituales, & cœlestes, nimirum, cœlestis patriæ felicitatem, & æterna iustorum præmia. Itaque DEVS, dicitur illas ædificasse, quoniam bona opera obstetricum, quæ erant beneuolentiæ, & caritatis erga Hebræos, cùm infantes eorum conseruarent, & actus timoris DEI. digna fecit æternæ mercedis retributione. Sanè D. Hieronymus in caput LXV. Isaiæ hunc in modum scribit: *Domus in quibus habitatuti sunt, qui ædificat eas, vel virtutes intelligendæ sunt, vel diuersæ mansiones apud Patrem, quas iugiter possidebit, qui eas ædificauerit. Quales sibi ædificasse, & Obstetrices dicuntur in Exodo: quia timebãt* DEVM: *Licet in Hebræo scriptum sit, à* DEO *eis ædificatas Domos, quia timuerunt* DEVM. Ergo Hieronymi sensu; ædificauerunt, & obstetrices, & DEVS. Verùm non tantũ in Hebræo, Chaldæo, & Græco apud LXX. est *Aedificauit*, nẽpe DEVS ipsis δίκιας. Domos, sed etiam in Latino: quamuis S. Augustinus legat alicubi; *fecerunt sibi ipsis Domos*. Rupertus autem idem illud, *Aedificauit eis Domos*, exponens, *intelligendum est*, inquit, æternas: *quod enim ædificat Dominus, æternum est.*

NEQVE est; quod existimemus pietatem eam erga populum Hebraicum, & timorem erga DEVM obstetricum non meruisse vitæ æternæ retributionem: habuerunt enim verum actum timoris DEI; quo DEVM sunt reueritæ; & pro DEO se mortis periculo exposuerunt:

runt: hic autem actus & est supernaturalis, & meritorius vitæ æternæ; fuitque in Obstetricibus talis. Quod adfirmatè tradit S Thomas. 2. 2. quæst. 110. artic. VII. ac consentiunt Scholastici: & ex diuino Codice satis eruitur. Dum enim simpliciter dicitur: *quia timuerunt Dei ædificauit eis*; Intelligendum est de timore sancto quo filii Dei reuerentur Deum. Et sanè, nisi à DEO vehementer adiutæ per interiorem Gratiam, & incitatæ fuissent diuinitus, nequaquã seipsas in tam manifestum vitæ discrimen, ad exequendum opus illud caritatis erga Dei populum coniecissent. Scio quosdam ex S. Gregorio lib. VIII. Moral. docuisse Obstetrices per actum timoris, & opus pietatis erga Hebræos, potuisse mereri æternam mercedẽ, verùm, propter mendacium, quod postea dixerũt commutatam illis fuisse retributionem mercedis æternæ in præmium temporale: sicque etiam, DEVM ædificasse eis Domos: id est, dedisse in retributionem iis prolem & progeniem numerosam, diuitem, honoratam, insignem, & longæuam: siquidem filius est quasi fabrica & domus parentes: & producendo alios filios per hos parentis familiam, instar Domus, ædificat. Ob quam caussam fortasse, filius Hebraicè dicitur, בר, *bar*, à radicè ברה, *banah*, id est, *ædificauit*. Verùm, sententiam illam de commutatione mercedis, si Theologicè res examinetur, probabilitate carere planè mihi persuadeo. Nam, actus ille timoris Dei, & benignitatis erga Hebræos, aut proficiscebatur ex diuina Gratia ipsã sanctificante, seu iustificante, aut non: si non, haud poterant per illum mereri vitam æternam, etiamsi mendacium postea non dixissent. Si verò oriebatur ex radice Gratiæ infusæ, animas Deo gratas facientis, sine debito merebantur vitam æternam, quamuis postea mendacium protulerint. Tum quia peccatum post futurum

quamu

quamuis præuisum, non impedit meritum præsentis gratiæ, & operum supernaturalium. Tum quia mendaciúm illud fuit officiosum, ideoque lenis ac venialis culpæ: peccatum autem veniale, sicut non tollit gratiam, ita nec meritum vitæ æternæ.

ARTICULUS V.

MANSIONES CÆLESTES

Quomodo à iustis in hac vitâ ædificentur.

ARCHITECTONICA loquendi formula Christus D. iustorum in cælis decreta præmia vocat *Mansiones*, siue *habitacula*, Domicilia, Ædificia, nam in his manent inhabitantes, quæ antequam inhabitentur construuntur, in hac vitâ ab iis ipsis; qui inhabitabunt. *In Domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt*, Joannis XIV. Cùm enim dixisset se iturum ad Patrẽ, & Petrum se postea eôdẽ sequuturũ, non factâ aliorum Discipulorũ mentione, metuebant illi ne Domo Patris & cælo excluderẽtur. Hunc metum iis demit, asseritq;, Domum Patris, non esse angustũ aliquod palatium, sed ciuitate qualibet maxima, immò regno & orbe terrarum maiorem: in ea verò esse variorum diuersa Domicilia pro meritorum disparitate. Alium metum Apostolorũ suggerit S. Augustinus: quia enim audiuerant, Petro negationẽ Christi prædictam: *Non cantabit gallus donec*, vt à turbatione recrearẽtur, subiungit illud de Domo Patris & Mansionibus in illa, vt confiderent se etiam post pericula tentationum, apud Christum cum Deo mansuros. Iouinianus hæresiarcha Mansiones de quibus Christus, in terrâ cõstruendas docebat, & significare diuersas per terrarũ orbem Ecclesias. Sed egregie is confutatur à D. Hieronymo, *l. 2. in Ioan. c. 5.* Clarũ enim est quod Christus loquatur de mansionibus cælestibus. *Manifestissime docet Euangelium*, scribit

S. Doctor, *non de Ecclesiarum numero, sed de cœlorum mansionibus Domino fuisse sermonem.* Seuerè S. Augustinus *lib. 3. de Orig. anim. Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquas mansiones esse extra regnum* DEI, *quas esse Dominus dixit in Domo Patris sui, si vis esse Catholicus.* Diserte S. Cyrillus: *Multas Mansiones ait Dominus in Domo Patris esse, capacitatem cœli ostendens.* Nimirum in cuius capacissima areâ omnium possunt ædes constitui. Multa quidem sunt Christi membra, inquit B. Irenæus lib. 3. multi habitatores: sed nemo excludetur propter loci angustias. Nullus metuat: capacissimum est empyreum: pro nullius habitatione locus deerit, modò strenuè in hac vita, pro altera, ædificet.

Quilibet enim habitationis suæ est Ædificator per operationes meritorias, secundum quorum diuersitatem, mansiones sunt diuersæ & impares. Profectò, vt Apostolorum & Christi Mansiones pares æqualesque non sunt, ita nec Discipulorum, & multo minus infantium cum adultorum optimè meritorum mansiouibus comparatæ. Quare multas esse, propter diuersa inhabitantium merita notat S. Hilarius in ps. 64. Quemadmodum enim non sunt merita eadem, ita eædem non sunt mansiones. *Plures Mansiones*, inquit ille, *diuersæ dignitati habitantium præparantur* Et D. Aug. *lib. de Virg. c. 26.* Virginũ sanctarũ merita considerans: *Quia*, ait, *in vita æterna distinctè fulgebũt lumina meritorũ, multæ sunt Mansiones apud Patrem.* Denique clarissime B. Cyrilus in Ioannem sic scribit: *Mansionũ multitudo differentiã gloriæ significat: omnes enim vitæ suæ congruentẽ honorem suscipient.* Quot igitur sunt in cœlo beatitudinis, & gloriæ ordines, tot concipe regiones ædificijs pulcherrimis exornatas, quot gradus, tot mansiones, seu Domos particulares: nã suã cuiq; Sancto erit *Ædificium*, sua Domus & Mansio, sicut sua cuiq; beatitudo.

(a) S. Basilius lib. de Sap. S. c. 16. S. Greg. lib. 9. Mor. c. 39. S. Aug. 5. hypogn. c. 6. Theodor. l. 3. in Cant. & 1. Corint. 15.

do sua gloria, sed secundū meritorum proportionē dispar. *Mansionē pro suo quisque accepturus est merito*, inquit Aug.

SI opponas: omnibus in cœlestis Patris familias vinea strenuè laborantibus dari eiusdem precij Denarium Matthæi xx. hoc est, eandem gloriam. Itaque non esse in cœlo diuersitatem inter Ædificia. Respondebit idem Doctor. *Est quidem* Denarius *æqualis quod ad æternitatem pertinet, sed sunt diuersæ meritorum dignitates. Fit quidem per caritatem vt quod habent singuli, cōmune sit omnibus: sic enim quisque etiam ipse habet cùm amat in altero, quod ipse non habet. Respuendus est autem illorum error, qui putant ideò dictum, multas esse Mansiones quia extra regnum cœlorum erit aliquid, vbi beati maneant paruuli, ex hac vita decedentes sine baptismo. Absit enim vt regnantum quisquam sit extra regnum:* quod est Domus Patris. Non minus scitè S. Gregorius lib. IV. Moral. cap. 31. *In multis mansionibus erit retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vineâ, æquè cuncti* Denarium *sortiuntur. Et quidem apud Patrem Mansiones multæ sunt; & tamen eundem* Denarium *dispares laboratores accipiunt: quia vna cunctis erit Beatitudo lætitiæ, quamuis non vna sit omnium sublimitas vitæ.* Breuiter. *Denarius* significat quidpiam, quod omnibus in altera vita communiter concedetur: nempe, vita æterna, & cœlorum regnum, in quo erunt omnes Electi: stella tamen à stella in eodem firmamento diuersitatem habet splendoris. *Stella à stellæ differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum*, inquit Paulus Apostolus I. *Corint.* xv. 42. nimirum secundum merita. Itaque commune est omnibus regnum, vna communis ciuitas, &, si placet, vna communis area, sed in eadem plures sunt Domus, Mansiones diuersæ, aliæ alijs præstantiores: quædam amplissimæ, multæ mediocres, ali-

quæ admodum anguſtæ : nonnullæ ex auro, argento, gemmis, aliæ ex vulgari metallo ac lapide, æternùm tamen duraturæ; ſicut habitatores alii aliis excellentiores ſed æterni omnes: quod indicat etiam vox μονὴν, à μένω quia eſt commoratio, in qua perpetua eſt ſine vlla perturbatione ſtabilitas.

Vt autem intelligeremus, noſtrum quoque eſſe, Manſiones illas exſtruere, ſubdit Dominus: *Si quo minus dixiſſem vobis: quia vado vobis parare locum.* Quod ita fere exponit S. Hieronymus, Si ſecus ſe res haberet, dixiſſem vobis, quod vadam paratum vobis locum, Manſionem, Domum. Sed ſcitote iam Patris Domum eſſe paratam, ſuam verò vnumquemque Manſionem meo apud Patrem interuentu, & operibus bonis ſuis parare debere: non enim ſola Dei largitate conſiſtit cuiuſque Ædificium. Quaſi Chriſtus hoc voluerit Apoſtolis aſſerere: In Domo Patris mei Manſiones multæ ſunt, veſtris bonis operibus non ſolâ Patris liberalitate præparandæ: ſi ita non eſſet, dixiſſem vobis, quod vado vobis eas parare, ſine operibus veſtris, ſed non eſt meum ſicillas parare vobiſque tradere. Similem in modum exponit illud Matthæi xx. *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Paratæ, inquit, *ſunt in cœlo diuerſæ & plurimæ Manſiones plurimis diuerſiſq; virtutibus, quas non perſonæ accipiunt, ſed opera*: id eſt, vt ego intelligo, quæ non ex acceptione perſonarum: ſed operum meritis tradentur incolendæ. *Fruſtra ergo à me petitis, quod in vobis eſt ſitum quodq; Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam aſcenſuri ſunt dignitatem.* Paulò aliter S. Auguſtinus: *Quomodo parat Dominus, ſi iam multæ ſunt? nondum ſunt, ſi parandæ ſunt.* Reſpondet: *Eaſdem, quas prædeſtinando præparauit, præparat operando. Iam ergo ſunt in prædeſtinatione: alioquin dixiſſet*, Ibo & præparabo, *id eſt, prædeſtinabo*

sed quia nondum sunt in operatione, dicit, si abiero & præparauero. Parat modò Mansiones, præparando Mansores. Domus enim DEI, *de qua Apostolus,* Templum DEI sanctum, quod estis vos, *adhuc ædificatur, adhuc præparatur. Dicatur verò abire, vt præparet, quia iustus ex fide viuit. Si autem videt, non est fides: id ne videatur, latet vt credatur. Tunc locus parâtur, si ex fide viuatur, creditus desideratur, vt desideratus habeatur. Vadit latendo, venit apparendo, sed nisi maneat regendo, vt proficiamus benè viuendo, non præparabitur locus, vbi possumus permanere perfruendo.* Itaque parat Habitationem cælestem DEUS, hominem eligendo & prædestinando, Christus merendo, docendo, præeundo, homo cooperando. Omnes ædificant, DEUS ut supremus Architectus, Christus vt præcipuus instructor, Homo vt fidelis cooperator.

ARTICULUS VI.

VISUM ADMIRANDUM.

De Ædificiis operum meritoriorum in cælo.

NEGARI sanè non potest, si dictis fidem adhibemus, hominem iustum ac DEO gratum, vt Sapientem Architectum, sibi in altera vita Palatium mansioni suæ commodum bonis operibus ædificare, ita vt singula virtutum officia totidem sint quasi lapides aut dedolata ligna, quæ ad fabricam conducant Quod confirmare possumus illustri Viso, & commentatione Papæ Gregorii, visum non referentis solùm, sed etiam illustrantis. Historia narratur libro Dialogorum quarto, cap. XXXVI. *Ante triennium*, inquit Gregorius, *in pestilentiâ, quæ hanc vrbem clade vehementißima de populavit,*

in qua etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quoque ferire videbantur, quidam Miles *percussus ad extremum peruenit. Qui eductus è corpore exanimis iacuit: sed citius rediit & quæcunque cum eo fuerant gesta narrauit. Aiebat enim, quia pons erat, sub quo niger atque ca iginosus fœtoris intole abilis nebulam exhalans fluuius decurrebat. Transmisso autem ponte amæna erant prata atque virentia odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuentic ula esse videbantur. Ibi* Mansiones *erant diuersorum singulæ magnitudine lucis plenæ. Ibi quædam miræ potentiæ* ÆDIFICABATVR DOMVS, *quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset non potuit agnosci.* HIC obijcit Petrus colloquutor Gregorij. *Quid est, quæso te, quod in amœnis locis cuiusdam Domus laterculis aureis ædificari videatur? Ridiculum est valdè, si credimus, quod in illâ vitâ adhuc metallis talibus egeamus.* Respondet Gregorius. *Quis hoc, si sanum sapit, intelligit? Sed per hoc, quod illic est ostensum quisquis ille est, cuius* Mansio *ista construebatur apertè datur intelligi quid est, quod hic operatur. Nam qui præmia æternæ lucis eleemosynarũ largitate promerebitur, nimirum constat, quia* AVRO ÆDIFICAT Mansionem *suam. Quod enim superius memoriam fugit, vt dicerem: idem* Miles, *qui hæc viderat, narrabat, quod eosdem laterculos aureos ad ædificationem* Domus, *senes ac iuuenes, puellæ ac pueri ferebant. Quæ ex re colligitur, quia hi, quibus hic pietas facta est, ipsi illi operatores esse videantur.* Addit S. Papa.

HIC *etiam quidam iuxta nos,* Deus dedit *nomine, religiosus habitabat, qui calceamenta solebat operari: de quo alter per reuelationem vidit, quod eius* Domus *ædificabatur; sed in eo constructores sui solo die sabbati videbantur operari: Qui eiusdem vitæ postmodum subtiliter vitã requirens, inuenit, quia his, quæ diebus singulis laborabat, quidquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die Sabbati ad B. Petri Ecclesiam deferre consueuerat, atque indigentibus erogare.* Subnectit deinde Pontifex epiphonema.

phonema: *Quæ ex re perpende, quia non immerito ipsius* FABRICA *Sabbato crescebat.*

His non obscurè insinuatur, pauperes, quibus amore DEI fit benè in terra, construere Palatia in cœlo ijs, à quibus eleemosynas accipiunt. Quod indicasse videri potuit Architecturæ cœlestis Magister Christus, cùm ad eleemosynarum largitionem hortaretur Lucæ XVI. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt quùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi, quod apud Ioannem dixit, *Mansiones in Domo Patris*, vocat *Tabernacula æterna*, tanquam *Ædificia*, aut *Domicilia.* Respondet enim ea sententia ijs verbis Villici iniquitatis: *Cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in* Domos *suas.* Itaque Gloria cœlestis vocari potest Tabernaculum æternum: quomodo & cœlum, nominat Tabernaculum Paulus Apostolus ad Hebræos IX. Hoc autem per pauperes, dum ijs benefit, eleemosynis ædificatur: in illud verò misericordiæ operibus dediti, cùm defecerint, recipiuntur: siue vt interpretantur Theophylactus & Euthymius, per pauperes, qui vsque ad finem vitæ strenuè operam impendunt, & aduenientem Palatij dominum præstolantur, tumque illi planè absolutum tradunt inhabitandum: siue, qui aliorum est sensus, à fundi Domino, propter eleemosynas pauperibus factas: vt, non tam pauperes, quam merita ædificationis materia iustos recipiant: quæ est interpretatio S. Chysostomi, (*a*) Basilij, (*b*) Gaudentij. (*c*) Qui illud etiam obseruant, non dixisse Christum: *vt recipiant vos in* sua *Tabernacula*; sicut Villicus dixerat, *Recipient me in Domos suas*: quoniam *Tabernacula*, quæ in cœlo à pauperibus extruuntur, non sunt illorum, qui ædificant pauperum, sed illorum, qui ad ædificandum materiam subministrant, benè operantium. ARTI-

(*a*) in Psal. 48. (*b*) in Asceticis, (*c*) lib. ad German. Anast. in qq. S. Script.

ARTICULUS VII.

ÆDIFICIUM OPERUM MERITORIORUM.

Ab vno extructum in cælo, transfertur aliquando ad alium.

ID quomodo contingat, docebit sanctus Patriarch
Joannes Eleemosynarius, cuius Elogium hoc habet
» Fasti Mariani *Ianuarii* XXIII. [Cùm annum ageret
» JOANNES, Misericordia Divina, manifesta in luc
» Sponsam se illi obtulit. Annuit continuo. Et ratum
» conjugium Superi habuerunt, dotem que addiderun
» tam opulentam, vt semper deinde haberet, quod i
» egenos effunderet Archiepiscopus jam Alexandri
» nus, lustrum egit clientum suorum, hoc est, paup
» rum, numerauitque septies mille, & quinquagint
» quibus omnibus deinceps in singulos dies victu
» subministrauit. Sed nec vlli alii piam manum v
» quam subduxit. Ut meritò id certaminis cum De
» suscepisse sit visus, plusne hic dare, an reddere illi po
» set. Munificentiam vel ex eo vide, quod vltimu
» ægrotanti vnicus super teruncius fuerit, vix naulu
» morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse i
» genuè se fatetur in ærario auri pondo octies mille,
» hæc decies millies, & amplius aucta dilapidasse
» pauperes gloriatur. Anno igitur D. XCII. è corpo
» ergastulo in Palatium abiit, quod piæ ipsius mun
» centiæ structum in cælo Troilus vidit, & verò inui
» postea, cũ tã bonæ prodigalitatis æmulus est factu
Id fusius describitur in Vitis Patrum, vnde hæc acci
Joannes Patriarcha pauperum parens cùm Troil
Episcopum itineris socium haberet, clientes filios
suos egestate pressos inuisit, & quia ad manus non
bebat pecuniam, monuit Troilum, cui fortè trigi
libræ auri in promptu erant, benefaceret. Distribuit
m

mos,quos habebat, quamuis inuitus, verecundia instigante Troilus. Sed vix manum retraxerat,& sordidum liberalitatis pœnituit. tantumque potuit auri sacra fames,vt morbum contraxerit,vel finxerit. Non latebant Eleemosynarium sordes Troili, Inuisit decumbentem humanitatis ergo: & post solemnia consolationis officia,aurum offert,eadem summa refundendum, dicens, sibi in animo fuisse, pecuniam pauperibus distribuere; sed quia sibi marsupium exhaustum erat, commodato se accipere voluisse,nullo Coëpiscopi,fratris sui incommodo. Itaque se adnumeraturum, si placeat. Annuit Troilus,à quo aurum visum mox morbum discussit. Petiit autem Joannes apocham, qua de pecunia Troilo reddita constaret. Eam promptè conscripsit Troilus hac formula: Deus Domino meo Joanni Beatissimo Patriarchæ da mercedem xxx. librarum: quoniam ego æs meum recepi. Sed quàm væcors fuerit Euclio, Deum demonstrasse hoc viso,scribitur. Cùm à prandio,vt mos illi erat,paullulum meridiaretur,semi sopitus,vidit Domum, vt narrabat deinde vigil, cuius magnitudinem, pulchritudinemq; ars hominũ nulla exprimeret: porta erat aurea, supra quã hæc inscriptio,capitalibus litteris: Mansio æterna, et requies Troili Episcopi. Vix se capiebat Troilus: cùm ecce quidam ex regiis ministris cum satellitio ad Domum recta vadit, jubetque auferri titulum: quo detracto,edicit: Reponite,quem conscribi jussit Rex orbis terrarum,& vidente Troilo, affixerunt his conceptum verbis: Mansio æterna ac requies Joannis Archiepiscopi Alexandrini empta libris xxx. Experrectus Troilus, quæ viderat narravit Patriarchæ, tantumque profecit, vt damnatis sordibus, liberalissimum se deinde pauperibus exhibuerit. Nimirum,edoctus erat, operibus misericordiæ,Domos æternas in cælo construi. AR-

ARTICVLVS VIII.

S. THOMAS APOSTOLVS

Architecti schemate, & titulo, ad Indorum salutem curandam proficiscitur.

NON eleemosynis tantùm, sed omni operum bonorum genere Palatium cœleste exædificari, eiusque structores esse homines iustos, inde liquet, quod ceteræ quoque actiones merendi vim eximiam habeant. Quod ostendisse mihi visus est THOMAS Indiarum Apostolus, qui, &, vt Architectum conduci se est passus ab Indo, qui eum in finem missus erat à Rege, & se tanquam Architectum Regi stitit; atque se amplissimum pulcherrimumque Palatium extructurum ei pollicitus. Historia narratur à Babyloniæ Episcopo Abdia in libris de certamine Apostolico; & ex eo à Iosephimo Peronio in vita S. Thomæ Apostoli.

GVNDAPHORVS in Indiâ Rex cùm palatium ædificare miro eoq; Romano opere constituisset; Abanem, qui ad opus illud Architectum præstantissimũ conquireret, Romam misit. Is cùm Cæsaream venisset, & quod verisimile est, Architectum referens, cum copioso famulitio à CHRISTO humanâ specie comparente, interrogatus dicitur, quâ de causâ tantum terrarum & pelagi emensus esset? cùm autem respondisset, missum se, ad peritissimum aliquem Architectum conducendum, dixisse Dominum: est mihi seruus in eâ arte versatus egregiè. Credidit Abanes, & ad Thomam, illum in Euangelio *Ioan.* xi. 16. cognominatum Didymum, adductus, cum eo egit multis, tandemque pactus est, & profectio ex consensu vtriusque indicta. Conscendunt

mox

mox nauem; in qua, dum de varijs inter se conferunt, quærit Indus, in quâ Artis Architectonicæ parte potissimùm excellat? an in omni? quod tãtam à Domino suo commendationem habeat? Tum Thomas professus est, iacere se fundamenta, quæ nunquam vetustas consumat: parietes erigere, qui nunquam collabantur: facere exedras, & speculas eiusmodi, quibus nunquam lumen desit: fabricam totius molis ita erigere, vt spectantibus quibuscumque sit admirationi. Porrò, Ædificia quædam, licet exterius non magnam eximiamque pulchritudinem ostentent, intrinsecus tamen mira elegantia præstare. Denique addidit, quicquid è lapide, ligno, argento, auro, gemmis & vnionibus exstrui possit, aut ornari, id in suâ esse manu: & facilem se fore magistrum, Architectonicam hanc discere volentibus.

THOMÆ fidem adhibuit Abanes, & quam primum ad Regem suum redux venit, naui Architecti dotes eximias deprædicauit. Gauisus Rex, ingentem pecuniæ vim, ad futurum Ædificium Thomæ numerari iussit, cui ædificationem etiam atque etiam commendauit; & vt properaret seriò iniunxit. Ad promisit operam Thomas. Rege mox profecto, & peregrè agente, Apostolus nullum fecit finem disseminandæ religionis Christianæ, largiendæque egentibus regiæ pecuniæ. Reuersus Rex, cùm quid actum intellexisset, Thomam in vincula rapi mandauit, furens, ac minitans. Interim Gandius Regis frater moritur: alij ad extrema tantùm venisse narrant. Sibi redditus post quatriduum Regi exponit: ostensum sibi à bonis Genijs in cœlo Palatium, quod ei Thomas Architectus Europæus miro magnificoque opere extruxerit: illius autem cùm elegantiam spectaret, ductoribus se suis dixisse, quod vnum istud inoptatis haberet,

vt

vt dignus esset, qui vel atrienſis, aut ſub illo, oſtiarius illius regiæ deſignaretur. Id quidem ſibi denegatum: additum tamen: ſi illud inhabitare vellet, quoniam frater eius inhabitatione ſe indignum reddiderit, poteſtatem ipſi fieri, à germano illud emendi, numeratâ, quam is expoſuerat, pecunia. Sed noluit Rex damnoſo commercio ſe tam commoda habitatione priuare: & ſignificavit fratri, vt ſi palatii viſi deſiderio teneretur, ageret cum Thoma, de alterius æquè pulchri extructione. Fecit Gaudius quod proponebatur. Tum Apoſtolus hac vſus oratione dicitur. Hoc vobis perſuadeatis, velim: innumera jam in cælo eſſe exædificata Palatia, eaque à primâ mundi origine ad inhabitandum parata, quæ fidei, & quæ ex fide emanant, operum bonorum precio emantur. Itaque ſi Palatiorum cæleſtium cupiditate flagratis, agite conſtanter, & fide ac religione Chriſtiana ſuſceptâ, diuitias veſtras, quæ migrantes ex hac vita ſequi non poſſunt, præmittite, & egentibus, peregrinis ac viduis liberaliter diſtribuite. Si feceritis, addico certò, nulli in cælo Rege dignum Palatium defuturum.

Atque hoc eſt tertium Ædificium, quod vocatur Operum meritoriorum, cui extruendo operam ſuam impendere debere Architectum noſtrum Tropologicum initio monuimus. De eo autem, vt de aliis Ædificiis ſuperius nominatis intelligi poteſt illud toties decantatum: *Sapientia ædificauit ſibi Domum.*

SERMO

SERMO IV.

ÆDIFICIVM BONI EXEMPLI ADOPTIVUM, & ADOPTATUM.

ARTICULUS I.

Quod-nam sit, & Quomodo extruatur Ædificium boni exempli.

QUARTUM Ædificium, ad quod erigendum firmandumque diligentem operam navat Architectus Christianus Tropologicus, nominetur BONI EXEMPLI: illud enim summoperè curandum Sapienti, vt nihil verbo, gestu, aut opere exterius moliatur, quod si in aliorum notitiam veniat, iis emolumentum aliquod spirituale adferre non possit. Hoc autem usitatissima in Ecclesiâ phrasi, dicitur, *Ædificare proximum*: ad proximi Ædificationem conferre: facere, quod Ædificet. Et jam trito vocabulo, præsertim inter viros religiosos, & Scriptores Ecclesiasticos, ÆDIFICATIO valet idem, quod bona ac religiosa conuersatio: &, loqui verbum Ædificationis, aut facere quidpiam ad Ædificationem, significat, ad aliorum utilitatem spiritualem, dicere, aut agere, quod est proprium Architecti Christiani Moralis; ut hujus operis initio, integro Sermone est demonstratum.

ARTICULUS II.

Quod-nam sit, & Quomodo construatur Ædificium Adoptivum.

QUINTUM Architecti Tropologici Ædificium nomine ADOPTIVUM. Denominationis hæc est ratio. Quamuis *Adopto*, unde *Adoptatio*, & *Adoptio*, primariâ significatione ad filium referatur: nam est idem, ac, in filii locum adsciſco, seu filium facio; tamen ad alia quoque transfertur. Quomodo dicitur quis adoptare aliquem in suam salutem: adoptare defensorem: adoptare sibi nomen, nempe, alterius nomen adsumere, seu participem facere: eadem analogiâ, dici potest, adoptare alterius Ædificium; in illud, ut in suum, se inferere, nulla possessoris injuriâ, ac proinde illius bona venia. Est itaque *Ædificium Adoptiuum*, aut, si mauis, *Adoptatum*, Virtutum uniuersitas, quæ aliorum operâ ac sudore, in Palatii, aut Domus sapientiæ formam composita, nobis etiam ad inhabitandum animo seruit, ac si proprium esset Domicilium, si caritatis adfectus, proximo de virtutum profectu gratulemur, illasque non secus ac nostras ad DEUM, ex eius amore referamus. Quò facit illud S. Augustini (*a*) superius allatum: *Fit per caritatem, ut quod habent singuli, commune sit omnibus: Sic enim quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero, quod ipse non habet.* Et istud S. Gregorii (*b*): *Tanta vis amoris in illa pace* (cælorum regno) *nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet.* Est enim in Ecclesiâ Catholicâ, Sanctorum Communio, ut ex symbolo Apostolorum docc-

(*a*) S. Aug. de mansionib. multis, Lib. III. Ser. III. (*b*) Lib. IV. Mor. cap. 31.

docemur. Ex quo sequitur, quod qui in illâ degunt, veluti vnius corporis membra se inuicem juuent, mutuis officiis, meritis, orationibus, quorum omnes possunt esse participes. Quare & Ædificâri sibi fideles justi, & Ædificantur ab aliis; phrasi in sacris Litteris vsitata. Sic Sara dicebat Abrahamo de Agar Ægyptia, *fortè Ædificabor ex ea*, Genesis xvi. id est, fortè liberos suscipiam, quos ego mihi adoptabo, ac sic meos faciam. Et Genesis xxx. Vt *Ædificer ex ea*, aiebat Rachel: quod vulgatus Interpres vertit, *habeam ex illâ filios*, quos mihi adoptem. Hoc Ædificandi modo lucrosissimo, quicquid aliorum opera extruitur, laborantibus iis siue verbo siue facto, nostris possessionibus accedit.

Atque hæc sunt quinque illa Ædificia, quæ Architecto Christiano esse debent veluti obiecta, vel opera, circa quæ versati deberent indesinenter Artium ac Scientiarum cultores: est enim verissimè pronunciatũ à Seraphico Doctore Bonauentura, *Opusc. de reductione artiũ ad Theol. Fructus omnium Scientiarum est, vt in omnibus* Ædificetur *fides, honorificetur* Deus, *componantur mores.* Quos illi componunt optime, qui moralium non contenti virtutum fabricâ, Christianarum illi structuram adiungunt, cui Exemplarem quoque, & Adoptatam Domum copulant: ac quotidie cæleste sibi Palatium indefesso studio perficere conantur: memores, se non jam *hospites & advenas esse, sed cives Sanctorum, & domesticos* Dei, *superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide* Christo Jesu. *In quo omnis* Ædificatio *constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum* Dei *in spiritu; cui semper Laus, Honor, & Gloria.*

NOTÆ.

§. Domus *non manufacta*,] Consolatur fideles Paulus cælestis Domus contemplatione. q. d. non conturbet vos, quod corpus terrenum, in quo tanquam in tabernaculo, ad tempus degimus dissoluatur; quia scimus nos habere firmum *Ædificium*, non manufactum, & æternum ex Deo in cælis. Domum terrestrem quam & Tabernaculum vocat, ob temporariam mansionem opponit Ædificationi, id est, firmo Ædificio, & Domui Æterna non manufactæ. Vbi per *Domum Æternam* videtur intelligen Mansionem cælestem, vel Gloriam illam & claritatem, inquam veluti in Domum lucidissimam ingredientur iusti: nam paul ante videtur hanc Domum appellasse æternum Gloriæ pondu Itaque significat, statim dissolutâ Domo terrestri homines iust Domum Gloriæ ingredi. Ad quod facit, quod Apostolus dicat habemus, quasi statim dissoluto corpore habeatur, nec sit diutin expectandum, sicut in Testamento Veteri. *Leonar. Lessius* d summo Bono lib. 3. cap. 1. *Hæc*, inquit, *expositio est probabil eamq; sequitur S. Anselmus, Lyranus, S. Thomas, & alii.*

Verum probabilius est, per *Domum Æternam*, intelligi corpus immortale & glorioſum. I. Quia hoc magis pertinebat ad propositum: hortatur enim fideles ad mortificationem carnis & tolerantiam passionis corporalis, consideratione Corporis immortalis & glorioſi, quod ipsis in cælo à Deo est præparatum. Nec obstat verbum, (*habemus*) in præsenti, quia habemus in præparatione diuina suo tempore reipsa nobis donandum. II. Quia hæc duo aptius inter se respondent: Videlicet, Corpus terrestre in quo, velut tabernaculo, ad breue tempus degimus, & Corpus cæleste in quo, tanquam firmo Ædificio æternum manebimus. III. Quia est magis consentaneum versiculis proximè sequentibus, in quibus manifestè loquitur de gloria corporis, seu Corpore glorioso. Hunc sensum amplectuntur *Chrysost. Ambrosius, Theophylact. Theodoretus, Vasquez, Pineda, Cornelius*, legendus *Bellarminus* lib. de beatitud.

Paradisus,] Gloria æterna dicitur etiam *Paradisus*. Luc. xxiii. Hodie mecum eris in *Paradiso*, id est, gloria & gaudia regni cælestis, vt passim exponunt PP. *Cyrillus catechesi* 13. *Chry-*

sost. hom. 1. de Cruce & Latrone *Ambr.* in Luc. Sumitur autem ibi *Paradisus*, non pro loco corporeo, sed, vel pro Gloria Beatorum, vel pro DEO in quo omnes Mentes beatæ, per visionem & amorem habitant, atque ineffabilem suauitatem, ac delectationem hauriunt. DEUS enim est optimum & suauissimum Beatorum Domicilium, ipse illis locus, Paradisus, Mundus, omnia. Mens enim magis est vbi amat, quàm vbi animat, vt loquitur Augustinus: & Intelligentiæ, ac amoris locus, est bonum & pulchrum. Idem S. Aug. lib. XII. de Genesi, cap. 29. *Visionem* DEI ait esse *Paradisum*, in quem raptus fuerit Paulus. cap. 34. *Verbum* DEI, in quo est lætitia Beatorum esse *Paradisum Paradisorum*. Legantur *Maldonatus*, & *Cornelius* in Euang. *Bellarminus* de Paradiso, *Lessius* lib. 3. de Beatit. cap. 1. *Theophilus Raynaudus* de metamorphosi Latronis cap. X.

§. ABDIAS.] Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Abdias Babylonius, vnus ex Discipulis Domini fuisse dicitur: Sed Vita Apostolorum, quæ sub nomine eius circumferuntur, fabulis similiores sunt, quàm veræ narrationi. Sed neque eius Abdiæ, aut libri eius vllam in veteribus mentionem inuenio.* Vsus tamen sum eius libro, qui est in manibus, in quo verum, & historicum est, S. Thomam profectum ad Indos, homines ad fidem conuertendi, & ad cælestem patriam transmittendi gratiâ. Cetera accipiantur, vt allegoricè scripta.

SERMO V.

DOMVS SAPIENTIÆ

Virtutibus, tanquam partibus constituta: variisque ornamentis externis & internis decorata.

ARTICVLVS I.

HOMO-EXTERIOR-DOMUS.

Opus Naturæ.

INGENTEM hanc Uniuersitatis molem, quam incolimus, Mundi nomine celebrem, veterum sapientissimi, Urbem esse dixerunt, seu Ciuitatem, loquendi modo (a) Stoicis familiari, quo etiam utitur Cicero (b) scribens 1. de leg. *Vniuersus hic Mundus una ... Ciuitas*; & alibi. *Est Mundus, quasi communis urbs.* In quâ simili concipiendi libertate, hominem quemlibet, dixero esse *Domum.* Bella fabrica, pulchrum palatium est Homo: Domus Principis: (c) *Quoniam inhabitabo*, inquit summus Principum, *in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum* DEUS. Et alibi tres Personæ diuinæ; *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* (d) Imprimis autem considero in Homine, tanquàm regia quadam Domo, bipatentes sensuum exteriorum portas, quæ multitu-

(a) Sen. ad Marciam cap. 18. Lip. lib. 2. Stodiss. 7. (b) Cic. lib. 1. de leg. Lib. 2. de nat. Deos. (c) 1. Cor. VI. 16. Leuit. XXVI. 12. (d) Joann. XIV. 23.

multitudinem quamlibet numerosam admittere possunt, & emittere, vt aditus sint faciles, & nulla ingrediendi, ac egrediendi obstacula. Tum in altissima eius parte, Capitis *Hypæthrum* (*a*) seu subdiale, (*b*) solarium (*c*) nunc dicunt, officulis octo, vt Medici numerant, veluti columellis, circumdatum. Deinde, spaciosissimam thoracis aulam, viginti quatuor costarum, velut pilarum peristylio cinctam. Interius triangulare pectoris conclaue, trium ossum concusu fabricatum.

Est deinde secretior in intimis Domus penetralibus cordis thalamus, seu geniale Principis cubile. Amplum ad sumendam corporis refectionem oris *Triclinium*, triginta duobus acuminatis dentiū officulis, vt cultris, instructū. Nisi mauis dicere, *Tabernam carnariam*, aut domesticum *Macellum*, in quo carnes conciduntur, & ad ventriculi culinam, inibi coquendæ, deferuntur. Ventriculus profectò, siue stomachus, *Coquinam* refert, suis abundantem instrumentis, & ministerijs. in ea coctrix facultas, non secus, ac peritissimus coquus ventriculo ipsi insidens, suis cum administris, Attrahentibus, Detinentibus, ac Concoquentibus potentijs, toto conatu in alimenti sibi commissi decoctionem incumbit: ipsumque natiui ignis calore, ibidem perpetuò æstuantis, transmutat. *Follium* vicem præstant Pulmones: *Camini*, vel *Spiraculi*, aut *Infumibili*, gurgulio. *Fornacis* semper calentis, Iecur, *Frigidarij*, in quo ad totius Domus vsum frigida asseruatur, est cerebrum. Alia ad culinam necessaria vascula, sunt, Folliculus fellis, in quo flauabilis: conceptaculum splenis, in quo atra. Neque deest in hac Principis Domo, *Archiuum*, siue *Tabularium*, in quo instrumenta, litteræ, monumenta publica, tabulæ, & quæ

(*a*) Vitruuius quod sub æthra sit. (*b*) Plin. (*c*) Locus apertus columnis fultum.

non obliuiſci conuenit, reconduntur. Conſtructum eſt illud in ſuprema contignatione Capitis, tribus diſtinctum cellulis, in quibus rerum omnium ſpecies, formæ, notiones, veluti monumentorum, tum priuatorum, tum publicorum chartæ, ac memorialia detinentur, donec extrahendi inde ſit neceſſitas. *Scalæ* in gyrum aſcenſiles, vel cochleas exhibẽt in corpore humano tot venæ erraticæ, præterea, nerui & arteriæ, per quæ velociter, ſpiritus, ſanguis, aquæ, ſurſum, deorſum, dextrorſum ſiniſtrorſum feruntur. *Vehiculi*, in Domo neceſſarij, vſum præſtat pituita. *Fenèſtras* exprimunt oculi ſuo cum reticulato textu. *Tecti* inſtar eſt calua, ſeu Cranium.

BIBLIOTHECÆ formam obtinet in penitâ hominis parte, Memoria. *Comitij* aut conciliabuli, in quo conſilia tractantur, Intellectus: *Penetrale* eſt Voluntas. Item, Homo conſtat quattuor *Elementis*, vt lapide & ligno in vnum corpus compaginatis, vnionis calce. Accedit forma, tum externa, quam videmus oculis, tum interna, quæ dicitur Anima, & incurrit in viſum intelligentiæ. *Fundamentum* in corpore humano, ſunt pedes: *Columnæ*, crura: *Parietes*, Caro: *Tectorium*, Cutis: *Tectum* pectinatim adſurgens, vel rotundatum, vertex capitis. Denique, quod ad Domus huius firmitatem mirè conducit, *Fulcimenta*, ſeu ſuſtentacula ſunt oſſa, non pauciora, quàm trecenta tredecim, quæ accurate in hac ſummi Principis fabrica, à Medicis, eius conſeruatoribus numerantur. (a) Atque hæc in Homine eſt *Domus Exterior*, præter quam eſt *Interior* alia: ſequor enim diſtinctionem Doctoris Gentium, (b) qui interiorem hominem opponit exteriori. Sic duplex eſt *Domus Exterior* & *Interior*: at hæc in illa.

AR-

(a) *Veſalius lib. 1. cap. 19. ex Galeno.* (b) *Ad Roman. VII.*

ARTICVLVS II.

HOMO-INTERIOR-DOMVS.

Opus Sapientiæ.

DOMVS Interioris Architectrix est SAPIENTIA, Quæ illam commodissimo situ locauit ad Orientem, vt superius est explicatum. Eius fundamentum, saxo quolibet & rupe magis firmum, ac ære perennius, est FIDES, non fluxa, sed constans, non profana sed sacra, sincera, incorrupta, denique, non humana, sed Diuina, qualis est Christiana, Apostolica, Romana, Catholica; quâ Homo ad vitam æternam destinatus, & Baptismatis Sacramento initiatus, IESV Christi veri DEI, atque hominis salutarem doctrinam, in eius Ecclesiâ profitetur, neque sectis vel opinionibus vllis ab Ecclesiâ Catholica alienis adhæret.

HVIC fundamento, ab omni parte, non minus firmas æterno ferendo parietum structuras super imposuit Architectrix. A sinistro, latere contra molestiarum omniũ, & rerum sinistrarum impetuosos ventos murum altissimum inconcussæ SPEI. A dextro, aduersus insolentes palpitantis Fortunæ, eo nocentiores insultus, quo occultiores, celsissimum ex quadrato marmore parietem continuati TIMORIS. A fronte, contra Vanitatis turbines, e solido, sed perpolito lapide Pario, in altum eductam molem CONTEMPTVS mundani fastus Ponè, contra viles voluptatis corporeæ illecebras, non minus excelsam spissamque maceriem è saxis sibi cohærentibus DESPECTVS blanditiarum carnis & sanguinis,

ARTICULUS II.

SAPIENTIÆ STVDIOSO

Est necessaria Fides, Spes, Contemptus vanitatis, voluptatisq; corporeæ despectus.

EST litterarum & Artium ingenuarum studiosis, quales sunt Academici Christiani, ad Sapientiæ connubium aspirantes, necessaria imprimis FIDES Diuina. Nam *sine Fide* (supernaturali, diuinitus infusâ, quæque DEI donum est) *impossibile est placere* DEO. *Credere enim oportet accedentem ad* DEVM, *quia est & inquirentibus se Remunerator sit*, ad Hebræos XI. Hæc itaque in Domo Sapientiæ est basis, cui totum ex virtutibus constructum Ædificium innititur. Quemadmodum enim Fides est principium ac basis Iustificationis, vt docet Synodus Tridentina, sess. VI. c. 8. ita est initium ac basis Sapientiæ. Dicitur autem Fides principium iustificationis, non quod ipsa sola absque caritate & operibus, infusaque Gratia sanctificante, iustificet; sed quod intellectum illuminet, ac viam salutis demonstret, vt dirigamus pedes nostros in viam pacis, & DEVM, vnde omnis iustitia nostra, agnoscamus, quod initium est salutis. Præclarè Augustinus de Fide ad Petrum: Tale quid est sine vera fide, velle per contemptum seculi DEO placere, quales, si quis tendens ad patriam, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quo non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat. Nimirum.

FIDES dux est, quæ ad salutem, & patriam, nec minus ad veram Sapientiam viam monstrat. Fides est lucidissimum sidus, quod nauigantibus beatitatis portum osten-

dit.

dit Fides est instar Columnæ igneæ, quæ veros Israëlitas in Terram promissionis præcedet. *In Columna nubis loquebatur* DEVS *ad eos*, Psalmo XCVIII. nempe ad Israëlitas, quos ducebat. Loquetur tibi DEVS in hac Columnâ, quæ est ceterarum virtutum fulcimentum: sed ne claritatem expectes, est Columna nubis: euidentiam non habet, certitudinem habet. Est tamen etiam instar stellæ prælucentis. Ad Christum Magi, non nisi stella duce introducti sunt. Quod stella fuit Magis, hoc Fides est Christianis. Non Solis, neque Lunæ, nec Stellarum omnium in cœlo fulgens splendor Magis Christum indicare potuit; noua illos Stella ad incognitum, & absconditum Gentibus DEVM perducere debuit. Non te intellectus, non scientiarum quotquot in intellectu fulgent lumina, ad veram perducent Sapientiam. Fides Stella est, quæ nisi præstet, semper in tenebris ignorantiæ, & mortis vmbra ambulabis. Si habeas fidem, positum est in te fundamentum Domus Sapientiæ, nam sine eâ reliquarum virtutum Ædificium construi nequit. *Fides*, inquit S. Chrysostomus. (*hom. IX. in Epist. ad Hebræo.*) *fundamentum est, cetera verò superædificationes.* Quod probat ex Paulo Apostolo I. ad Corinth. III. dicente: *Ego fundamentum posui, alius superædificat*: Hoc est fundamentum, quod sensu Papæ Gregorij, Babylonici hostes, scilicet Dæmones, extremo conatu nituntur exinanire: *Inimici*, inquit, *Lib. XV. Mor. c. 15 vsque ad fundamentū Ieruſalē exinaniunt, quando peruersi Spiritus â corde fidelium, destructo prius Ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt Religionis* (nempe fidei) *iuxta illud Psalmi* CXXXIX. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in eâ.*

QVOCIRCA Fides est necessaria omnibus litterarū ac scientiarum studiosis, immò cunctis ad salutem æternam aspirantibus, qui Sapientiæ Ædificium, ex Virtutibus

bus in Animâ conſtruere cogitant. Tota hominis Chriſtiani cognirio ad amorem DEI referenda eſt: amor nó habetur ſine cognitione, cognitio qualis requiritur ad amorem, non obtinetur, quamuis ſummus eſſes Poeta, Orator, Philoſophus, MEDICUS, Iuris peritus, ſine fide. Vt aſtra omnia, quotquot in cœlo ſplendent, penè abſque numero, quamuis lucis aliquid adferant, noctem tamen ſuâ luce pellere nequeunt: haud ſecus ſcientiæ omnes, quotquot mortalium ingenio, labore, induſtriâ inuentæ ſunt, atque excultæ, licet aliquid cognitionis pariant, DEI tamen, ac rerum diuinarum, ad animæ ſalutem neceſſariarum ignorantiam ex animo nunquam effugabunt. Sol noctem, Fides inſcitiam cœleſtium profligat. Itaque, non dubitate, Adoleſcentes ſtudioſi, Viri docti, Doctores Academici, nec detrectate captiuare intellectum veſtrum in obſequium Chriſti, & fidei. Credite, & firmiter credite Myſteria vobis à S. Matre Eccleſiâ propoſita, ac proponenda: non dubitate. Accedite frequenter ad illud fidei Sacramentum quod Chriſtum inuiſibiliter, ſed realiter continet. Ibi fidei orthodoxæ actus exercete, ibi DEVM veſtrum adorate. *Si non capis, ſi non vides, animoſa firmet Fides.* Captiuate intellectum veſtrum in obſequium fidei. 2. *ad Corinth.* 10. Felix & nobilis captiuitas, quæ dum captiuat, liberat; dum ligat, ſoluit; dum ſubijcit, ad diuinæ veritatis ſublimitatem eleuat: liberat ab ignorantia, ſoluit ab errorum vinculis, nobilitat cœleſtium notitia, tandemque conſortio.

FIDEM hanc diſcite in Ordinis ſacri gymnaſijs, quæ Sapientiæ Chriſtianæ dicata ſunt, Adoleſcentes optimi: eandem ſemper incorruptam, quocumque migraueritis, deferte: pro eadem, ſi opus ſit, ſanguinem effundite, vitam date, mille tormentis corpus exponite: nunquam

pœni-

pœnitebit.(a) *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladijs, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Ex ijs *alij* fide animati, *ludibria & verbera experti sunt, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati* fuerunt. O præclari Sapientiæ Architectricis Operarij, qui posito fidei fundamento, tam firmum operum bonorum extruxerunt Ædificium!

At, præter eam Fidem, quæ est Diuina; necessaria est Adolescenti litteris operam danti alia quædam, Humana, quâ Doctoris sui dictis magis quàm suis inuentis, figmentisque credat oportet. Scitis, quantam huius rei rationem habuerit Græciæ Sapientum summus Pythagoras, qui auditores suos ad fidem dictis præstandam, nihilque contradicendum, quinquennio integro adigebat. Et sanè arrogãtium quorundam adolescentulorum est, sibi magis, quam Magisto, viro maturo, ac serio in rebus ad doctrinam spectantibus fidem adhibere. Reperiuntur tamen nonnulli, qui cum vix ex ouo prodierunt, vix trium K.K.K. gnari, de viris grauissimis & litteratissimis, Præceptoribus suis, ad quorum calcaneum vix attingunt præproperum iudicium, & iniquam censuram ferre audent: digni, si in maioribus id fiat doctrinæ capitibus, qui omnium ludibrio propinentur, vt stolidi, ac bardi adolescentuli. *Non est discipulus supra Magistrum. Sufficit discipulo, si sit sicut Magister eius*, inquiebat Magistrorum Magister Christus Matthæi x. Docta est ad hãc rem ratio-

(a) Ad Hebræos xi. 33. & seqq.

ratiocinatio S. Thomæ commentantis in Ioannem capite v. vbi cùm scripsisset, quattuor esse vitæ gradus: & primum inueniri in plantis, secundum in animalibus, quæ tantùm sentiunt, tertium in animalibus, quæ sentiunt, ac mouentur, & perfecta sunt, quartum, in ijs qui intelligunt; subiungit, primam vitam esse intellectualem, quæ perficiatur in cognitione veræ Sapientiæ, quæ est vita æterna. *Ad Sapientiam* autem, inquit, *non potest homo peruenire, nisi per fidem.* Vnde in Scientia nullus ad Sapientiam peruenit, nisi fidem adhibeat Magistro.

Sed alia est Fides, nempe Theologica, in quâ, vt in fundamento, Domus Sapientiæ parietes statuimus. A sinistris quidem Spem, contra aduersa. Multa Sapientiæ amatori toleranda sunt, neque leuia, neque suauia, antequam adoptatas eius Sponsio perueniat nuptias: multa vobis perpetienda sunt, boni Adolescentes, antequâ culmen attingatis diu desideratæ in Artium & Scientiarum exedra gloriæ. *Multa tulit fecitq; puer*: acerba dicta sunt deuoranda, magis acerba facta sustinenda: frigus, æstus, nix, glacies superanda sunt. Sed *sperate, & rebus vosmet seruate secundis. Dabit* Deus *his quoque finem.* Amara Sapientiæ radix est, sed fructus dulcissimi. Ascendes tandem aliquando in Palmam, & apprehēdes fructus eius. *Noli esse pusillanimis in animo tuo*: monet suos discipulos Ecclesiasticus cap. VII. *Fratres, confortamini in Domino!* hortatur Paulus Alumnos Sapientiæ; ad Ephes. VI. 10. adiungens: *& in potentia virtutis eius:* cui nihil potest obesse, nihil resistere.

A dextris parietem Timoris. O Adolescens! ad votum tibi succedunt omnia, præter opinionem pleraque, supra spem plurima: vinci s æqualis naturæ dotibus, attingis maioris gratiæ donis: vales ingenio, iudicio, memoria. Time: *noli altum sapere,*

(a) Ora

(a) Ora sæpe cum Psalte regio: (b) *Confige timore carnes meas.* Nam salutarem eius effectum aliàs expertus fuerat, & testatus: Conuersus sum in ærumna, dum configitur Spina: Timoris videlicet. Hac Spina sepi aures tuas, ne te prosperitatum lenocinia à Sapientiæ semita abducant: hac Spina cor confige, & medullitus, si sapis, perfora. Non minus autem necessarij sunt alij duo parietes. A fronte, *Contemptus Vanitatis*, A tergo *Despectus Voluptatis* Inuitaberis sæpenumero ad pocula, saltus, choreas, euaginationes diurnas, grassationes nocturnas, denique ad nugas nugarum, & vanitates vanitatum, quibus tum studendi desiderium flaccessit, tum animi constantia infringitur, tum virtutum fibræ inciduntur. His duo parietes opponendi sunt. *Fili mi*, clamat Sapiens, Prob. 1. 10. *si te lactauerunt peccatores, ne adquiescas eis: ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à semitis eorum. Omnis homo simili sui sociabitur*, Ecclesiastici XIII. 20.

(a) Rom. 11. 20. (b) Psal. CXVIII. 120.

ARTICULUS IV.

Figura, et Pavimentum

Domus Sapientiæ.

EX quatuor parietibus facilè est colligere, Domus Sapientiæ *Figuram* esse *quadratam*, quam Geometræ & Architecti firmissimam esse demonstrant, ideoq; stabilitatis est symbolum apud eruditos Philologos. Hæc figura adeo placuit Ædificij huius supremo Artifici, vt si quo domiciliũ sibi carum extrui curaret olim, hac voluerit figura insigniri. Sic Arcam, Altare, multaque alia effor-

efformata in Salomonis templo satis constat. In eo quadrata erat porta, quadrata porticus, quadratum atrium exterius, quadrata area, quadrata atriola, vt Ioa. Bap. Villipandus in Architectura Templi Salomonici ostendit. Cœlum etiam empyreum, DEI & Sanctorum peculiare habitaculum; versus partem superiorem quadratum esse, non globosum, creditur. Quod eliciunt Theologi plerique, ex illo Apocalypsis XXI. *Ciuitas in quadro posita est.* Sapientiam autem in quadrato sedentem, Fortunam verò inconstantem in globo & cum globo gyrari, veteres pinxisse, illorum emblemata ac tabulæ satis declarant. Meminerit Sapientiæ studiosus firmitatis ac constantiæ: non gyretur quolibet actus turbine, tanquam Fortunæ profanæ pullus volubili rotæ insistens. Non sit arundo, quolibet agitanda vento: non ædificet hodie, quod cras destruat: hodie cum probis in templo, cras cum improbis in popina: mane cum diligentibus in gymnasio, à meridie cum lurconibus in ænopolio: de die cum litterarum cultoribus in Scholis, noctu cum ludionibus ac scurris in plateis: vno die modestus & compositis moribus, vt probitatis amans, altero discinctus & petulans, vt pantomimus. In quadro posita est Domus Sapientiæ, non in rota subsistit. non gyratur.

IN ea PAVIMENTVM, multo pulchrius, quam quod in Regum domibus tessellato opere nitet, est ex solido marmore HVMILITATIS, omni ex parte æquali, sine vllo tubere elationis, sine vllo tumore iracundiæ, sine vlla fossa diffidentiæ, sine hiatu desperationis. Scitis inter primos studiosi adolescentis, dum litteris datoperam, & earum Doctoris virtutes, esse *Humilitatem*, aut *Demissionem Christianam*. Scientia inflat. Et volùt omnes, etiam qui non sunt, censeri doctissimi, & inter omnes emi-

eminere. At, decet Sapientiæ alumnum, nemini se superbè præfetre, sed omnibus se, quantum fert status ac conditio personæ, se submittere: vniuersos honore præuenire: maiores maximè: tum Sacerdotes Dei Altissimi, ac Præceptores: pauperes non aspernari. Si quis in contubernio; aut in Scholâ est vilis, & contemptibilis, cuius tamen virtus emineat, ei consortium, & solatium non negare: cum minimis etiam fraternè colloqui: nullum, quamuis minus ad litteras aptum, ridere, aut contemnere.

ARTICULUS V.

Qvatvor Tvrres.

Domus Sapientiæ.

CVm in quadro sit posita Domus Sapientiæ quæ non est vilis aliqua, aut communis, vt in pagis, vel oppidis, sed principalis ac regia palatium referens, simulque arcem, & castrum munitissimum in singulis quadratis angulis singulæ sunt Turres editissimæ, non ille Cyclopum fabulosæ, nec ludicræ lamiarum; sed veræ, firmæque, ex eodem cum Ædificio quadrato lapide. Quæ ad totidem cœli plagas Domum hanc imperatoriam muniunt, ornantque, specie, non eleganti minus, quam minaci. Sunt autem ab imo ad summum fenestris pertusæ ex Sapientiæ Architectonicæ præscripto. Sic enim in partes omnes, suus est, & commodissimus prospectus: licet in summo non desit Specula, vt hostium aduentantium cunei à longinquo in oculos exploratorum incurrant.

Ad Ortum, Iustitiæ Turris exsurgit: per illã enim timentibus Devm, & futura prospicientibus oritur Sol Iustitiæ. *Fili concupiscens Sapientiam, conserua Iustitiam, & Devs præbebit illam tibi*, promittit capite 1. Ecclesiasticus. Discite Iustitiam, Adolescentes cari, dum litteris operam datis, Sapientiæ proci, & vos maximè, quiad magna dominia aspiratis, nobiles, generosi, illustres. *Sine Iustitia, quid sunt regna & dominia, nisi magna latrocinia?* inquit Augustinus (a) Quid Alexander, dum iniustè agit in suos ẽxterosque, nisi magnus latro, vt pirata ille captiuus Alexandro Magno oggerebat. *Regnum*, adde, dominium, *à gente in gentem transferetur propter iniustitias*, edicit Ecclesiasticus. Contra, *Rex*, Dominus, *iustus erigit terram*. Prouerb. xxix. *Iustitia firmatur solium*. Prouerb. 16. *Iustitia & iudicium correctio Sedis eius*, Psalmo xcvi. Hæc est vera *Turris Phanuel*, quod interpretatur *videns Deum*, adde, & confidens in Deo.

Ad Septentrionem superiori par erigitur Turris Fortitvdinis, contra tot aduersariorum phalanges, quæ inde proreptant, & munitionem inuadere conantur. Sis fortis in bello Adolescens. pugna cum antiquo Serpente: non te prosternat ignauia: non vincat sopor: non deijciat animum temporis longitudo, & in ea tædium: non hiemis æstatisque molesta curricula.

Temperantiæ Turris Meridiem spectat, vt æstuantis Concupiscentiæ acies prospiciat, & appropinquãtes, telorum saxorumque abstinentiæ, inediæ, & imbibesiæ imbre pellat, ac in fugam conuertat. Præterea, vt nimia, ac curiosa sciendi desideria, huius quoque Domus hostes capitales arceat. Quare sapienter S. Thomas Aquinas, inter virtutes morales vnam ponit Temperantiæ adnexam, & studio Scientiarum percupido appri-

(a) *Lib. 4. de Ciuit. cap. 4.* (b) *cap 10.*

apprimè necessariam, quæ aptissimo vocabulo appellatur

STVDIOSITAS. de qua tractans Doctor Angelicus, docet, cerni in adolescente, aut viro scientiarum auido, respectu scientiæ, siue cognitionis, duplicem adfectum: vnum ex parte animæ, alterum ex parte naturæ corporeæ. Ex parte animæ suopte impetu fertur ad studia: quia omnis homo naturâ scire desiderat. Hinc illa inquietudo, & quædam quasi voracitas naturalis (Græce βελιμία vocant) quorundam, qui vnico momento libros omnes deuorare, ac scientias deglutire vellent. Hunc adfectum vt monet Aquinas, virtute Studiositatis laudabiliter refrenare oportet: ne immoderatè rerum cognitioni intendat: ne vana & curiosa sectetur: ne noxia sibi, superstitiosa, magica, aut quod vulgarius, obscæna peruoluat. Ne dum Ouidium, de tristibus legere debeat, percurrat de amoribus illicitis, ab eodem præcepta lasciuis carmine venereo tradita. Dum Virgilij eclogas, aut Æneidem edisce re oporteret spurcissima Priapiacroamata memoriæ mandet. Quid tu amatorios Amadisi amores legis & relegis, qui in Iustitiæ castris castissimis, vnde tibi Iurisæ nomen, militiã togatam profiteris? Quid nugas Duardis, Lucendulæ, Morionis, aliorumque fœdissimorum auctorum auidè voluis, qui Breuiario Ecclesiastico alligatus es, tonsura signatus? Ex parte autem naturæ corporeæ pergit Thomas, inclinatur litterarum studiosus, vt laborem inquirendi scientiam vitet ac refugiat. In hoc autem vel maximè laus consistit Studiositatis, vt *vehementiam intentionis excitet ad scientiam rerum percipiendam.* Indeque nomen accepit Studiositas, quia incitat, vt magno studio litteris incumbat, remouendo vniuersa, quæ litterarum assequutionem

(a) S. Thom. 2.2. q. 166. Ar. 2. ad 3.

impediunt. Iam verò PRVDENTIÆ Turris, quæ est quarta, Occidentali est obuersa orbis plagæ, vt ab humanis casibus,& periculoso in aduersis lapsu Sapientiæ cultores tutetur,ac defendat. *Estote Prudentes,* inquit Sapientia,*Matt.*x.16.suis alumnis,*vt Serpentes:*at *simplices sicut columbæ.* Vtrumque nectatur, Prudentia ac Simplicitas.

TVRRES habetis quattuor, suo quamque loco positam. *Iustitiam* à fronte,vt contra vi aperta inuadentes opem ferat. Eius enim est, in certis ac minimè dubijs auxilium. *Prudentiam* à tergo,nam ambiguis, perplexisque, & sæpe nondum in conspectu præsentibus difficultatibus occurrit,& ex ijs pericula auertit.*Temperantia* latus dexterum,ad meridiem occupat,quoeiam in calentibus concupiscentiæ, prosperisque moderatur. *Fortitudo* ad læuam consistit.eius enim in sinistri aduersisque viget adiutorium.In his Turribus pendet omnis armatura fortium. Hæ Turres ædificatæ sunt cum propugnaculis:mille clypei pendent ex eis.Nihil in Domo Sapientiæ deest,quo thesauri Animæ fidelis,Gratia & Virtutes, defendi possint; & debellari Principes tenebrarum,quibuscum studiosis,vt scientiarum, sic virtutum quia lucis filijs continua est colluctatio. Millenarius ex decenario decies ducto nascens, omnes numeros perfectè complectitur: quare omnia fortium arma significat.

HAS Turrres seruat lectissimorum & ad bella doctissimorum militum manus. Siquidem custodiunt Domum Sapientiæ, in eaque habitantes Angelorum plurimæ myriades, tum seculorum omnium athletæ fortissimi, qui Sapientiæ sub ijsdem nobiscum vexillis militarunt: nunc autem honoratam militiæ laboriosæ vacationem consequuti,palmas immarcessibiles obti-

nent,

nent, felices cœli incolæ. Præsidiarij Præfectus idem est, qui huius Palatio ac Arcis Ædificator DEVS Sabaoth, Dominus exercituum, idemque victoriarum donatus, verum belli, pacisque Numen.

ARTICULUS VI.

FOSSA. FLVMEN. VALLVM

Domus Sapientiæ.

FOSSA Sapientiæ Domum circumdat latâ, ac profunda. DICI potest Pœnitentiæ, aut Contritionis. Per quam, ne vado sit transitus aduersarijs, scaret semper spumantibus lacrymarum vndis. PONTEM habet superpositum sublicium, versatilem, ex operum Misericordiæ contextu factum, per quem ad interiores Domus Sapientiæ mansiunculas peruenitur. Eandem Fossam, si dixero, miserationum diuinarum FLVMEN continere, approbatorem habebo Prophetam regium, qui *Fluminis impetus*, cantat, *latificat ciuitatem* DEI, Psal. XLV. benè *impetus*, ne quis suspicetur tenuem aliquem riuum. In Fossâ Domus Sapientiæ copia est ruentium aquarum misericordiæ diuinæ, ad tutelam Domus, & hostium terrorem. Est autem tantæ profunditatis, vt non sit metuendum, ne vlla suffossorum manus, aquam aliò possit auertere; tantæ latitudinis, vt nulli, quamuis peritissimi natatores queant traijcere. Nam Fossa Misericordiæ, & fluuius Miserationum diuinarum est abyssus multa, profunditas immensa latitudo infinita, congeries beneficiorum inexhausta, gurges impenetrabilis. Post fossam, constitutum est

VALLVM inexpugnabile. quodnam illud? *Arma dabit* Pietas, *& inexpugnabile* VALLVM cantat Poëta Christianus. dicatur igitur, Pietatis, vel magis vniuersè, Probitatis. Probitas maximè conuenit studioso Sapientiæ, siue adolescenti, siue viro, ad doctrinam aspiranti, vel iam docto. Monstrum est, mihi credite, quod in nullo prædicamento locum meretur, æquè & chimæra, Doctus impius, aut improbus. Et profectò, satius fuerit, Adolescentes mihi dilecti, idiotam esse, & probum piumque, quàm doctum & improbum. Ad cœlitum consortium hic nunquam admitteretur, quippe indignus, & perpetuò, dum talis, excluſissimus: probus idiota, probitate Christianâ, quæ est Sanctitas, adscisceturquia dignus, quam diu talis. In altero seculo, post hanc vitam, idiotæ probi, pij, sancti, transformabuntur in scientissimos, sapientissimosque; docti improbi si tales hinc decedãt; in Sanctos nunquam. *Lignum vbi ceciderit, ibi erit*, Ecclesiastæ XI. 3. Vt cœli regiam ingrediaris, consors futurus beatitudinis, non est satis te esse Philologum, aut Philosophum, Medicum, Iurisperitum, Theologum, nisi etiam sis probus, pius, sanctus. Contrà, satis est si ita verè compellari possis, quãuis, nec eloquens, aut eruditus sis, nec Philosophiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ, aut Theologiæ peritiam habeas. *Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus*, ac probitas. Quamuis Ioanne Theologo, Nazianzeno, Thoma, Scoto, esses in Theologicis subtilior; & Vlpiano, Marcello, Pomponio in in Iuridicis prudentior; & Hippocrate, aut Galeno, immò Apolline in Medicis sagacior; & Socrate Platone, Aristotele in Philosophicis excellentior; & Cicerone, Demosthene, Isocrate in Oratoria facultate; & Homero, Virgilio, Lucano in Poëticis; & Varrone, Festo, Donato, Prisciano in Grammatica illustrior; sed improbus,

im-

impius, sceleratus. ad quid hæc omnia? cœlo excluſus, includereris orco æternùm miſer. Vt non faciunt equum meliorem inſignia, non frenum gemmeum, non pictum ephippium, non aureæ phaleræ; ſic neque hominem ſcientia ſola beatiorem.

IAM vero, ſi aliquis rudis, nullis expolitus diſciplinis, & doctrina, rerumq; vſu, plane ſimplex, ἀμαθὴς, & ἄπειρος, qui ducens agmen Idiotarum, clamet ante cœli ianuam, *Domine, Domine aperi nobis*; (a) ſi abſque litteris & doctrina ſit probus, at pietate inſignis, portis bipatentibus excipietur, & applaudente curia cœleſti, audiet à Sapientiæ Præſide, *Venite benedicti Patris mei. Surgunt indocti*, dicebat veriſſimè Auguſtinus, (b) *& cœlum rapiunt: & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce volutamur in carne & ſanguine.* Itaque optime illum imitatiſſimus Propheta Dauid, (c) poſtulans à DEO, quæ Sapientiæ amatori conueniunt, primo loco ponit *Bonitatem*, cui adiũgit *Diſciplinam*, & tum ſubnectit, *Scientiam. Bonitatem, & Diſciplinam, & ſcientiam doce me Domine.* Certè, *nõ auditores legis, ſed factores iuſtificabũtur:* Iac. 2. nõ docti, ſed probi. Non ſunt beati, qui duntaxat, audiunt, legunt, diſcunt verbum tuum Domine, ſed qui etiam cuſtodiunt illud. Sic diſcamus, vt quæ fuerunt verba, ſint opera. Facere docet Philoſophia Chriſtiana, non dicere tantum: & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat.

(a) *Matt.* XXV. (b) *Lib.* VIII. *confeſſ. cap.* 8. (c) *Pſal.* 118. 6.

ARTICULUS VII.

MVRVS ET ANTEMVRALE.

Domus Sapientiæ.

VALLO iunctus eſt MVRVS Caſtitatis, & ANTEMVRALE Sobrietatis: quia malè tuta Caſtitas, quam

quam non munit sobrietas. Vtraque Sapientiæ Studioso perquam necessaria, nec minus artium & scientiarum amatori. Notum est illud vulgare: *Plenus venter non studet libenter.* Qui multo cibo ac potione se onerant ac distenduntur, nec mente quidem rectè vti possunt, & fiunt ingenia talibus maximè obtusa: quomodo igitur, tanquam aquilæ in ipsum Solem Scientiarum & Sapientiæ irretortis luminibus ferri possent? Illud etiam certissimum est, (a) inquit bonus auctor ac pius: voluptatem corporis omnem quidem, sed illam maximè, quæ continentiæ virginali, ac castitati contraria est, animum & mentem, quæ est hominis pars nobilissima, eneruare, emollire, obtundere, atque ex statu suo illo erecto, & excelso deijcere, vt nihil altum, nihil generosum cogitet, sed semper in terra, & vilissimis cogitationibus hæreat. Cuius ratio per se manifesta est: quoniam & corpus, & omnis ea, qualis qualis cõmunis est homini cum belluis: ex quo fit, vt quo se animus ad eam abijciat, & viliter humiliet, eo magis cũ ipsa carne, re omninò vili, ac terrena se misceat, eoque magis, cum eius natura bruta atque hebete communicet: Quin etiam ex assuetudine ita obtundatur, vt nihil altum, nihil magnificum, nihil diuinum suscipere possit: quippe cùm seipsam obiecerit in rem tam vilem, tamque contemptam.

Hanc autem tarditatem, siue obscuritatem in mente inuehi, non ab illis tantum delectationibus, quæ apertè castitati repugnant, & sunt illicitæ, sed eandẽ propemodum, ab ijs, quæ licitæ sunt, multi graues pijque auctores adfirmant. Et sanè ita esse Augustinus persuadet: (a) qui propria ductus experientia: *Nihil esse sentio*, inquit, *quod magis ex arce virtutis deijciat animum virilem,*

(a) S. August. 1. Soliloq.

virilem, quam blandimenta fœminarum, corporumq; ille contactus, sine quo vxor haberi non pot est.

Quæri solet ab aliquibus, cur cœlibes, ac inter illos signatè Religiosi maximè, adeò in omnibus doctrinis, quibus se applicuerunt, excelluerint, ac ferè etiam-num excellere soleant? Causas varias adferunt diuersi: ego secundum DEI illustrationem peculiarem, ac gratuitam beneuolentiam: quâ tales prosequitur, dixerim causam esse continentiam & castitatem. Quod naturali lumine agnoscens Auerroes, VII. Physicor. asserebat, castitatem, aliasque virtutes, quibus concupiscentia carnis comprimitur, præcipuè valere ad adquirendas scientias spectatiuas. Habet itaque Ædificium Sapientiæ, Parietes quatuor, quatenus est Domus: paries enim propriè est domorum: Murum, quatenus vrbs, vel arx, quam ambitus lapideus vel lateritius cingere solet vt muniat: cui adiunximus Antemurale, quod ad firmiorem munitionem spectat.

Et quamuis dixerimus, *Murum*, esse Castitatem, *Antemurale* Sobrietatem: sunt tamen alia nonnulla, quæ eandem denominationem in Domo Sapientiæ, tanquam vrbe fortissima habere possunt. Certè, S. Hieronymus, *Murus*, inquit, *Ecclesiæ*, quæ est ipsissima Domus Sapientiæ, est *Fides*, Antemurale, *Opera bona*. At S. Bernardus, (*b*) Murus ait: est *Continentia*, Antemurale, *Patientia*. *Bonus Continẽtiæ Murus, qui sic vndiq; circumdat, & circũcingit, vt nec per oculorum fenestras, nec per ceteros sensus detur ingressus Morti. Bonum* Antemurale Patientiæ, *quod primos hostium sustinet impetus, vt inter plurima tentamenta stemus viriliter, & perseueremus iugiter inconcussi. Vnicum quippe remedium est, dum Continentia quatitur, & quodammodo nutat, obijcere Patientiam: & quantumcumque ferueat sensus peccati, negare omni-*

(*a*) Hier. Plat. lib. II. cap. 33. (*b*) S. Bernard. Serm. V. de Assumpt. Serm. III. de Dedicat. Eccl.

modo consensum. In Patientia vestra, inquit, *possidebitis animas vestras*, Lucæ XXI.

TANDEM, ipsa Sapientia Incarnata, cuius est hæc Domus, Arx, Vrbs, est *Murus & Antemurale*, ac præstat multo melius totum illud quod à Muro & Antemurali expectari posset. Ita cantatur à Sapientiæ alumnis Isaiæ XXVI. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea, Murus & Antemurale.* Christus IESVS, Sapientia Increata simul & Incarnata, erit Domus suæ, Vrbis suæ, Arcis suæ Murus & Antemurale, id est, instar Muri & Antemuralis fortissimi, illam, & in ea habitantes tutabitur, ac defendet. Domus, Arx, Vrbs Sapientiæ est munitissima, & fortissima, ita, vt nulla vis, nulla ætas eam conuellere, nullus hostis occupare possit, nulli prævalere aduersarij, quia Saluator Christus, Sapientia ipsa, erit Domus suæ Murus, & Antemurale, fortissimus, circumquaque Custos & protector perpetuus. (a)

DICERE etiam posses, quod ipsum nomen IESVS, sculptum in culmine Domus Sapientiæ, & in quolibet eius lapide angulari. sit Murus & Antemurale. *Saluator*, id est, IESVS, *ponetur in ea Murus & Antemurale.* Nomen illud sacro-sanctum est Amatori Sapientiæ Murus & Antemurale, fortitudo, protectio, defensio. *Turris fortissima* Nomen Domini. Prouerb. XVIII. 10. *Ad illam currit iustus & exaltabitur Cui in periculis palpitanti, & trepidanti inuocatum Virtutis* Nomen, *non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui inaduersis diffidenti, iam iamq; deficienti, si Nomen adiutory sonuit, defuit fortitudo.* (b) S Gregorius, (c) vt Murum distinguat ab Antemurali, Saluatorem ponit in Domo Sapientiæ Murum, Prophetas Antemurale, haud ineptâ applicatione, *In sancta Ecclesia,* in

(a) Thomas Hugo Forer Vatablus. Sanchez. (b) *S. Bernard. Serm.* XV. *in Cant.* (c) *Hom.* XIV. *in Euan.*, 5. *Isaiæ* VI.

inquit, *Dominus*, (d) Christus Iesvs, Murus *nobis*, & *Prophetæ eius* Antemurale *sunt positi, quia ad nos, quos ipse perfectè protegit, etiam Prophetarum verba in fidei constructionem venerunt.* Eadem analogia dicas, Antemurale Domus Sapientiæ, esse Apostolos, Doctores Ecclesiæ, Concionatores, Confessarios, scientiarum, ac litterarum Magistros. Sed in omnibus istis est Murus & Antemurale Præses Sapientiæ, fidei, ac bonorum operum Christus Iesvs. Saluator, inquit, S. Hieronymus est *Murus bonorum operum, & Antemurale fidei. Non enim sufficit Murum habere fidei, nisi fides bonis operibus confirmetur.*

Iesvs Christvs est Domus Sapientiæ. id est, suæ, Murus & Antemurale, Arcis suæ fossa & vallum, Vrbis suæ propugnaculum, & Turris, id est, omne præsidium, turamentum, robur: multo verius, quam olim Scipio Romanis contra Hannibalem, & Carthaginenses dicebatur fossa & vallum. Porrò, ne hoc ignoretis, per *Antemurale* intelligit Propheta, aut vallum, & semilunam, quæ fit ante portam & muros, vt ab ijs ciues hostem arceant; aut ipsa rotunda valla, quæ instar turrium excurrunt inter muros ac proeminent, vt ex ijs, incolæ hostē ad muros accedentem iaculis configere, ac depellere possint. (a)

(a) *Lege Delrium Adag. 743. Murus & Antemurale. p. 335.*

ARTICULUS VIII.

Tectvm et Dimensiones

Domus Sapientiæ.

Qvis non miretur Architectricis Sapientiæ fabricam, cui nihil planè deest, siue ad ornatum & ele-

elegantiam, siue ad defensionem & præsidium, vt audi-
uistis hactenus, in eam eductam esse altitudinem, v
mortalium oculi illius cacumen attingere nequeant.
Quippe cùm apex cœlum penetret, tegaturque tanta
moles pectinatim adsurgente. TECTO Perfectionis
Christianæ, quod vltra id omne vbi pluit, iungit, gra-
dinat, supraque ætheris immensa spacia, nec nisi Divi-
nitatis solio terminatur. Perfectionem spectare debent
Sapientiæ studiosi, infimo, aut mediocri aliquo, siue
scientiæ, siue probitatis gradu nequaquam contenti.
Quod si perfectionem præscripsit omnibus suis audi-
toribus cœlestis Magister, quanto magis sibi familiari-
bus ac domesticis discipulis, quales sunt, qui in Domo
Sapientiæ excubant: His dictum signatè. (a) *Estote v
Perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Emphasi
habet pronomen. *Vos.* Vos mihi peculiariter cari, Vo
Sapientiæ dediti, Vos in gymnasio meo assidui. Adeò
hortatur Doctor gentium: *Fratres gaudete: perfecti estote,* 2
ad Corinth. XIII. Et ad Colossenses scribens, monet: *Vt
exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo* IESV. Co-
nantur multi esse petfecti Grammatici, perfecti Orato-
res, perfecti Philosophi, Medici, Legulei, Theologi, in
eruditione, facundiâ, speculatione, subtilitate, dicendi
agendique dexteritate; conetur esse perfectus Sapien-
tiæ studiosus, prætereà, in probitate, virtute, & Patris
cœlestis imitatione. Audiat Leonis Papæ paternam ad-
hortationem: (a) *Inuenimus hominem ideò ad imaginem Dei
conditum, vt imitator sui esset Auctoris; & hanc esse naturæ
nostri seminis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo Di-
uinæ Bonitatis forma resplendeat.* Estote ergo perfecti. Sa-
pientiæ Amatores, *sicut Pater vester cœlestis perfectus est:* non

per

(a) *Matth.* v. 44. *Lucæ* VI. 36. 1. *Colossi.* 25. (b) Leo P. Serm. 1. de
iunio mensis X.

per æqualitatem, cùm diuina *Perfectio* omnem creatam ininfinitum transcendat, sed per imitationem, quæ in factis, dictis, & moribus vestris resplendeat.

PORRO, sustentatur Tectum Perfectionis in Domo Sapientiæ, crassissimis veluti Trabibus & tignis, ex vario ligno, & imputribili, ebeno, buxo, cedro, & odorata cypariſſo, vitæ, & exempli veterum in Ecclesiâ Christi Sapientum, qui nos præcesserunt: horum enim æmulatione, & morum expressione, sed præcipuè Capitis omnium Christi Domini, ad perfectionem in quolibet scientiarum ac virtutum genere tendimus. Quot autem fuerunt omni seculo? quis enumeret? & quas non virtutes, ad imitandum reliquerunt? Apostoli zelum, Martyres fortitudinem, Confessores Prudentiã, Religiosi sobrietatem, Castitatem Virgines. Nominatim, feruorem Ignatius, suauitatem Cyprianus, constantiam Athanasius, religionem Ephrem, modestiam Basilius, diligentiam Nazianzenus, prudentiam Ambrosius, acrimoniam in dicendo & agendo Augustinus, laborum tolerantiam Hieronymus, facundiam Christianam Chrysostomus, misericordiam Paulinus, grauitatem Leo, Sanctitatem Gregorius, fidem Fulgentius, demissionem Vincentius, pietatem Bernardus, castitatem Thomas, magnanimitatem, Catharina post MARIAM, Virgo Sapientissima, in Domo Sapientiæ enutrita.

IAM verò non est minus longum & latum, quàm sit altum Ædificium Dominæ, & Magistræ nostræ. Est latius, quàm oculis dimetiri possimus, ob dilatatam in omnes Caritatem. Sine hac enim non consistit hæc structura in vllo, quamuis sibi videatur Sapiens, & ceterorum Doctor. Audiatur Doctor gentium; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Caritatem autem non habeam, factus sum velut æsonans & cymbalum tinniens. Et si habuero prophe-*

prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & OMNEM SCIENTIAM: *& habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, Caritatem autem non habuero, nihil sum* 1. ad Corinth. XIII. Longitudo etiam Domus Sapientiæ visus nostri facultatem excedit, & Mansuetudinis ac Tolerantiæ Longanimitatem, quæ nisi semper studiosum doctrinarum comitetur in tot laboribus & vigilijs, inter tot mundorum obtrectationes, inter tot spinas, quibus Veritas ceu rosa, circumsepitur, nunquam in vlla vel scientia, vel virtute ad perfectionis culmen perueniet.

ARTICVLVS IX.

CONCLAVE COLVMNATVM

Domus Sapientiæ.

DESCRIBENDA iam essent, vel depingenda potius, vt in omnium conspectum vẽirent, Domus Sapietiæ. atrium, aula, cubicula, conclaue, ambulacrũ, aliæq; partes amplissimi palatij. Sed vos ex vna coniecturam facite reliquarum: nam ad eius modum, elegantiam, & cultum confirmatæ sunt ceteræ. Est Conclaue, siue, vt nunc vocamus, Aula, in penetralibus intimis Domus, in quâ commoratur Regina Sapientia: habet plura interius cubicula, propè verò Ambulacrum amœnissimũ. (vulgus *Galeriam* appellat) constat totum opus Columnis septem, pulcherrimo ordine, proportione, ac symmetriâ positis & commixtis, & ipsiusmet Sapientiæ ludẽtis, manu mirabili artificio excisis ac formatis. Sunt autem ex vario lapide, nitore leuoreque cum marmore Pario haud conferendæ, quippe excellentiores. Singularum

larum hic ponam nomina, & formã aliquatenus. Prima est rotunda Timoris Domini, contra Superbiam, tum striata Pietatis contra Inuidiam. Sequuntur aliæ ordine: structilis ac inconcussa Scientiæ contra Iracundiam: solida Fortitudinis contra Acediam: politã Consilij, contra Auaritiam: fastigiata Intellectus contra Gulam: firma Sapientiæ contra Lasciuiam. Sunt autem omnes fundatæ in stylobatis Patientiæ, firmatæ in basibus Tolerantiæ, ornatæ spiris Mansuetudinis, rectificatæ scapo Constantiæ, sustentatæ plintho, vt fulcimento, Demissionis: dotatæ volutis & encarpis suaue loquentiæ, coronatæ vndosis cymathijs Amabilitatis lemniscatę vario genere fructuosæ Enditionis, cinctæ, fabrè sculptis zophyris grãtæ Conuersationis, insignitæ cælatis belle epistylijs Contemplationis.

Non desunt autem circumquaque in varijs lapidum recessibus, & marmoreis veluti scapis affabrè excisis signa, seu simulacra, quæ variorum sunt in hoc Sapientiæ gymnasio commorantium symbola. Imprimis cernuntur alicubi credentium Patris Abraham Boues, artificio sculpti stupendo, vt spirare dicere: symbolum Sapientis laborioſi, & aliorum institutioni operam nauantis. Alibi stat auritum pecus, ex lobi patientis armento: imago symbolica Idiotæ simplicis, ad Sapientiam adspirantis, longarum ab auditione aurium præsidio. Apparent alicubi Ouiculæ Iosephi effigies syluicolæ, & solitarij Sapiẽtis. Spectãtur in quodam loculamento Arietes Nabothi: Idea zelo æstuantis Sapientis pro lege Dei. In alio videndum se dat russatus Aaronis Vitulus: nota generosissimorum Sapientũ, sanguine pro fide fuso purpuratorum. Non desunt in alijs simulacrorum receptaculis iubati Leones, rigidæ sectæ signa: tenelli Agni mansuetudinis: candidæ

Colum-

Columbulæ simplicitatis: callidi Serpentes prudentiæ: Turtures gementes continentiæ: leuisomnes Canes fidelitatis: generosi caballi magnanimitatis.

ARTICULUS X.

AVLÆA

Domus Sapientiæ.

QVONIAM Columnæ in triclinijs, ambulacris, & conclauibus palatiorum, non sunt tantùm ad splẽdorem, sed etiam vsum, vt appendantur aulæa, peripetasmata, cortinæ; neque ista desunt in Domo Sapientiæ; à cuius Columnis dependent, quibus vestiuntur quoque parietes, non conchyliata tapetia, nec Campana peristromata uanas profanasque historias, vel virorum fœminarumque facies ad lasciuiam proritantes, vel Deorum Dearumque facinora dedecorosa, vel denique bellantium conflictus, & bellorum euentus repræsentantia; sed Aulæa & tabulæ ætherei coloris, viuo quodam picturæ genere, vt spirare crederes, domi, militiæque præclara decora Sapientiæ, quà sagatæ, quà togatæ exprimentes. In ijs est videre Duella, Diligentiæ & Desidiæ. Virtutis & Vitij: Honesti & Iucundi. Tum Artium ingenuarum quasi animatas formas, illarum præcipuè quæ, Reginæ Sapientiæ Gynæceum constituunt, quæ omnes suis sunt illustratæ coloribus, & gentilitijs distinctæ insignibus.

GRAMMATICA sedet in pellucidâ cyclade, & stylo aureo in tabella cedrata characteres pingit. POESIS lauro coronata, non cum Apolline vanas, ad Hipocrenem,

nem, sed cum Dauide sacras ad Sionem odas pangit. ELOQVENTIA perorantis habitu gestuque, aureis catenulis, è volubili linguâ procedentibus, circumstantium aures firmiter nectit, & ad se trahit. MVSICA dulces concentus, quos phrygio in tapete formare non potuit, digitulis ad citharam applicatis, & oculis in tabellam musicam coniectis, edit. ARITHMETICA non ad trapezitæ Euclionis abacum, sed ad Diuæ Sophiæ mensam, rationum DEO reddendarum summas, numeris auratis in calculum redigit, & tabulam suam cifris implet, non Arabicis, sed cœlestibus. ASTRONOMIA elatum in cœlum oculis, nouos in orbe stellifero lepores, vrsos, scorpios, capricornes, absque reti & plagis venatur, sphæraque, quam in manu gestat sinistrâ, nouis canibus adductam prædam includit. GEOMETRIA citcino, libellâ, decempedâ in expansis ad parietem mappis, regiones dimetitur. MEDICINA herboso in prato simplices herbarum species, naturæque opes colligens, distillatorio vasi includit. IVRISPRVDENTIA toga insignis laticlauia, tribunali insidens leges celte in silice scribit. THEOLOGI in solio aureo, ipsa auro coronata, lumina a b vno, quem iugiter contemplatur, Sapientiæ omnis Auctore nunquam auertit.

ARTICULUS XI.

AMBVLACRVM

Domus Sapientiæ.

NON pauciores superius numeratis in Conclauis Dominæ Sapientiæ, sunt Columnæ in Domus

vestibulo, porticu, propylæo, peristylio, xysto, ambulacris: nam omnia ista loca columnis vndique inclusa, & quædam etiam fulta, ac septa quaquauersus speciem habent elegantissimam, & ambulationi, sessioni, stationique, per circulos commoditatem præbent. Præcipuæ autem sunt septem. *Sapientia ædificauit Domum excidit Columnas septem.* Quænam sunt illæ? Attende Virtutum ordinem in Domo Virtutum. Quæ sunt Virtutes omnium præcipuæ? Theologicæ sunt tres, *Fides, Spes, Caritas*, post quas sunt Cardinales, quæ Sapientiæ studiosos cumprimis decent: ac fulciunt alias, & omnem honestæ vitæ rationem continent, sustinentque: *Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo.* Quibus insculptum legitur quæ credere, quæ sperare, quæ amare oporteat: & quomodo Scientiæ deditus ac Pietati, prouidè, iustè, temperatè ac fortiter in omni vita degere possit, & placere Diuinæ Sapientiæ. Hæ Columnæ sunt erectæ in vestibulo.

In Porticu interiori Septem aliæ, quæ sunt Septem Dona Spiritus-Sancti, quæ in Christo Sapientia incarnata fuisse Propheta Isaias cap. xi. testatur: nimirum, Donum *Sapientiæ, Intellectus, Consilij, Scientiæ, Fortitudinis, Pietatis, Timoris Domini.* In vno Propylæo, quod Reginæ Conclaue cingit, visuntur, tanquam Columnæ eminentes Septem Opera Misericordiæ corporalia, in quibus legitur capitalibus impressum characteribus, quomodo corporalis proximi miseria subleuanda sit: pascendo esurientes, potum dando sitientibus, operiendo nudos, redimendo captiuos, inuisendo ægrotos, hospitio suscipiendo peregrinos, sepeliendo mortuos. In alio Propylæo, quod ambit Triclinium aliunde aduentantium, totidem sunt Columnæ, ex Septem Operibus Misericordiæ Spiritualibus confectæ, in quibus vncialibus litteris expressum habetur, quo pacto in Spiritualibus miseriis proxi-

proximo succurrere oporteat: corrigendo peccatores; docendo ignorantes, rectè consulendo dubitantibus; orando DEVM pro salute proximi, mœstos consolando; ferédo patiéter iniurias, denique, offensam remittédo.

IN Ambulacro Orientali sunt septem Columnæ æquè ac superiores solidæ, & sublimes, quarum singulis insculptum est nomen SAPIENTIA, at, vt distinguantur aliquatenus, sub diuersa denominatione: nimirum, Sapientia pudica, Sapientia pacifica, Sapientia modesta, Sapientia suadibilis, Sapientia bonis conueniens, Sapientia plena misericordia & fructibus bonis, Sapientia iudicans sine simulatione. His epithetis distinguit Sapientiam, quæ desursum est Iacobus Apostolus in sua Epistola Canonica. (a) Ex ijsdem construit & erigit septem Columnas diuersâ à dictis appellatione, S. Bonauentura. (b) Harum *Prima* est, Pudicitia in carne. *Secunda*, Simplicitas in mente. *Tertia*, Modestia in Sermone. *Quarta*, suadibilis in adfectu. *Quinta*, Liberalitas in effectu. *Sexta*, Maturitas in iudicio. *Septima* Sanctitas in intentione. Sed reipse à Columnis Ambulacri Orientalis non sunt diuersæ. In Occidentali autem, sunt septem aliæ, proprijs nominibus, & inscriptionibus noscibiles. Tribus prioribus nomina sunt, *Paupertas voluntaria*, *Castitas perpetua*, *Obedientia integra*, quæ propter DEVM homini religiosè exhibetur. Dicûtur Euangelica Consilia, quoniam per Euangelium, non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti suscipientibus, magis expedita & vtilia à Christo non præcipiente quidem, sed consulente, tum fidelibus omnibus communiter, tum Sapientiæ studiosis peculiariter proponuntur. Quatuor posterioribus inscripta sunt partitim quatuor hominis Nouissima, *Mors*, *Iudicium*, *Infernus*, *Cœlestis Gloria*. Quibus sub-

(a) Epist. S. Iacob. c. III. 2. (b) S. Bonau. Tract. de VII. Spirit. S. Donis.

iungitur pro Deuoto Sapientiæ monitiuncula. *In omnibus operibus tuis memorare Nouissima tua, & in æternum non peccabis*, Ecclesiastici VII. 40.

ARTICVLVS XII.

ARA

Domus Sapientiæ.

SPECTATVR in Domus penetrali, tanquam in Sancto-Sanctorum Templi, Ara, siue Altare, sine qua nullum deberet esse Adolescentis studiosi museum, nullum Doctoris sacrarium, studijs dicatum. Ara autem Sapientiæ, non est carnalibus vitulorum & boum, quibus non est amplius DEO cura, sed spiritualibus operationum sanctarum sacrificijs destinata. Quæ assidue pergitur quotidie odoriferis aquis innocentiæ, castitatis, deuotionis, & pœnitentiæ, aut amoris lacrymis. Ad eam offeruntur mane, meridie, vesperi vituli labiorum. Cor contritum, & humiliatum: oblatio munda, Deo grata, Sacrificium placabile, Sacrificium recordationis. Sacrificium iustitiæ: hostia & holocaustum obedientiæ æternæ in hoc penetrali, dispositis per orbem columnis insistunt Reges aliquot Gentis Iudaicæ, præ reliquis Sapientia & rebus gestis clarissimi. Inter quos eminet pulsans decachordum Iessæus Dauid: diceres simul sacrum viuere: huic proximus iudicijs vacans pacificus Rex Salomon: putares in tribunali spirantem ius dicere. sequuntur alij. In opposita parte, sunt tres illi in lege naturæ celebrati senes, Adam, Enoch, Noë: & post eum taclysmum, non minus suâ ætate celebres, Abraham,

Isaac,

Isaac, Iacob. Latera ornant in similibus consistentes columellis, Prophetæ, Maiores, Minoresque: post hos, Apostoli & Doctores Ecclesiæ.

ARTICULUS XIII.

PORTA

Domus Sapientiæ.

&

CLAVIS.

PORTA Ædificij hactenus depicti, quod constat virtutibus Christianis, Studioso Sapientiæ maximè necessarijs, & in eius Anima, ad formam Domus, compositis, ex eadem est materiâ, è quâ Fundamẽtum, vt agnoscas æratâ quâlibet esse solidiorem. Est enim FIDES. Salutis & veræ Sapientiæ ianua: est Fides, sine qua frustra ad huius Palatij penetrale aspiras. Contra hanc Portam portæ inferi non prævalebunt. CLAVIS, quâ aperitur, & & fit aditus in Domum, est ORATIO. Quare nunquam Adolescenti ad litterarum studia, nunquam viro litterato ad Sapientiæ negotia, nunquam Doctori, ad lucubrationis & cathedræ officia accedendum esset, nisi Oratione præmissâ, tanquam aureâ claue, clausiro admota, & seræ inserta. Ita fecerunt eximij Sapientiæ Studiosi. Inter quos, Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, qui idcircò & in Philosophia, & Theologia adeò excelluit, vt non minus acutissimis viris', qui illum sunt sequuti, adæquandi spem, quam subtilissimis Philosophis, qui præcesserunt, ostentandi gloriam præciderit, quoniam nunquam ad Sapientiæ Ædem, nisi Orationis Claue

apertam ingrediebatur: nũquam ille prius libros quàm DEVM Sapientiæ omnis Datorem, prece fusâ, commutebat. Cuius etiam oratiuncula quæ circumfertur studijs præmittenda, nullam reperio ad hanc rem accommodatiorem, ideoq; illam adolescentibus ad scientiarum & Sapientiæ decus adspirantibus, vt quotidiè eam pię recitent etiam atque etiam commendo. Hac viâ Bernardus Clareuallensis, in medijs siluarum obscuritatibus, inter feras, plus quàm alij in ædium recessibus, inter librorum aceruos, in scientijs profecit. Sic etiam Bernardinus Senensis profundam rerum humanarum, diuinarumque notitiam assequutus est. Sic denique, ne in infinitum excurram, B. Hermannus adolescentulus coætaneis in omni litterariâ exercitatione palmam præripiebat.

VERVM, ita est Orationi instandum, vt propterea à laborandi & studendi assiduitate non cesses. Falluntur, qui existimant, Adolescenti studijs destinato, & pietati dedito, esse licere ocioso: posse quempiam solis votis Ædificium Sapientiæ extruere: sat esse, Sapientiæ opem poscere ad ædificandum, interim manum non admouere. Non est quidem opis nostræ, absque principis Architecti adiutorio, virtutum lapides ad hanc fabricam coniungere, parietes erigere, tectum imponere; sed nostram tamen ille etiam operam requirit. Vult, vt à nobis adhibeantur mallei, assiduò repetiti laboris, secures infractæ industrię, runcinæ speculationis attentæ dolabra meditationis, terebra indagationis, scalpra accuratæ, & frequentis scriptionis, torni disputationum, dentatæ serræ repetitionum: Hæc enim sunt architectonica & fabrilia instrumenta ad Domum Sapientiæ extruendam necessaria. Sed de labore litterarum Studiosis necessario fusius aliàs differendum est: nunc hoc tantùm

tùm

tùm adiungo, quod habet pius & eloquens Orator, (a)
» Dei constitutionem videri, ac rerum omnium cō-
» sensum, conspirationemque eò ducere, vt homo sibi
» persuadeat, frustra se absque labore præclari aliquid
» sperare. Intendite mentis vestræ aciem in omnia, quę
» huius fabricæ complexu coërcentur, & singula, quæ
» tantæ molitionis Fabricator Deus, nutu potius, quàm
» opera, numine potius, quàm labore conglutinauit a-
» nimo vestro comprehendite, videbitis quandam ef-
» figiem ac formam, tanquam penicillo depictam, ad
» quam, vt ad exemplar, præses Deus, studia & actiones
» omnes, quibus eximium quid assequi volumus, effin-
» gi voluit. Nam dum cœlum motione quadam conci-
» tatissimè, sine omni requie, contortum laboreque
» sempiterno agitatum: dum terram nihil fundentem,
» nisi immensus hominis bouisque labor accesserit: dū
» hominem, quem natura ingenij acumine illustrauit,
» & mentis diuino munere cumulauit, non solùm in
» grauioribus hebescentem, sed in leuioribus nonnun-
» quam cæcutientem, nisi vi splendoreque ingenij
» sui doctrina exornando, eloquentia poliendo, huma-
» nitate quasi informando, rerum humanarum, diui-
» narum que cognitione illustrando, omnis laboris in-
» dustriæque neruos intendāt: dum nihil in quamcum-
» que partem mentis vestræ vim intelligentæque mo-
» tionem infixeritis, vel feliciter ad humani generis v-
» tilitatem inuentum, vel suauiter: ad voluptatem ad-
» scitum, vel cumulatè ad decus perfectum videtis,
» quod non labor in penitissimis naturæ recessibus
» prius reconditum in lucem eruerit: nonne conclude-
» re necesse est,

(a) *Robertus Turnerus Oratione* VI. *Dij omnia laboribus ven-*

» DEVM in omnibus rebus id egisse, vt nobis insculpe-
» peret: velle aliquid laudabiliter perficere, aut etiam
» sapienter excogitare, sine labore, diligentia, industria-
» que, id esse naturæ leges omnes euertere. Quocirca
» quilibet sibi persuadeat, nullũ ad exstruendam Sapi-
» pientiæ Domum, quo nihil præclarius in humanis ef-
» fingi potest, desidem, laborisque assidui impatientem
» accedere debere, & multo minus ingredi exstructam
» ignauum pecus procul ab hâc regiâ arcendum, socor-
» des expellendos, fucos in perpetuum exilium depor-
» tandos.

LVSTRAVIMVS hactenus Palatium Principis, Domum Sapientiæ, Gymnasium Veritatis, Scholam Scientiarum, Regiam Augustæ, Ædificium Omnipotentiæ, elegans sanè ac sumptuosum, & dignum Reginarum Reginæ. Iam familiæ totius ordinem, palatinorum multitudinem, assectarum cohortes, famulantium greges producere constitueram. Sed animaduerto, hanc partem, quæ altera fuisset sermonis huius satis longi, tantundem sibi temporis poscere, quantum superiori est datum, quod nunc non est opportunum. Quare, illa in aliud tempus tralatâ, ad vota conuertamur & preces. (a) DEVS *Patrum nostrorum, & Domine* »*misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & Sapientia* »*tuâ constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ* »*à Te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate, &* »*iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet, da nobis Se-* »*dium tuarum Assistricem* SAPIENTIAM, *& noli nos re-* »*probare à pueris tuis.*

O SAPIENTIA Scientiarum Domina

Vna

(a) Sapientiæ IX, 1. 2. 3. 4.

Vna graues iuuenum ſemper ſolata labores
Ætherea Regina plagæ, Optima Maxima Virgo,
Quam Primam columus, laudes & munera quamuis
Mortalis longè ſuperantem vertice vocis,
Has etiam dignare preces, & lumine dextro
Reſpice.

O Regina his TIBI *Deuotis perge eſſe propitia! O Scaturigo benignitatis ſupra hos tuos clientulos donorum flumina liberaliter effunde.*

ARCHITECTVRÆ CHRISTIANÆ PARS II.

PROOEMIVM

ARCHITECTVS, vt non tantùm ostendat ociosis spectatoribus Ædificium aliquod regium, verùm etiam doceat auidos suæ disciplinæ, quomodo extructum sit, & simile possit construi, Primò, totam fabricam oculis & menti obijcit: eius materiam, partes, symmetrias & proportiones nominat vniuersim, ac sine his perfectam non esse molem edicit. Deinde, singula exponit. Et postquam disseruit, de materia, lapide, ligno, calce, arenâ. Ædificij totius membra sigillatim, ac membrorum habitudines, angulorum, linearumque consensum explanat. Tum, vbi, qua, quomodo iacienda fundamenta: qua ratione substructiones stabiliendæ, quo pacto parietes erigendi, columnationes statuendæ: quot contignationes, quæ in singulis, aulæ, conclauia, cubicula paranda edocet: Præterea, quâ formâ & modo tectum sit imponendum præscribit. In quâ parte, & cuius figuræ fenestræ apertionesque aliæ, maximè verò princeps porta vbi-nam sit locanda accuratè demonstrat. Hæc enim omnia ad Architectonicæ Magistrum spectant, sicut etiam, arbitrari, deformare, præscribere, imperare. HAVD aliter mihi faciendum arbitrabar, qui initio harum

tum commentationum dixi, me habiturum vos Auditores & Discipulos Architecturæ Christianæ, quos non conuenit esse solùm spectatores ociosos Domus Sapientiæ, sed multo magis factores & Ædificatores. Itaq; Ædificium spirituale Virtutum, Meritorumque, cuius vos omnes esse fabros, officinatores, tandemq; Architectos desidero, vniuersim in superioribus proposui: deinde de materia, quæ sunt virtutes Christianæ, satis multa disserui: post hæc, dispositionem, magnificentiam, elegantiam, & quæ ad illa sunt necessaria, generali quadam ratione explicaui. Nunc incipiam particulatim singula Ædificij membra pertractare. Et à Fundamento quidem, quæ prima pars est Domus, ducetur principium.

OPVSCVLVM IV.

FVNDAMENTA *Domus Sapientiæ* seu *Ædificij Spiritualis*

SERMO I.

FIDES EST FVNDAMENTVM.

Domus Domini firmiter ædificata, benè fundata est supra firmam petram

AN & Quomodo Fides, secundum regulas Architectonicæ, dici possit Fundamentum Ædificij Spiri-

ARTI-

ARTICULUS I.

Pro Fide, quà Fundamento, post exemplum, doctrinamq; Christi, stat consensus Doctorum Ecclesiæ.

CHRISTVS Dominus toto vitæ mortalis tempore, & Architectum ipsemet agens Domus Sapientiæ, & Discipulos suos instruens, vt & ipsi essent boni Ædificatores Ædificij spiritualis, postquam faciendo ac docendo, opere & sermone, vniuersèque differendo, multa dixisset de Ædificatione Regni cœlorum, Ecclesiæ, & Domus virtutum, in cuiuslibet anima; diuersis sermonibus egit, diuersis quoque operibus ostendit, ac præscripsit, singularum partium materiam, dimensionem, proportionemque ad ceteras; nunc hanc, nunc illi commendans virtutem, siue tanquam ad fundamentum, siue ad parietes, siue ad tectum pertinentem. In sermone autem illo (*a*) longissimo, ideoque absolutissimo, quem habuit ad Discipulos, post vltimam cum ijs cœnam, de omnibus egit, differens de Fide, Spe, Caritate: prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, ad quas ceteræ reuocantur; sed præcipuè commendauit, & inculcauit ijs Fidem; vt crederent firmiter, quod ipse sit Filius DEI, Redemptor, Saluator: suam mortem pro mortalibus sponte obeundam, tum Resurrectionem, profectionem ad Patrem, & alios fidei articulos, ad quos stabiliendos toties ijs apparuit.

AD Fidem spectant ista: *Vado ad eum, qui me misit*: id est, ascendo ad Patrem: & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? nimirum, vt in fide huius arriculi instruatur. Itē, illa: *Ego veritatē dico vobis*: Ego Magister sum fidei: veritate meâ infallibili nititur fides; in qua quia rudes adhuc

(*a*) Ioan. XIII. IV. Ioan. XV. XVI.

adhuc estis, *expedit vobis vt ego vadam*. Si enim veniet ad vos Paracletus, Doctor fidei Spiritus-Sanctus, *qui docebit vos omnem veritatẽ*, fide illustrans mentem & intelligentias vestras. Atque ita mentem cœlestis Magistri interpretati sunt fideles eius Discipuli Doctores Ecclesiæ, qui de Fide disserunt, vt de Fundamento totius Ædificij Spiritualis, quod ex virtutibus, tanquam lapidibus exsurgit. Imprimis, S. Augustinus inter Architectos Morales peritus in paucis, sermone XXII. de verbis Apostoli, DOMVS DEI, inquit, *credendo*, (quod non fit, nisi Fide) *fundatur : sperando erigitur : diligendo perficitur*. Eius igitur sensu, Domus huius fundamentum est Fides. Quocirca idem libro XXII. de Ciuitate DEI, cap. 6. docet illius etiam Ciuitatis fundamentum esse Fidem. Magistum sequutus Beda, libello, quem scripsit de substantijs, asserit, Fidem esse Fundamentum omnium virtutum, & primam in corde. Quod intellige de virtutibus Christianis, & supernaturalibus, quæ pertinent ad Ædificationem Domus Spiritualis, & cœlestis, non Philosophicarum tantùm ac naturalium, quæ terrenam, non cœlestem habitationem constituunt. Idem passim alij Patres pronuntiant. Clarissimè S. Ambrosius in psalm. XI. FIDES *virtutum omnium stabile Fundamentum est*. Et S. Chrysostomus Oratione, quam habuit dẽ Fide, Spe, & Caritate. *Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium*, Religionis Fundamentum. *Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit : nullus absque illa fastigium sublimitatis ascendit*.

FIDEM dum audis celebrari, vt Fundamentum, intellige Fidem veram, orthodoxam, Catholicam, quæ vt docet vos Catechismus, est Donum DEI, ac lumen,

ac lumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ DEVS reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint. Ea breuissimè vocari potest, *Fides Christi*: hanc enim Fundamentum esse, & non aliam, docet. Paulus Apostolus in priori ad Corinthios, III. vbi sic planè architectonicè differit Sapiens Architectus: DEI *Ædificatio estis: Secundum gratiam* DEI, *quæ data est mihi, vt Sapiens Architectus* Fundamentum *posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet.* FVNDAMENTVM *enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est* CHRISTVS IESVS. Pleriq; Græci Codices habēt, *Qui est* Christus: editio Romana, *Quod est* Christus, vt referat fundamentum. Dum autem dicit Christum esse Fundamentum, intelligit, vt exponunt D. Chrysostomus, Theophylactus, & alij, FIDEM CHRISTI, seu in Christum IESVM Saluatorem, secundam doctrinam Euangelicam.

ARTICVLVS II.

FIDES

Quia Hypostasis, & Substantia rerum sperandarum, est Fundamentum Ædificij Spiritualis.

FIDEM Fundamenti titulo exornasse Gentium Doctorem Paulum in celebri sua Fidei definitione, Hebræorum XI. haud ambigo. *Est Fides*, inquit, *sperandarum Substantia rerum.* Non me latet, distrahi Interpretes, dum coniecturis agunt, quidnam significauerit Apostolus, nomine *Substantiæ*, Græcè, ὑπόστασις. Nam quidam accipi putant *Substantiam* pro possessionibus & opibus. Quomodo legitimam suam designans, dicebat

filius

filius prodigus, Lucæ xv *Da mihi partem substantiæ, quæ me contingit.* Et pater *diuisit* filijs duobus *substantiam.* Sed ibi, vt Maldonatus obseruat, est οὐσίας, cuius vis eadem est, quæ ὑπάρξεως, ad significandũ facultates tales quas etiã τὰ ὄντα, & τὰ ὑπάρχοντα nominant. Sic Actuũ II. *Possessiones & substantias vendebant* fideles, *& diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Et sanè nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores nulla, mũdi huius maior est substantia, quàm* FIDES CATHOLICA, *quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat: catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat.* Vt verè, pieq; perorat August. (*a*) Interpretationẽ tamen illam non esse genuinam, licet magnæ sint diuitiæ fidei, quidam asserunt: (*b*) quod nomen hypostasis non soleat accipi, vt Latinum Substantia: nihilominus bonus auctor Iacobus Valentia in Psal. xxxvii. vers. 8. *Substantia mea apud te est*, hypostasim accipi etiam pro facultatibus adfirmat: quod non improbat in Græcis Latinisque doctissimus Ioannes Lorinus. Alij vsurpari existimant in descriptione illa fidei, Substantiam, pro *Essentiâ*, vt significentur per Fidem res, quæ sperantur, & in se non subsistunt, iam esse; & subsistere: nimirum, in corde illius, qui credit, ac certas illas habet, non secus ac si re ipsa subsisterent, & in rerum natura essent. Quæ communis est Græcorum expositio: qui ὑπόστασιν, pro subsistentiâ positam volunt. Siquidem, quæ sunt in expectatione, quia nondum adsunt, neque apud nos existunt, videntur expertia subsistentiæ, quam illis fides quodammodo largitur: nam efficit, vt aliqua ratione existant, & sint præsentia, eo ipso quod credantur veræ, nec dubitari possit, fore aliquando præsentia. Nonnulli tamen ita interpretantur, *Est Substantia*, id est, inchoatio quædam speran-

(*a*) S. Aug. Ser. 1. de Ver. Apost. (*b*) Ioan. Malder. 22. q. 4. ar. 1.

sperandarum omnium. Quod S. Thomas (a) insinuat. Multi (b) exponunt *substantiam*, ad eum modum, quo Philosophi in Logica agentes de prædicamento substantiæ: nempe, quod substat accidentibus. Vt velit Apostolus, à Fide ita dependere res sperandas, sicut à substantiâ.

VERVM leniissima, maximèq; ad Pauli Apostoli sensum videtur eorũ explanatio, qui substantiæ nomine intelligunt fulcimentum, basim, Fundamentum. Quemadmodum enim parietes constitui non possunt, nisi ædificentur fundamento, à quo fulciantur, & sustententur; ita in aliâ vitâ, nihil prorsus sperandũ expectandum que relinquitur, nisi Fides omnẽ nostram spẽ, vt Fundamentum parietes, firmam reddat, atque stabiliat. Quare rectè D. Anselmus in epistolam ad Hebræos: Propriè dicitur Fides esse substantia sperandarum rerum, quoniam ijs substat. quid hoc est aliud, quàm, velut fundamentũ ijs substerni? Ita videtur sumere idem nomen Apostolus ad Hebr. III. 4. *Participes Christi effecti sumus; si tamen initium* substantiæ *eius, vsq; ad finem firmum retinemus.* Certè, pro *Substantia* Græcè est ὑπόστασεως. Nec aliter accipiendum, quod est psalmo XXXVIII. *Substantia mea apud Te est.* Vbi LXX. habent ὑπόστασις, & volunt indicari; DEVM esse Fundamentum, ac firmamentum nostrum; vt est psalmo XXVII. 3. *Dominus firmamentum meum & refugium meum.* Eodem modo, Psal. LXVIII. 3. *Infixus sum in limo profundi, & non est* Substantia, ὑπόστασις: hoc est, solidum Fundamentum, cui niti possim ac inhærere: denique, Psal. LXXXVIII. 48. *Memorare quæ mea substantia.* Hac ratione, Fidem dici substantiam D. Bernardus planè sentit, dum Sermone X. in psalmum, *Qui habitat*, ait, non magis possibile esse super inane pingere (hoc est) sine funda-

(a) 2. 2. quæst. 4. art. 1. (b) Valentia 21. dup. 1. q. 4. puncto 1.

fundamento, quàm non credita sperare. Fides igitur Fundamentum est Spei, & omnium virtutum subsequentium. Idem disputans contra Abailardum Hæreticum Epistola CXC. *Non licet*, inquit, *tibi in fide putare* (videlicet, arbitrari, ac opinari pro libitu) *non hac illacq; vagari per inania opinionum, per deuia errorum.* Substantiæ nomine *aliquid tibi certum fixumq; præfigitur: certis clauderis finibus, certis liminibus coarctaris.* Et S Chrysostomus in illud secundæ ad Corinthios quarto, *Habentes eundem Spiritum fidei*, Sicut, ait, *planta absq; radice fructū non profert, ita absque* FIDEI FVNDAMENTO, *non prouenit sermo doctrinæ. Quemadmodum etiam membra tremula & languida, baculo deducente non permittuntur labi: sic animam nostram incertis ratiocinationibus circumactam*, FIDES *quouis baculo tutius* SVSTINENS, *& sustentans, suaq; vi reficiens summoperè firmat, nec sinit subuerti infirmas cogitationes suæ virtutis præstantia corrigens.*

AB hac FIDEI, quæ FVNDAMENTVM est DOMVS DEI, firmitate, ac CONSTANTIA, laudem habet, post ROMAM, inter omnes, non Imperij modò, sed pene Orbis vniuersi Vrbes COLONIA AGRIPPINA, de quâ illud meritò cantatur:

Postquam FIDEM *suscepisti*
Ciuitas prænobilis,
Recidiua non fuisti
Sed in FIDE *stabilis.*

Vnde est ista perigraphe Sigilli ciuici metropoleos

Sancta Colonia Romanæ Ecclesiæ
Fidelis filia.

De qua aliàs actum est à nobis, ageturque suo tempore copiosius, nunc hoc tantum subtexo, Maiores nostros,

viros laudatissimos posteris imposuisse necessitatem nunquam deserēdi virtutem illam, quæ auis ab auisque laudem peperit apud omnes gentes, ad quas CONSTANTIA in asserenda Fide Catholica Colonienſium peruenit, sempiternam.

SERMO II.

FIDES

Cum Fundamento variè comparatur:

QVIA

Fidei cum Fundamento domus est Conuenientia multiplex.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus IESVS. 1. Corint. III. II. id est, Fides in Christum IESVM.

ARTICULUS I.

PRIMA CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, esse Primum & Initium.

QVOD in arbore est radix, in columna basis, in naui carina; quorum idcircò prima debet esse cura, in plantando, statuendo, fabricando, id in domo est Fundamentum: quo benè ac feliciter iacto, cantare potest Architectus,

Dimi-

Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.

Quamobrem, cùm nobis, tanquam fabricatoribus, sit demandatum munus extruendæ DOMVS SAPIENTIÆ, quam demonstrauimus esse ex virtutibus omnibus Christianis Basilicam, siue Habitationem regiam DIVINITATI incolendæ; ritè atque ordine à Fundamento incepimus, secundum Architecturæ regulam. Fundamentum autem Domus Sapientiæ probauimus proximè esse Fidem, veram, supernaturalem, Christianam. Sed cùm in omnium ore versetur, Fidem Virtutum esse Fundamentum, non omnibus tamen æque nota est illius denominationis ratio. Quæ aliunde quàm ex Architectura peti nõ potest: cuius ductum dum sequimur,

PRIMA occurrit inter Fidem & Fundamentum conuenientia, quod quemadmodum Fundamentum, est domus pars prima, & initium, ita Virtutum fabrica initialem partem habeat Fidem. *Fides*, inquit S. Augustinus, *humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquã iustificationis gratiam consequitur, neque in futuro vitã possidebit æternam.* Ita loquitur Sermone XXXVIII. de tempore. Et lib. 1. de Agone Christiano cap. 13. *Fides est prima, quæ subiugat animam* DEO: *deinde, præcepta dat viuendi, quibus custoditis, Spes nostra firmatur.* Nec minus clarè D. Ambrosius, qui idcirco *Fidem* vocat radicem virtutum, qua caruisse Cain improbum asserit, lib. 2. de *Cain & Abel.* cap. 9. *Quid miraris*, inquit, *si pietatem non coluit, qui non agnouit Auctorem? Et ideò doceris hac serie Scripturarum, Fidem esse radicem virtutum omnium. Vnde & Apostolus ait: Quia Fundamentum nostrum Christus est.* Ob hanc caussam, Fidem actionis iustæ genitricem appellat Prosper lib. 1. de Vocatione Gentium, *Fides* ait, *bonæ voluntatis, & iustæ actionis est genitrix.* FIDEM quoque Paulus Apostolus, primo loco

ponit inter virtutes Theologicas, vt reliquarum Fundamentum 1. ad Corinthios. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Caritas.* Denique, ad Hebræos tertio Fidem nuncupat *initiū Substantiæ*, ἀρχὴν ὑποστάσεως. Siquidē Fides est initium substantiæ nostræ, siue subsistentiæ Spiritualis, id est, nostræ iustificationis, quia fuimus diuinæ participes facti naturæ, & inserti Christo: vt D. Chrysostom. Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. exponunt. Neque malè notat Maldonatus, (a) Fundamentum fidei vocari ab Apostolo ἀρχὴν *initium*, quia cuiusque rei fundamentum, in ea primum est, estque rei initium. Item appellari ὑπόστασιν, id est, substantiam vel subsistentiam, qualis est totius domus fundamentum, quod substat omnibus, & in quo subsistunt omnia. Qui commentantur in Symbolum Fidei, inter quos Ruffinus, monent, primum eius verbum esse CREDO, quo exprimitur actus Fidei, tanquam initium cunctorum, quæ requiruntur ad salutem, & virtutum exercitationem. Hoc loco, inquit ille, fons & origo omnium bonorum ponitur, dum dicitur: Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit: (a) *Sine fide impossibile est placere* DEO. Quare primum omnium accedentem ad Dominum, oportet credere, quia est, & quod credentibus in se remunerator sit. Sed & Propheta (b) dicit: *Nisi credideritis; non intelligetis.*

ARTI-

(a) *Ioa. Maldon. in Notis MS. in epist. ad Hebr.* (b) Ad Hebræ. xi. 6. c) Isa. vii. 9.

ARTICVLVS II.

SECVN. CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, quod sint prima, inchoatione, non dignitate.

FIDEM docent Theologi (*a*) esse Primam Virtutem inter Christianas, non quidem ordine dignitatis, vt contendunt hæretici; sed vt Fundamentum domus, quod dignitate reliquas ædificij partes non superat: est tamen prima inchoatione: prima secundum exequutionem, non secundum intentionem. Et sanè constat, Doctore Paulo, Caritatem maiorem prioremque esse Fide, si dignitatem spectes. *Nunc*, inquit, *manent*, Fides, Spes, Caritas: *maior autem horum est Caritas*, 1. ad Corinth. Loqui autem Apostolum, de dignitatis præstantia, & maioritate excellentiæ, liquet ex capitis duodecimi extremis: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* quamnam illam? *Supereminentem Scientiæ Caritatem*, ad Ephesios III. ac proinde statim capite XIII. ad Corinth. longum texit sermonem; in quo declarat, Caritatis necessitatem, efficaciam, perpetuitatem, ac præcellentiam supra Fidem, & Spem reliquaque DEI dona. Ad Colossenses autem cap 3. hortatur: *Super omnia autem Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

FIDES igitur est Prima Virtutum, vt Fundamentum in ædificio, origine, & vt loquimur in Scholis nostris, viâ generationis, quâ Fundamentum præcedit parietes, contignationes, tectum. Siquidem Fides ostendit finem supernaturalem vltimum, ad quem ceteræ virtutes Christianæ disponunt: hac autem Fidei notitia excita-

(*a*) S. Thomas 22. q. 4. art. 7. Valentia dup. 3. Bannez q. 4. art. 7.

tur & propellitur homo ad reliquarum virtutum officia. Et quidem, vt nihil in naturalibus est volitum, nisi præcognitum, ita in supernaturalibus, nec speratur quicquam, nec amatur, nisi Fide prius creditum. Quocirca necesse est, aliquam Fidei functionem circa DEVM tempore, vel natura præcedere, vt aliarum virtutum officia ad vltimum finem disponant per meritum, id est, vt Ædificium Spirituale perficiant.

Vtitur ad idem probandum alio argumento S. Thomas, quo etiam confirmatur, Fidem esse Fundamentum respectu Caritatis, cui præsupponitur. Sic autem ratiocinatur. Fides prima est inter virtutes Theologicas: hæ autem sunt reliquis omnibus virtutibus priores. Itaque Fides absolutè est prior omnibus. Antecedens inde deducitur: quia cognitio vltimi finis, quæ pertinet ad Fidem, prior est actibus voluntatis, atque ideò Spei & Caritatis circa eundem vltimum finem. Quod autem virtutes Theologicæ præcedant omnes alias, est satis euidens, quoniam occupantur circa vltimum finem, qui in agibilibus ceterorum omnium est principium.

ARTICULUS III.

TERTIA CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit Primum, in genere caussæ materialis.

EX eo, quod Fides sit *Prima Virtutum*, veluti Fundamentum domus, efficiunt Theologi, quod sit prima in genere materialis caussæ. Et sanè Fides habet se, tanquam materia: quæ formarum est basis, quibus substernitur. Quare, vt se habet corpus respectu formæ ac compo-

compositi, ita Fides causſalitatem ſuam exercet, tum reſpectu aliarum virtutum ſigillatim acceptarum, quibus ſubſternitur, tum reſpectu totius Ædificij Spiritualis. Atque inde etiam accommodatè dicitur ὑπόστασις, Subſtantia, & ſubſiſtentia, nimirum, cauſſaliter, quæ æquè Fundamento ac materiæ conueniunt.

Cvm igitur Fides inter virtutes ſit omnium prima, non quia præſtantiſſima, quod conuenit Caritati, ſed quia fundamentum ac baſis, vt materia inter cauſſas, ac pes in corpore, carina in naui, optimum eſt conſilium, ante omnia officia, quibus per diem vacandum; ſiue domi, ſiue foris; ſiue in curia ſiue in tribunali; ſiue in foro, ſiue in templo, ſiue in gymnaſio, proteſtationem fidei emittere, & à voculâ Credo, cum ſuis appendicibus diem auſpicari. Nam Domus Sapientiæ, diligendo quidem perficitur, & ſperando erigitur, ſed credendo fundatur. Et, ſi in nobis ædificare volumus, tanquam Sapientes Architecti, Ædificium Spirituale Virtutum, ponamus Fundamentum Fidei, firmum, ſtabile, inconcuſſum, immobile; Fidei Chriſtianæ, orthodoxæ, Catholicæ, Fidei vniuerſalis, Romanæ, Apoſtolicæ; Fidei Pontificiæ, Papiſticæ, à quo nomine non abhorremus, cùm ſit Fidei ſaluificæ. Credamus firmiter, cõſtanter, immobiliter omnia, quæ Devs reuelauit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit, ſiue ſcripta illa ſint, ſiue non ſint. Sed imprimis credamus, quia Devs eſt, & quia remunerator bonorum malorumque eſt, vbique bonus, vbique miſericors, nec minus vbique iuſtus in ſeculorum ſecula.

ARTICULUS IV.

QVART. CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit Pars ædificij maximè firma.

DE Fundamento hoc adeò certum est apud omnes, vt ponere, iacere, agere, constituere fundamentum, idem sit, quod firmare rem aliquam ac stabilire; fundatam esse, idem, quod stabilitam. Eleganter Quinctilianus, *Fundatam patèrnis auitisq; opibus domum exhaurit.* Hinc supra Fundamentum, tanquam rem firmissimam stabiliri dicimur. Id ipsum autem Fidei præcipuè inter omnes virtutes adscribitur. Eius proprium decus est firmitas, constantia, stabilitas. Tantæ firmitatis est FIDES CHRISTIANA, quam Fundamentum esse Ædificij Spiritualis probauimus, vt suis nixa viribus ne quidem ex infantium, puerorum, puellarumque, & imbecillium animis vllo tormentorum, quamuis immanissimorum genere effundari potuerit. Præclarè Clemens Alexandrinus, libro 2. Strom. *Qui ex* Fide *conuiuari instituerit, is ad diuinorum verborum susceptionem firmus est, ac stabilis: vt qui iudicium, quod bona nititur ratione, nempe,* Fidem *habeat.*

Certus sum, clamat Apostolus, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura poterit nos separare à Caritate* DEI, *quæ est in Christo* IESV *Domino nostro,* ad Roma. VIII. Vnde tanta certitudine firmus, nisi ex Fidei firmitate, inquit S. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Galat. Hinc tam illustria in prioribus seculis, paruulorum etiam, & adolescen-

lescentium martyria: nimirum, hærebat in ijs tenacissimè Spiritualis ædificij Fundamentum Fides. Innumera huius rei exempla proferri possent ex historia Ecclesiastica, quæ talibus scatet.

ARIVS Antoninus, quùm persequeretur instanter in Asia fideles, omnes vnius Ciuitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt, vt refert antiquissimus auctor Tertullianus. (a) Diocletiani tempore, quum natalis dies Christi festiua adesset, viginti millia Christianorum, in templo à Tyranno concluſi, igne conflagrare maluerunt, quàm tantillum, Christianæ Fidei stabilitate deflectere: quod scribit Nicephorus. MISSIS vulgaribus alijs, exemplum hic subtexo illustre & admirandum de ciuis Colonienſis filio IO ANNE, cognomen latet. Id merito aureis exaratum litteris, vtraque lingua in tabella appendi deberet in templis, vt haberetur honos à Colonienſibus Martyri Colonienſi, hactenus apud nos neglecto, quia ignoto. Historiam narrat Ioannes Petrus Maffeus rerum Indicarum scriptor, qui agens de conuersionibus ad fidem, à Gaſparo Borzæo factis Armuziæ: *Misti*, inquit, *varijs è nationibus ad eũ desertores ac transfugæ nec non ſchiſmatici ventitabant. Abaſſini Armenij, Georgiani: & ex Europa non pauci, quos ille per ſummam lenitatem, ereptis opinionum erroribus, ſolemni ritu expiatos reſtituebat Eccleſiæ.*

» Ex ijs vnus IO ANNES in ipſo conatu Caſparis ad» eundi præclarũ Martyrij decus tulit. Germanus erat » genere, in vrbe COLONIA natus, patre admodũ locu» plete, annumque iam decimum in oppido Turca» rũ Califa non longè ab Armuzianis finibus, pro Ma» hometano se gerebat, tormẽtarij pulueris artifex; at» que ob hoc ipſum genti percarus. Is audito Caſparis

(a) Ter. ad Scapulam. (b) Nicephor. lib. VI. cap. 7.

»nomine, rebusque ijs, quæ Armuziæ gerebantur, ab
» impio ministerio, ad famulatum Christi, si Caspar
»adiuuaret, quam primum redire constituit. Id quo si-
» ne arbitris fieret, in atramenti librarij difficultate
» sulphureum diluit puluerem: ex eo diluto litteras ad
» Casparem, vna eademque sententia, Latino, Belgico,
» Francoque sermone, conscribit: vehementer optare
»se, modò apud Lusitanos tutò liceat commorari, & à
» Caspare fidem accipiat, Armuziam venire, & Chri-
» sto Domino, per Sacramentum pœnitentiæ satisfa-
»cere. Eo nuncio lætus Caspar extemplò rescribit, si-
» denter accedat, sibi, ac Lusitanis aduentum ipsius gra-
» tissimum fore. Hæc epistola, incertum, cuius fraude,
» qui perferendam acceperat, an alio quo casu ab Ca-
» lisano præfecto intercepta, Ioannis consilium prodi-
»dit. Confestim à Turcis de ipsius religione quæsitum.
» Ille verò sese intrepidè Christianum fateri, atque ad
» omnia tormenta, necemque pro Christi nomine
» promptum ostendere. Inde furētibus Mahometanis
»fœdè laniatus atque dissectus, ad vltimum vsque spi-
» ritum, in VERÆ FIDEI Confessione permansit. Ca-
»put abscissum, & prælongo infixum hastili Turcæ in
» arcis mœnibus posuêre. Haud ita multo post Lusita-
» na classis Armuziam tenuit: millia duo circiter homi-
»num ea classe vehebantur: eius turbæ totius anime-
» rum sordes Caspar eluit solus, quod Sacerdotes per
»eos dies omnes in morbum incidissent. Inde placato
» DEO Lusitanus ardentior ad Calisanum littus acces-
» sit, ac repentina exscensione oppidum cepit ac diri-
» puit. Inter direptionem Casparis epistola apud Præ-
» fectum reperta eo argumento de Ioannis nece co-
» gnitum est: refixum extemplò caput, Armuziamque
» accuratè transmissum, Caspar cum Psalmodia & lau-
» datione per honorificè condidit. Hvic

Hvic adiungi posset aliud de Equite Bonnensi fide constantissimo, ob quam firmitatem rarum illum subijsse martyrium scribit Antonius Vasconcellus loco de Regibus Lusitaniæ, qui nominat illum Henricvm, Germanum, natum Bonauillæ (nos Bonnam dicimus) quattuor à Colonia Agrippina leucis aduerso Rheno dissitâ ciuitate: addítque luculenta aliquot miracula, quibus Devs fidelissimi sui Militis in fide constantiam probârit, vt fecit per orbem vniuersum in similibus Euangelij sui testibus ac propugnatoribus. Quare rectissimè Lactantius hunc in modum argumentatur: *lib. v. cap. 13. Cùm ab ortu Solis vsque ad occasum, & omnis sexus, & omnis ætas, & gens & regio, vnitis ac paribus animis* Deo *seruiant: eadem sit vbique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerunt, aliquid in ea esse rationis, quod non sine caussa vsque ad mortem defendebatur: aliquid* Fvndamenti, *ac Soliditatis quod eam religionem non tantum iniurijs ac vexatione non soluat, sed augeat semper, ac faciat* Firmiorem. Hæc firmitas fundamentalis in Fide, eo etiam confirmatur, quod quamuis plurimi facilè omni flagitiorum genere se inquinent, horum tamen comparatione sint pauci, qui fidem eiurent, si semel benè instituti sint Adde, reperiri pleroſque, qui vitam mallent exponere tum periculo, tum exitio, quàm fidei aliquid contrarium asserere: licet penè quotidie contra castitatem, caritatem, temperantiam, similesque virtutes gratissimè delinquant. Quo fit, vt spiritualem virtutum Christianarum fabricã facilè deijciant, fundamentum tamen retineant: nimirum, hoc Ædificij pars est, ceteris omnibus firmior, ac proindè difficillimè mobilis.

Hvivs rei causſam hanc adsignant Theologi, (a) quod Fides certior sit omni alia cognitione naturali: quare

(a) S. *Thomas* 2. 2. q. 4. art. 8. (b) 1. *ad Corinth.* 11. (c) *Petri* 2. 1.

quare ita firmiter animo hæret, vt auelli, nisi sum
nequeat. Certior est Fides, quàm scientia etiam de
stratiua Philosophorum: quoniã per fidẽ partici
cognitionem, quâ DEVS res cognoscit: &, assensu
nititur certitudine, ac infallibilitate DEI cognos
Idcirco Fides dicitur DEI Sapiẽtia. *Fides vestra*, inqu
lus Apostolus, (a) *non sit in Sapientia hominũ, sed in*
DEI: *Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam no*
huius sæculi, neq; principiũ huius sæculi, qui destruuntur, sed
mur DEI *Sapientiam. Habemus*, ait fidei magister Pe
(b) *firmiorem propheticum sermonem*: firmiorem ha
biè quam sit omnis scientifica ratiocinatio. Est
certior, quàm sit principiorum habitus: quo tam
homine, quippe innato, nihil videtur esse posse ce
nihil firmius. Est certior, quàm experientia sensu
verè dixerit Augustinus: (c) *Facilius dubitarem vi*
quàm non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, in
conspicitur. Et non erat prorsus vnde dubitarem. Sensus e
& fascinari potest: non ita Fides. Quare rectè Dio
(d) Areopagita securè pronunciat: *Eum, qui in veri*
dit iuxta Scripturæ fidem, nihil remouebit à veræ fidei auc
quo constantiam immobilis atque immutabilis identitatis
bit. Nouit enim penitus is, qui veritati coniunctus est, qua
se habeat, etiamsi plures illum corripiant, quasi amentem c
se factum Et S. Basilius in epistola ad Gregorium N
num fratrem: *Quemadmodum in eis, quæ oculis appare*
tior videtur experientia, quàm ratio caussæ; sic in sublimi
matibus potior est ratiocinationum comprehensione ipsa Fid
rum Concione in Psal. CXV. *Fides præeat, ac ducat serm*
DEO, *& non demonstratio. Fides supra rationales metho*
mum ad assensum trahens. Seuere autem S. Chrysosto
ta pronunciat homil. XII. in Epist. ad Hebræos: Fi

(a) 1. *ad Corin.* II. (b) *Petri* 2. 1. (c) Aug. lib. VII. Confes
(d) S. Dionys. lib. VII. de nom. diui.

non potest, nisi cùm circa ea, quæ videntur nequaquam oculis, amplius, quàm circa ea, quæ sic videntur certitudinem quis habuerit, proinde firmius eis adhæret.

Vis scire, clamat S. Hieronymus ad Pammachium scribens, *quantus sit ardor benè credentium?* audi Apostolum: *Si nos aut Angelus de cœlo aliter euangelizauerit vobis, anathema sit.* Et in cap. 1. epistolæ ad Galatas: *Apostolus firmitatem Fidei suæ ostendit, dicens: Scio, quia neque mors, neque vita potest nos separare.* Quæ si vera sunt, consequitur: Firmiorem esse Fidem persuasione hæreticorum, quamuis, vsque ad flammam feralem, & in ipso rogo, inter flammas pertinacissimâ, quippe fallaci. Denique, nec illud omittendum, quo maius aliquid dici non potest: æquè certam esse Fidem Christianam, ac Visionem beatam, si causſam spectes: est enim vtrobique, Veritas prima reuelans, licet sit in Fide claritas, & euidentia.

ARTICULUS V.

QVINT. CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, quod neutrum nutare possit, absque periculo interitus ædificij.

QVONIAM Fundamentum esse debet firmissimum, nihil tam est noxium ædificio, quàm si illud nutet, vacillet, commoueatur: id si contingat, facillimè tota corruit fabrica. Vt videre est cum terræ motu concutiuntur fundamenta ædium. Quod euenit in Calabria ante annos aliquot, vbi non tantum plurimæ domus, palatia & templa prostrata, sed oppidorum pars maxima diruta, immò aliçubi Vrbs funditus euersa cum ciui-

(a) *Iulius Cæsar Recupitus lib. de Terræ motu Calabriæ.*

ciuibus exitium habuit, vbique terrarum publicè deflendum. Sed multo magis est exitiosum ædificio rituali, quàm materiali, si fundamentum eius [illegible]. Nam si uel minimum concutiatur Fides, quod fit tatione deliberatâ, & ipsa dissipatur, & totus mus concidit. Dixi, *dubitatione deliberatâ*, modo intelligendum illud, & explicandum, est in Cap. *Dubius*, (a) de hæreticis: *Dubiũ in fide esse lem.* Quam primum enim quis voluntariè ac pertiter de fidei rebus hæsitat, eo ipso est hæreticus: quipræstat assensum quem deberet; siquidẽ Fides est sus verus ac certus; quem non habet, qui voluntpertinaciter ambigit. Non est tamen contraria Fidei illam concutiat) hæsitatio aliqua inuoluntaria, actliberata, quæ oriri solet, ex infirmitate naturali intctus, dum supra se per fidem rapitur: quare pernec fundamentũ titubat, nec parietes nutare incip

Atque ita Fidei nostræ Magistri, Doctores Eccltradiderunt. Clarissimè S Basilius, Oratione de vpia fide: *Est Fides*, inquit, *eorum quæ dicta sunt assentiens batio, sine vlla hæsitatione* (intellige, deliberatâ. S. Chrstomus, Sermone de Fide, Spe, & Caritate:) *Fides nocens ac pura credulitas. Hæc excludit dubia, tenet certa, prsa consignat. Hanc qui tenet, felix, qui deseruit, est miser.* S. nardus epistola ad Innocentium, 190. *Absit, vt putem fide, vel spe nostra aliquid dubia æstimatione pendulum, magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum oraculis & miraculis & diuinitus persuasum. Testimonia ipsa dubitia sunt nimis.* Ob hanc caussam S. Leo Papa, Fidem Christianam *Inconcussam* vocat, monens, Sermone Natiui. vt vnitati fidei inconcussis mentibus inhæremus.

ARTI-

(a) S. Antonin. p. 3 tit. 22. cap. 5. 3. 50. Turrecr. in Sum. de Eccl. l. 4. p. 2. cap. 18. Can: lib. XII. de loc. c. 9. Azor To. 1, lib. 8, cap. 9. Bannex 2. 2. q. 4. art 8.

ARTICVLVS VI.

SEXTA CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum, quod vtrumque lateat: neutrum videatur.

FVNDAMENTVM pars est domus oculis subducta: cùm enim imum sit, absconditur in terrâ. Et hoc Fidei Christianæ ana λόγως conuenit. Fides nostra neque videt, neque videtur Non videt, quia oculis cassa, obscura, & ineuidens. *Fides est argumentum*, ἔλεγχος, demonstratio, conuictio, *rerum non apparentium*, ad Hebræos XI id est, quæ non videtur. *Beati* enim *qui non viderunt, & crediderunt*, Ioannis XX. vnde est illud quæsitum & responsum S. Augustini: (a) *Quid est fides? credere quod non vides.* Nec videtur Fides: haud magis, quàm fundamentum terra obrutum: latet enim in anima, & ita latet, vt neque manibus tangi, neque oculis cerni, neq; vllis sensibus cognosci possit, aut scientia aliqua clara ac euidenti inuestigari. Existimo enim, certumque arbitror, (b) imprimis, fidelem ipsum cognitione manifesta & manifestante non posse cognoscere, absque reuelatione diuina, an habeat fidem supernaturalem à DEO sibi infusam, quæ sit Ædificij Spiritualis stabile fundamentum: alioqui cognosceret euidenter, se habere, vel habuisse aliquando gratiam, quod non est euidens, neque omninò infallibiliter certum. Deinde non posse etiam clarè & manifestè cognoscere, quod habeat assensum supernaturalem fidei propter auctoritatē diuinam, qualis ad fundamenti rationē spectat.

(a) S. Augustin. tract. 4. in Ioan. Hom. 32. ex 50. (b) S. Tho. 22. q. 1. art. 4. & 5. Bellar. lib. 3. de Iustit. cap. 4. 5. 6. 7. Aluarez lib. 5. de auxil. dup. 42.

spectat. Potest tamen eius habere notitiam obscuram, & theologicam, quæ dubitationem excludat, non tamen formidinem, vt in Exercitationibus Scholasticis probauimus. Nimirum, Fides, quia Fundamentum Domus Sapientiæ, in abdito latere debet, nec in oculos per cognitionem claram incurrere.

Si Fides, inquit S. Basil. in Ps. 115. est ὑπόστασις, substãtia, subsistẽtia, basis *earũ, quæ sperantur rerũ, & eorum, quæ nõ videtur* ἔλεγχος, argumentũ, cõuinctio, *ne mihi tu curiosus, anxiusq; cõtendas videre, quæ longiore sepositæ sunt interuallo*: neu, quæ speras te olim consequuturũ, in ambiguũ reuoces, dubiamque partem, quod ad ea nondum potueris certa (id est, clara) cognitione pertingere. Sed illud ipsum quod tam obscurum est, ita animum verè credentis afficit, vt claritatem notitiæ non requirat, ad inconcussam Fide stabilitatẽ, nec videre desideret, quod fide credit. Cuius rei illustre exemplum fuit in Comite ELZEARIO (*a*) Gallo, quem vitæ Scriptor ita loquentem ad vxorem suam, cum qua virginitatem communi consensu seruarãt, inducit: Ecce Dalphina, si Magistẽr Franciscus Maironis (erat id celebris professor Theologiæ Parisijs) qui in præcipuis Christiani orbis Theologis numeratur, estque in fide benè instructus ac firmus; itemque F. Ioannes Iuliani Confessarius noster illuminata fide, & vitæ sanctitate clarus venirent ad me, dicerentque vno animo, Fidem nostram falsam esse, meque hactenus in magno errore vixisse, ac fuisse deceptum: Pontificem & Cardinales velle fidem mutare, idque etiam pariter totus clamaret orbis, equidem non deficerem vlla in parte ab illa fide, quam mihi DEVS ostendit, etiamsi ea causa mihi mille mortes oppetendæ essent. Quis credat, tam benè fundatum in fide, optasse videre cõtra funda-

(*a*) Vita Sur. 27. Septem. cap. 29.

fundamenti rationem, quæ sub fide latent abdita?

ERAT eius mentis haud dubiè Elzearius, cuius Rex Christianissimus LVDOVICVS, (a) cui nulla erat cupido, quę tot alios inflammabat, cernendi in Hostia consecrata, puerili specie Christum: nam credebat firmius Christi realē præsentiam sub sacramentalibus exuuijs, quàm si sensibus vsurpasset. Huc etiam spectat narratio Clementis Romani libro 1. recognitionum. Is cùm Petrum Apostolum de fide in Christum dissentem audiuisset: Deo gratias ago; inquiebat, quia, vt „ instructus sum. Ac certò scias Petre, fieri non posse, „ vt dubitē de his, quæ ex te audiui de Christo Propheta „ etiamsi aliter doceres, & me in aliam fidem transfer- „ re conareris. Hoc enim mihi certum est, eum qui do- „ ctrinam hanc de vero Propheta acceperit, non posse „ de hac veritate vltra dubitare. Ad hæc Petrus: „ gratias ago DEO, & pro salute tua, & pro quiete mea. „ Valdè enim delector, quia intellexisse te video, quan- „ ta sit Christianæ virtutis magnitudo, & in eo, quod „ ais, me, si ipse cupiam quod absit, non posse te trans- uertere in aliam fidem. Vtinam fidelium omnium eadem esset firmitas ac constantia!

ARTICULUS VII.

SEPTIMA CONVENIENT:

inter Fidem & Fundamentum; quod utrumque esse possit, sine Ædificio, quod superstruitur: non vicissim, hoc sine illis.

FVNDAMENTVM, quia prima domus pars, consistere potest sine parietibus, tecto, membrisque alijs ædifi-

(a) S. Ludouicus. 25. Augusti in vita.

ædificium integrantibus; non tamen hæc sine fundamento, quod substruitur. Haud secus, Fides, quamuis supernaturalis & diuina perstare potest in homine, licet disiectum sit Caritatis tectum, & conciderint Spei parietes. Fit enim non rarò, vt fidelis Christianus letiferum aliquod peccatum committat, quo statim Ædificium spirituale dissoluitur, tectum caritatis labitur, parietes ex virtutibus, tanquam lapidibus calce gratiæ connexis erecti concidunt: quod non tantùm de Theologicis Fidei antea coniunctis, sed etiam de moralibus infusis intelligendum est, quæ gratia sanctificante, cum Caritate ablatâ, momento euanescunt: manet tamen Fundamentum Domus Sapientiæ, Fides, quod non nisi infidelitatis, hæresis-ue palis & rastris, ex animæ solo eruitur & dissipatur.

Hoc est, quod Catholici contra nouatores, Lutherum, Caluinum & horum assectas, qui pertinaciter negant, veram Fidem à Caritate posse separari, profitentur, & vnanimiter asserunt, illam à caritate alijsque virtutibus infusis sæpenumero seiunctam in animo consistere. Quod omninò certum est, æquè, ac fundamentum hærere sine superstructione. quis hoc neget, nisi ignorantissimus ædificator? Et quid clarius illo Ioannis Euangelistæ testimonio? *Multi ex principibus crediderunt in illum* CHRISTVM *sed non audebant illum confiteri, ne extra Synagogam eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam* DEI. vbi monet accuratus interpres Maldonatus: (*a*) colligi ex eo loco contra novos hæreticos, posse nos veram habere fidem sine caritate: illi enim principes, qui in Christum credebant, veram habebant fidem, alioqui non dixisset Evangelista, illos credi-

(*a*) Ioan. XII. 43. (*b*) Maldonat. (*c*) Bellar. lib. 1. de Iustif. cap. 15. in argum. 1.

didisse; tamen caritatem non habebant: quam si habuissent, confessi eum fuissent, nec dilexissent magis gloriam hominum, quàm Dei.

Ad idem facit illa Apostoli hypothetica 1. ad Corinth. XIII. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Quo loco, *per omnem fidem.* Origenes, quem laudat ibi Benedictus Justinianus, intelligit fidem perfectam, solidam, integram, omnibus numeris absolutam. Alii, omnis generis fidem, nempe, non miraculorum tantum, quæ est gratia gratis data, & cum fiducia ferè coincidit, sed & fidem Theologicam, de qua Paulus ibidem vers. XIII. *Nunc autem manent fides, spes, caritas.* quod benè ad rem hanc perpendit Gregorius de Valentia, (a) & premit Rober. Bellarminus. Quod etiam satis insinuat S. Jacobus in Epist. cap. secundo. vbi, *Fides*, inquit, *si non habeat opera mortua est in semetipsa; comparans fidem sine caritate*, corpori sine vita & spiritu, quod licet verum sit corpus, mortuum est tamen, & cadaver. Quare benè Tridentinum Sessione VI. capite VII. docet, Fidem, nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque unire perfectè hominem Christo, neque corporis eius vivum membrum efficere. Qua ratione verissimè dicitur: *Fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse.* Et, *in Christo* Jesu, *neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed Fidem, quæ per caritatem operatur.* Deinde ead. Sessione cap. XV. ita pronunciat: *Advrsus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est: non modò infidelitate, per quam & ipsa* Fides *amittitur, sed etiam quocunq; alio mortali peccato, quamuis non amittatur* Fides, *acceptam justificationis gratiam amitti: divinæ legis doctrinam de-*

(a) Valen. 22. disp. 1. q. 4. p. 4. (b) Bell. lib. 1. de Just. cap. 11. arg. 15. (c) Galat. 5. & 6. Cap. circùmcisio de pœnit. dist. 2. (d) Rom. XVI.

fendendo. Quæ à Regno DEI *non solùm infideles excludit; sed & fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur.* Tandem definit Sacra Synodus Sessione VI. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & Fidem semper amitti. Aut,* Fidem *quæ remanet non esse veram* Fidem, *licet non sit viva. Aut eum qui* Fidem *sine caritate habet, nõ esse Christianum, anathema sit.*

FUIT hęc semper antiquissimorum Patrum doctrina. Inter quos S. Chrysostomus in Psalmum XIII. ad vers. 1. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, ita scribit. *Ab ultimo paupere usque ad eum, qui rerum potitur, universus mundus ægrotat. Sed illi quidem nec Fidem, nec rectam habent vitam: isti verò, veram habent* Fidem, *sed vitam rectam non habent. Deum confitentur se scire, factis autem negant. De* DEO *splendidè loquuntur, & veluti tuba canunt: in bene faciendo dormitant.* Categoricè S. Augustinus lib. XV. de Trinitate Cap. 18. *Sine Caritate* Fides *potest esse, sed non prodesse.* Ejusdem est illud præfatione in Psalm. XXXI. *Si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei, adde illi spem, & dilectionem: & noli cogitare, quid operetur, ipsa dilectio vacare non potest.* Et lib. VI. contra Julianum cap. 117. *Qui rectè amat, procul dubio rectè credit & sperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera, quæ credit.* Ad idem declarandum S Ambrosius utitur Fundamenti nomine. libro secundo de offic. cap. 2. dicens, reperiri qui habet vitam æternam Fidei, quia in illo Fundamentum est bonum: sed requiri ut habeat etiam bona facta; quia *vir justus & dictis & rebus probatur. Nam si exercitatus sit in sermonibus, & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit.*

Et

(a) 1. Timoth. 1. (b) 1. Corin. 6.

Et gravius est scire quid facias: nec feciſſe quod faciendum cognoveris. Quibus ostendit, Fidem à bonis operibus, aliisque virtutibus, & caritate, vt fundamentum à ceteris domus partibus, separatam esse posse. Idem in Psalm. 1. exponens versiculum quintum: *Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum,* tres distinguit ordines judicandorum. *Primus* est justorum, qui fundamentum fidei habent, ac reliquarum virtutum structuram. *Secundus,* impiorum, in quibus nec Fides, nec virtutum opera. *Tertius,* peccatorum, in quibus fundamentum fidei, sed tecti orbitis, id est, caritatis. Quos alia metaphorâ describit S. Gregorius homilia XXXVIII. in Evang. dicens, multos habere fidem, sed carere veste nuptiali, nempe, caritate, atque idcirco à nuptiali convivio eiici. Similia habent S. Irenæus, (*a*) Cyprianus, (*b*) & alii PP. Nec ratio aliud suggerit, cum constet, caritatem ad constitutionem fidei neutiquam pertinere, ac proinde, facile ab illa sejungi posse: maxime cum fides caritate sit prior, ut imperfectum, quod perfectiori substernitur. Quamvis ergo Caritas nequeat esse sine fide, Fides tamen sine caritate consistit. Sicut ædificium non perstat sine fundamento, sed manet sine ædificio integrum fundamentum. Est autem Fides spiritualis substructionis fundamentum, ac propterea, sine illa, neque Spes, neque Caritas locum habere possunt, neq; absque Fide quicquã Deo probari.

(*a*) lib. 4. cap. 25. (*b*) Serm. de zelo & livore.

SERMO III.

FIDES

Informis & Formata.

Vtra sit Fundamentum Ædificii Spiritualis.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, id est, Fides in Christum Jesum, 1. Corin. III.

ARTICULUS I.

Fides

An & Quomodo fiat Formata? vel sit Informis?

MErito scisciteris, An Fundamentum Spiritualis, atque Christiani ex virtutibus consurgentis Ædificii, sit solum illa Fides, quæ Caritati est conjuncta, qualis reperitur tantùm in hominibus justis, & divina gratia donatis? An verò etiam illa, quæ à Caritate avulsa est, & manet in peccatoribus fidelibus, gratia recedente? Priorem vocant Theologi Fidem formatam, quoniam fides à caritate, tanquam formâ perficitur. Non quod Caritas propriè sit forma fidei; aut essentialis, sicut anima dicitur forma hominis; aut accidentalis, quæ inhæreat, ut albedo corpori. Neque enim ita delirant subtiles Scholastici, ut non animadvertãt, duas esse specie distinctas virtutes, & unam in intellectu, alteram hærere

in

in voluntate; ideoque, unam alteri non ita conjungi. Sed quoniam perfectionem aliquam Fidei addit Caritas ut forma solet subjecto: & præcipuam vim, dignitatem, ac valorem meritorum ad beatitudinem consequendam Fides accipit à Caritate. Quomodo Paulus Apostolus, *Si habuero*, ait, *omnem fidem, Caritatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Corinthios XIII. Et idcirco commendat Fidem, quæ per caritatem operatur, ad Galaras v. Jacobus autem Apostolus, Fidem, caritate semotâ mortuam dicit cap. secundo epistolæ suæ, sensu superius dato, quia quamvis sit vera, non est tamen viva Fides: quomodo corpus, anima separata, verum est corpus, sed mortuum. Talis est *Fides* peccatorum, quæ à Theologis appellatur eodem intellectu. *Informis*.

ARTICVLVS II.

FIDES INFORMIS

Vtrum sit Fundamentum.

NON nisi illam Fidem, quæ caritatem conjunctam habet esse Fundamentum Domus Sapientiæ, colligi videtur ex sententia Pauli initio recitata: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus* JESUS: nempe, Fides in Christum JESUM, non solùm vera sed & viva. Sic sanè S. Augustinus exponit: nam cum non uno loco difficultatem sententiæ Paulinæ ostendisset, probat, Christum dici Fundamentum, id est, Fidem Christi quæ per dilectionem operatur, ita libro de fide & operibus cap. 15. & 16. & ad Dulcitium c. 1. At verò, D. Chrysostomus & Theophylactus, Fundamenti nomine intelligunt Fidem informem

Quod aliqui ex eo confirmant, quoniam Fidei formæ non videtur posse superædificari, lignũ, fœnũ, stipula, ac proinde laxius Fidem Christi, ejusque doctrinam accipi debere contendunt. Sed revera, cum Fide caritas juncta stare possunt. atque illi superstrui peccata venialia, quæ symbolis, ligni, fæni, ac stipulæ designantur.

Majorem vim habet, quod est apud eundem Apostolum, ad Ephesios tertio, ubi hoc suum ponit votum: *Det vobis* (Pater Domini nostri JESU Christi) *secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem*: CHRISTUM HABITARE *per* FIDEM *in cordibus vestris*: *in caritate radicati*, & FUNDATI. Quod Apostoli desiderium supponit, in homine Christiano esse Ædificium, in quo Christus habitet, si tamen Fundamentum habeat Fidem, non solitariam & otiosam, sed in Caritate radicatam, & fundatam: quasi Caritas sit fundamentum fidei.

QUOD difficile est explicatu, si Architecturæ Christianæ regulis insistamus: quare non est una Interpretum expositio, quorum aliqui hic hyperbaton, alii antiptosin agnoscunt. Nos, omissis Grammaticorum subtilitatibus, dicamus, vel quod ex Latinis SS. Ambrosius & Augustinus, sensum esse Apostoli: Si in Caritate sitis radicati & fundati, id est, in Fide, cui adhæret radix caritatis, poteritis *comprehendere* (quod sequitur) *quæ sit latitudo, longitudo, & profundum*; vel, quod ex Græcis Photius, Apostolum dicere: fixis in caritate radicibus, jactoque fundamento caritatis ejusdem, fide præsuppositа, habitabit in vobis Christus, & comprehendetis, *quæ sit longitudo, latitudo, & profundum*: conjungit autem, radicari & fundari, ut prius respõdeat illi, DEI *Agricultura estis*: posterius huic, DEI *Ædificatio estis*. Accedit S. Hieronymus, qui postquam dixisset, Christum habitare in interiori hominis

minis principali, id est, ea parte, quæ rationis est particeps, & Cordis nomine significatur, addit: *Habitatio ista per exordium Fidei fabricatur, radices & fundamentum in caritate habet: ut quoniam* DEI *agricultura sumus, & Ædificatio, omnia in Caritate succrescant, atque ædificentur.* Quibus significat, Ædificium spirituale in Christianis, Fundamento Caritatis, vel Fidei, at caritate formatæ superstrui debere.

(a) *Photius in Epist. Pauli.* (b) *S. August. Epist.* 120. *S. Hieron. in Comm.*

ARTICVLVS III.

FIDES INFORMIS

Non est Fundamentum, per se sufficiens, vel Ædificii Spiritualis, vel Salutis.

FUIT antiquus, &, qui tempore D. Augustini pullulabat error quorundam, qui contendebant, Fidem sine Caritate ita esse Fundamentum, ut etiamsi superædificaret Christianus peccata mortalia, posset nihilominus salvari per expiatorium ignem. Atque ita interpretabantur dictum Apostoli 1. ad Corinth. III. *Si quis superadificat super Fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: salvus erit. sic tamen, quasi per ignem.* Nimirum, existimabant, per *lignum, fœnum & stipulam* lethalia quoque peccata designari. Quod non esse admittendum, proprio, qui de ea superædificandi materia instituetur, demonstrabitur. Hunc tamen erroneum sensum fovent hujus tempotis sectarii, reiectis licet Purgatorii flammis. Qnibus præluxit Lutherus, qui erecto à se infidelitatis trophæo, hæc inscripsit axiomata

(a) Lib. de capt. Babyl. cap. de Euchar.

Non alia via potest homo cum DEO *convenire, aut agere, quàm per* Fidem: *opera ille nihil curat. Tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quamtumcunque malè vivat, nisi nolit credere.* FIDES *est formalis Iustitia, propter quam homo justificatur, non propter Caritatem*

Hoc ut tenacius rudium animis inhæreret, pictura testatum relinquere voluit. Tabula testis, in quâ Augustæ, cum Judicium extremum bellè depictum cerneretur, & ad terrorem fidelium peccata peccatis & fidei informi superædificantium, adscribi curavit: (a) *In hoc die unusquisque secundum* Fidem *suam mercedem accipiet.* At hoc modo nemo sanæ fidei, FIDEM Informem Fundamentum dicere potest, sive Spiritualis Ædificii, sive salutis æternæ.

(a) Florimundus Ræmond, lib. 1, cap. 16. n. 3.

ARTICULUS IV.

FIDES INFORMIS

Est aliquatenus Fundamentum Spiritualis Ædificii virtutum.

CUM Fides figuratè, ac secundum metaphoram Fundamenti domus rationem habeat; in fundamento autem variæ considerari possint proprietates, ob quarum aliquas ea denominatione res quæpiam possit affici, non jerim inficias, Fidem informem dici quadantenus posse Fundamentum Domus Sapientiæ. Declaro. In Fundamento hæc potissimum considera. *Primò*, quod abeo incipiat ædificatio: quare dicitur initium atque exordium. Vnde Oratori, jacere fundamenta Reipublicæ.

licæ, est dare ejus principium. Ego inquit Cicero ad Cornificium, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, cunctantibus ceteris ad XIII. Kal. Jan. fundamenta jeci. *Secundò*, quod pars sit ædificii. *Tertiò*, quod fulciat ædificium, ne corruat: & quasi communicet reliquis partibus virtutem continendi se invicem: nam virtute fundamenti firmam habent connexionem inter se.

Si priora duo spectes, *Fides Informis* rectè vocatur Fundamentum: est enim exordium ædificationis spiritualis. *Principium vitæ*, scribit Deifer Ignarius (*a*) *est* Fides: *finis verò* Dilectio: *ambæ autem simul junctæ* perficiunt hominem Dei. Et in eandem sententiam Clemens Alexandrinus, (*b*) citans Pastorem nominatissimum olim inter scriptores Ecclesiasticos: *Præcedit*, inquit, Fides, *Timor autem ædificat: perficit verò Dilectio*. S. Ambrosius quoque in Psalm. CXVIII. (*c*) versans illud: Principium sermonum tuorum veritas: *Fides*, ait, *principium Christiani est: plenitudo autem Christiani Iustitia*. Denique S. Augustinus idem diversimode frequenter exprimit. Sermone XVI. de verbis Apostoli: *A* Fide *incipit homo, sed quia & Dæmones credunt, necesse est addere spem, & caritatem*. Sermone XXII. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. Præfatione in psalm. XXXI. *Magnum opus sed ex* Fide: *laudo super ædificationem operis*; *Sed video* Fundamentum Fidei: *laudo fructum boni operis*; *sed in* Fide *agnosco radicem*.

Hoc confirmat pia contemplatio magni Papæ Gregorii, qui exponens illud Psalmi CXXXVI. (*e*) *Eximanite usque ad fundamentum in ea*, scribit, vocem esse Cacodæmonis tribules suos concitantis & compellentis, ut post destructam caritatem, tanquam dejectum ædificii spi-

(*a*) Epist. ad Philipp. (*b*) libro 2. stroma. (*c*) Sermone 26.
(*d*) S. Gregor. XXV. mor. cap. 15. (*e*) Psal. CXXXVI. 7.

spiritualis tectum, nitantur fundamentum, id est, robur Fidei dissipare. Clara quoque est illa Synodi Tridentinæ sanctio (a) *Cum Apostolus dicit.* (b) Justificari hominem per Fidem & gratis; *ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ sensus tenuit; & expressit, videlicet per Fidem ideo justificari dicamur, quia Fides est humanæ salutis initiũ, Fundamentum, & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorũ eius consortium pervenire. Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive Fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia.*

Ex quibus colligas, *Fidei*, secundum se competere, esse Fundamentum; ac proinde, cùm Fides Informis in peccatore fideli retineat rationem integram fidei, quod omninò certum apud orthodoxos, haud male ei denominationem Fundamenti tribui. Atque hoc modo Caritas non potest vocari Fundamentum: esset enim alioqui prima origine, & via generationis inter virtutes, esseteque prima Ædificii spiritualis pars non extrema, quale est tectum; quod sanè dici nequit.

(a) Trid. Sess. VI. cap. 8. (b) Rom. VIII. (c) Molina Concor. q. 14. ar. 13. disp. 44. vasque 21:2. disp. 210. cap. 7. Torres de fide disp. 41. dup. f. 6. 7.

ARTICULUS V.

FIDES FORMATA.

Simpliciter, quoad omnia, & actu est Fundamentum Ædificii Spiritualis.

Si in Fundamento consideres tum præcedentes dua-

quali-

qualitates, tum vim reipsa fulciendi, continendi, ac connectend., omninò asserendum est, non nisi FIDEM FORMATAM esse illius modi Fundamentum. Nec enim sine Fide formata sunt partes aliæ Domus Sapientiæ in anima, quas Fides sustentet & nectat. Docuit hoc aliis verbis, & Scholasticè (a) S. Thomas, ubi de Fide tanquam prima virtute ac proinde Fundamento ceterarum disputavit. Cum enim sibi opposuisset hoc argumentum Fides informis non est Fundamentum, sed Fides formata: ut habet Glosla in 1. ad Corinthios XIII. ex Augustino lib. de fide & operibus. cap. x. formatur autem Fides per caritatem. Ergo Fides habet à caritate, quod sit fundamentum. Caritas igitur est majus fundamentum, quam Fides: ac proinde Fide prior. Respondet. Ad rationem fundamenti non solùm requiri quod sit primum, sed etiam quod sit aliis ædificii partibus connexũ: non enim esset fundamentum, nisi ei aliæ ædificii partes cohærerent. Connexio autẽ partium ædificii spiritualis est per caritatem, secundum illud ad Colossenses tertio, *Super omnia Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Idcò fides sine caritate fundamentum esse non potest, licet caritas non sit prior FIDE.

QUAM responsionem unicâ distinctionis faculâ sic illustro. Fides *formata* est fundamentum simpliciter & actu: *informis*, secundum quid, & potentiâ. Atque hoc insinuat S. Paulus, qui desiderabat Ephesios habere inhabitantem Christum in domo omnibus virtutum numeris absoluta: cujus proinde actuale fundamentum sit Fides caritate formata. Sic quoque S. Augustinus loquitur de fundamento, quod reipsa fundamẽti partes agit, & totius ædificii molem aptè connexam sustentat.

Et

(a) S. Thom. 22. q. 4. ar. 7. ad 4.

Et ita de fundamento tali exponit S. Paulum 1. ad Corinth. III. asserentem, super fundamentum ædificari posse, aurum, argentum, lapides pretiosos.

ARTICVLVS VI.

FIDES INFORMIS

An & quomodo sit Fundamentum potentiâ.

QUEMADMODUM Fundamẽtũ materialiter esse potest sine ædificio; ita Fides esse potest in eo, in quo p vinculũ caritatis nondũ connexa, & cõpacta est Domus Spiritualis; tunc autẽ rectè dixeris, esse Fundamentũ secundum aptitudinem quasi materialem respectu ædificii Spiritualis, atque ita potentiâ. Eadem autem Fides, modò in peccatore informis, fit deinde formata quando peccata remittuntur per gratiam & caritatem in anima diffusam: Sic quæ potentia solùm fuerat fundamentum fit illud actu. Quæ cum ita se habeat, existimo, Fidem etiam informem esse ὑπόστασιν, & substantiam rerum sperandarum: ac proinde eam à definitione Apostoli non debere excludi. In quo firmor, quod ipse Colossenses hortetur, nulla caritatis mentione facta, ut Fidei tanquam fundamento stabiles insistant. Cùm enim metueret, ne Colossenses Simoniana dogmata cum Christianis fidei præceptis conjungerent, requirit, ut sint fundati & stabiles in fide. *Si permanetis*, inquit, *in Fide fundati, & stabiles, & immobiles, à spe Evangelii, quod audistis* ad Colossenses 1.

NON me latet, S. Bonaventuram ablegare Fidem informem

(a) S. Thom. 22. q. 4. art. 4. (b) Bannez. q. 4. art. 7. dub. 2. Con. 4. (c) S. Bonav. in 3. d. 23. art. 1. q. 5. Malderus 22. q. 4. art. 1.

formem à consortio illius, quæ est hypostasis, quod informis non sustentet spiritualis ædificii fabricam. Verùm id est, quo ad actum, non quo ad habilitatem, & entitatem materialem, secundum quam est fundamentum & basis rerum sperandarum: non quà informis, sed quà Fides. Ita siquidem est inchoatio & initium spiritualis ædificii, adeoque rerum sperandarum, & Salutis æternæ. Ex quo sumatur, felicem esse nostram sortem, qui in Ecclesiâ Catholicâ, sumus nati & educati, in qua sola est vera Fides, non quidem in omnibus formata, tamen in omnibus quamvis alioqui peccatoribus, vera, & conseqnenter, quæ sit hypostasis rerum sperandarum, salutis initium; sine qua nulla virtus Christiana, & multo minus virtutum congeries, in modum ædificii conformata potest subsistere, ac proinde nec haberi Salus. Siquidem ex Divi Pauli pronuntiato: Ad Hebr. XI. *sine Fide impossibile est placere* DEO. *Et accedentem ad* DEUM, *oportet credere quia est, & quia remunerator est inquirentibus se.* quod nullus credit hæreticus.

SERMO

SERMO IV.

IMPENSÆ SIVE SUMPTUS

Ad locandum Fundamentum Fidei necessariæ.

Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO *est.* 2. *Corinth.* 3.

ARTICULUS I.

FUNDAMENTUM FIDEI

Cuiuus-nam impensis ponatur in anima pro ædificio Spirituali.

ALICUBI receptum olim ferunt, ut quoniam supra facultates privatorum erat, fundamenta ædificiorum ponere, quod illa non nisi per multas substructiones, propter paludes & aquas, collocari possent, ut Reipublicæ, aut Principis sumptibus fundamentum jaceretur, reliqua cives ipsi superædificando erigerent. (a) Id apud Venetos obtinuisse quondam sunt qui scribunt. Certè Vrbs Veneta in Adriatico mari condita, fundamenta super ipsius maris undas, & in aquis ponere necesse habuit, vnde difficillima ibi semper & maximorum sumptuum fuit ædificatio. Simile quid (liceat parvis componere magna) in Ædificio nostro, seu Domo Sapientiæ, contingere nuper meditabar. Siquidem originem suam ac fundamentum habet in aquis, ut observavit S. Basilius, conjungens fidem cum Baptismo fluminis, quod est Sacramentum Fidei: de utroque autem ita ipse disserit, libro de Spiritu-sancto cap. xi. *Fides ac Baptisma duo sunt modi parandæ salutis, inter se cognati & inseparabiles. Nam Fidei perfi-*

(a) Veneta Vrbs condita in mari Anno Domini cccxxi. Attila devastante Italiam.

perficitur per Baptismum, Baptismus vero fundamento Fidei nititur: immò, & Fides Baptismo, cum hic sæpe præcedat fidem (ut in parvulis) quare fundamentum fidei immergitur aquis Baptismi. Pergit D. Basilius: *& utraque res per easdem voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem, Filium, & Spiritum-sanctum; sic etiam Baptizamur, In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti.*

Cum itaq; tota Domus Spiritualis ex virtutibus Christianis constans in aquis Baptismi fundamentum habeat & impossibile sit, ac supra omnem naturæ creatæ facultatem in iis & consequenter, in anima Fidem divinam locare: propterea enim supernaturalis dicitur; placuit Reipublicæ Principi Deo, ad fundandum impensas subministrare, desumptis è dilectissimi Filii sui ærario, meritorum nummis, quorum virtute Fidei fundamentum stabile ponitur, ejusdemque vi ad conservationem, semel jacti fundamenti auxiliarem gratiam accipimus. At verò, postquam jactum est fundamentum, requirit, ut de suo quoque addat homo fidelis, quo reliquæ Domus partes exurgant, Quod fit paulatim superædificando, non solùm Christi, sed suo etiam sumptu, cooperans virtutum exercitatione, ut cæptum ab eo Ædificium perficiatur

ARTICULUS II.

FIDES CHRISTIANA

Donum est DEI *gratuitum, & ejusdem Opus.*

OB dictam caussam, Fides dicitur Donum Dei gratis conferri solitum. *Gratia estis salvati per Fidem*, inquit Apostolus: *& hoc non ex vobis*: DEI *enim Donum est*, ad Ephesios secundo. Ne quis enim initium ædificationis

(a) ad Ephes. II. 8.

homo sibi adscribat, & jactitet; cùm quisque Dei sit ædificatio, docet Apostolus, Fundamentum sine quo nulla exsurgit structura gratuito Dei munere haberi, ideoque illud non esse liberi arbitrii viribus tribuendum. Nam necesse est prius liberum arbitrium à gratiâ excitari, ac moveri ad fidem. Quod monet in illam Epistolam scribens S. Hieronymus, & explicat uberius S. Augustinus epistola CVII. cujus illa est præclara sententia tractatu de gratia & libero arbitrio cap. XXI. *Certum est nos velle cum voluimus, certum est nos facere cum facimus: sed ille facit ut volumus: sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Ex quibus constat, secundum S. Augustini sensum, Fidem ita esse Dei donum, ut ad eam liberi arbitrii consensus sit necessarius.

Simili ratione, Fidem vocat S. Augustinus *Opus Dei*. Nam quod dicitur Joannis VI. 29, *Hoc est Opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, ita expicat, lib. de prædest. SS. cap. 7. *Ipsam* Fidem *opus* Dei *dicit ipse* Jesus, *& hanc ut operemur, jubet:* dixerunt enim ad eum Judæi: *Quid faciemus, ut operemur opera* Dei? respondit Jesus, & dixit eis: *Hoc est opus* Dei, *ut credatis meum, quem misit ille.* Ubi videtur docere Augustinus, Fidem esse *Opus* quòd à Deo fiat: non tamen absque nostrâ actione: quippe illam Deus largitur, & nos illam sponte animo concipimus. Non malè tamen verba illa Christi exponunt Apollinaris & Leontius in Catena Græcorum, ut *Opus Dei*, idem sit, quod *Opus Deo gratum*. Ne quis autem existimet, Fidem tantùm illam, quæ est Fundamentum simpliciter, & actu connectens ædificii partes esse Donum Dei, non illam, quæ aptitudine id habet solummodò quando est *Informis*, S. Augustinus, post longam de hac re disputationem, tandē concludit: (a) *Fides igitur inchoata & perfecta*

Donum

(a) lib. de prædestinata, SS. capite 7. & 8.

Donum Dei est. Et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omninò non dubitet, qui non vult manifestissimus sacris litteris repugnare. O altitudo Sapientiæ & scientiæ DEI!

In Republicâ ab hominibus inter homines constituta, ponitur fundamentum à Principe communitatis, civibus, & benè meritis, ex aliqua justitiæ ratione, per distributionem bonorum communium. In prima autem Fidei, tanquam Fundamenti donatione, & positione, nulla cernitur justitia: sola misericordia; quibusdam datur, quibusdam non datur. Quibus negatur, justè negatur, quod non debetur: quibus datur, misericorditer conceditur, quia sine obligatione offertur. Quamobrē rectè docent Scholastici, Fidem, sive cāritate formatam, sive absque ea informem, ita esse Donum Dei, ut secundum substantiam sit supernaturalis. Et sanè, si Fidem consideres, ut est habitus quidam virtutis Theologicæ, sic supernaturalem esse & Donum Dei gratuitum naturæ minimè debitum nemo hactenus dubitavit. Unde dum quæritur, vel à pueris, quid est Fides? Respondent, Donum Dei ac lumen, quod potissimùm de infusâ & habituali intelligitur. Si spectes Fidē, quoad objectum, ita non esse supernaturalem sentiebāt quidem sectatores Basilidis, antiqui hæretici, ut auctor est Clemens Alexandrinus: (*b*) & in eodem errore videntur fuisse Manichæi, negantes credendum, nisi quod sciri possit evidenter: est tamen longè certissimum. Siquidem eo modo dicitur, *Sapientia* DEI *abscondita in mysterio*, 1. ad Corinthios secundo cap. &, *Oculum non videre absque* Deo, *quæ ipse præparavit diligentibus* Isaiæ LXIV. item, *carnem & sanguinem non revelare, quæ creduntur.* Matthæi XVI. Et quis dicat, arcana Triados, & Incarnationis Verbi naturali notitia

(*a*) S. Thom. 22. q. 6. art. 1. & 2. Schel. in 3. dist. 23.
(*b*) Clem. Alexandr. lib. 2. strom.

posse comprehendi! Denique, si sumatur Fides, ut est assensus, negarunt eam esse supernaturalem Basilidei haeretici, docentes, naturæ vi habere posse. Pelagiani autem, licet agnoscerent Dei gratiam esse, quod per divinam revelationem docerentur homines de iis, quæ sunt fidei, atque adeò, Fidem esse Dei donum ex parte objecti; tamen censebant, hominem non alia egere gratuitâ & supernaturali Dei libetalitate, ut ea quæ divinitus sunt revelata crederet, ac proinde posse suis viribus hoc ædificii spiritualis Fundamentum collocare. Idem existimarunt Presbyteri quidam in Gallia, Semipelagiani, & Reliquiæ Pelagianorum dicti. Immo S. Augustinus junior, ut liquet ex libro expositionum quarundam propositionum in Epist. ad Romanos, propositione LX. LXI. & LXII. At postea hunc errorem retractavit, ut videre est lib. 1. Retractat cap. XXI.

NIHIL enim contraria veritate in Scriptura divinâ est clarius. *Non sumus sufficientes* (a) sive idonei, *cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*, clamat Apostolus. *Si non sumus idonei cogitare*, inquit Augustinus, (b) *profectò, non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra, quâ credere incipimus, ex Deo est.* Iterum Apostolus Philippenses alloquens (c) *Vobis donatum est, non solùm, ut in illum credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini.* Neque dici potest, quod Pelagianis, eorumque sequacibus erat in ore: initium aliquod Fidei esse in nobis: quasi viribus nostris primum lapidem fundamentalem nos ponamus, vel advolvere conemur saltem. Nam si hoc admittatur, non omnia Gratiæ divinæ accepta referenda erunt. Atque ita initium salutis, & ædificii Spiritualis à nobis, & nostro est libero arbitrio. Itaq; non Dei, sed nostra sumus Ædificа-

(a) III. Corin. III. 5. (b) lib. de prædest. SS. cap. 2.
(c) Ad Philipp. I. 29.

ficatio. Adde, & sic falsum fore, quod habet Apostolus tam certum, quàm à DEO sibi dictatum: *Qnid habes, quod non accepisti?* 1. ad Corinth. VII. Quo testimonio maximè utebatur S. Cyprianus ad rem hanc stabiliendam ut scribit S. Augustinus (*a*) Signet hæc omnia Christi dictum universalissimum: *Sine me* NIHIL *potestis facere.*

QUARE Concilii Arausicani Patres congruenter divinis oraculis hunc Canonem condiderunt: (*c*) *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei non per Gratiæ donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur.* Cui similia decrevit Tridentina synodus (*d*) inhunc modum: *Si quis dixerit, hominem sine præveniente gratia Dei, & ejus auxilio, credere, diligere & sperare posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur anathema sit.* Formulâ illâ, SICUT OPOPTET sancitur, Fidem illam, quæ est fundamentum Domus Sapientiæ, non posse haberi, absque transnaturali munere, licet alia quædam *Fides*, minus perfecta, quæ *Adquisita* dicitur, & toto genere ab *Infusa*, vel divinitus donata distat, humani sit arbitrii & industriæ (*e*) Solum igitur definitur, Donum DEI naturæ superadditum esse eam *Fidem*, quæ ab Apostolo dicitur ὑπόστασις rerum sperandarum, id est, fundamentum salutis, & Domus Sapientiæ, seu totius fabricæ Spiritualis.

QUOD passim adfirmant Patres Ecclesiæ. Disertè S. Chrysostomus homil. quarta in Epist. ad Ephesios: *Postquam* DEUS *ita voluit, Salvavit fides. Hoc ipsum Dei donum est, ne quis glorietur.* Et paulò ante: *Neque quod fidem concernit,*

(*a*) Aug. de prædest. SS. cap. 3. (*b*) Ioan. XV. 5. (*c*) Arausic. can. 7. Milevit. c. 7. (*d*) Trid. Sess. VI. can. III. (*e*) S. Thomas 22. q. 5. art. 3. Cajet. 1. 2. q. 109. art. 1. & 4. Medina ib. Bannez. 22. q. 6. art. 1. Alvarez. de auxil. l. 6. disp. 49. con. 3. n. 10. Vasq. 2. 12 q. 109. disp. 186. & 187. Lessius de gra. effic. à cap. 10. Bellarm. lib. 6. de gra. c. 1. (*f*) Molin. concor. q. 14. art. 13. à. disp. 7. Valen. To. 2. disp. 8. q. 1. p. 2.

noſtrum eſt. Et S. Hilarius in Pſalm. CXLIII. ad illa: *Quid eſt homo, quia innotuiſti ei.* Confeſſio, inquit, *iſta pulcherrima eſt, ut indignum ſe homo ipſe tanto munere teſtetur. Et cum ſe indignum confitetur, gratiam ejus, qui ſibi hæc largitur, extollit. Quod enim meritum hominis eſt, ut ei ſe* DEUS *cognoſcibilem præſtet?* Clariſſimè quoque S. Ambroſius lib. I. de Pœnit. *Fides*, ait, DEI *donum eſt, ſicut habes ſcriptum: Quia à Deo vobis datum eſt, non ſolùm, ut credatis in eum, ſed etiam ut pro illo patiamini*, ad Philipp. I. Idem docet S. Hieronymus in cap. VI. Epiſt. ad Epheſ. ponderans illam valedictionem Apoſtoli: *Pax fratribus & Caritas cum Fide à* DEO *Patre, & Domino* JESU *Chriſto. Paci*, inquiens, *ſimilis eſt caritas cum fide, quam & ipſe ſimul Deus Pater donat, & Filius.* Ad cujus confirmationem hoc addit Auguſtinus, epiſt. CV. *Fides ad Chriſtum nos trahit, quæ niſi deſuper gratuito munere nobis daretur, non ipſe diceret: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*, Joannis VI. Denique Proſper lib. I. de vocatione Gentium: *Fides quæ bonæ voluntatis & juſtæ actionis eſt genitrix* (en fundamentum ædificii ſpiritualis) *quo ipſa fonte naſcatur, Apoſtolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens:* Primum quidem gratias ago Deo meo pro omnibus vobis *quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo*, ad Rom. I.

IDEM convincit Ratio philoſopho-theologica. Siquidem, aſſentiri Myſteriis à Deo revelatis propter auctoritatem divinam, captivando intellectum in obſequium fidei, res eſt talis, quæ exedit totam facultatem naturæ: quocirca, ſolis naturæ viribus, nemo aſſenſu Chriſtiano in illa ferri poteſt: ac proinde, intellectus & voluntas ſingulari quodam auxilio ſublevari debent. Hoc pacto efficitur à Philoſopho, aquam non poſſe calefacere, niſi prius ab igne, alia-ve ſuperiore cauſſa calefactam: quia calefacere excedit vir-

gu-

tutem naturalem aquæ. Sed multo magis excedit virtutem hominis naturalem, credere Mysteria fidei, assentiu Christiano: cùm & res ipsæ sint transnaturales, & assentiendi ratio, sive objectum formale, à quo specificantur actus, ut norunt Philosophi, naturæ terminis non contineatur. Sed de his fusius est actum in Scholarum exercitationibus. In quibus illorum sententiam non probavi, qui licet assensum supernaturalem agnoscant, in eo tamen substantiam à modo distinguunt & illam intra naturæ cancellos constituunt. (a) Hoc itaque statuatur, ut omninò certum. Initium ædificationis Domus Sapientiæ à Principe supremo dari, ac Fundamentum gratis in animæ fundo poni. Quia revera, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* ad Romanos XI. Quæ sententia urget S. Augustinus lib. de prædest. SS. cap. 2. Massilianos. Juxta decretum Apostoli: Ex DEO sunt omnia. *Ergo & ipsum initium fidei est ex* DEO: *neque enim hoc excepto, ex ipso sunt cetera, sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

(a) Scot. in 3. dist. 23. q. una. Durand. ibid. q. 6. & in 2. dist. 28. q. 1. Gabr. 3. d. 23. q. 2. art. 2. quorum patrocinium suscipit Valentia 2. disp. 1. q. 6. p. 1.

ARTICULUS III.

IMPENSÆ HUMANÆ

Et cooperatio Hominis Ædificatoris, post positionêm Fundamenti factam impensis supremi Principis.

POSITO Fidei Fundamento, vult supremus & Princeps & Architectus, ut hominis etiam impensis cæteræ Ædificii Spiritualis partes adsurgant: id est, ut ejus ope-

operibus, & meritis, tanquam sumptibus; non tamen sine DEI gratiâ auxilioque conquisitis. Siquidem gratiæ divinæ, & virtutum incrementa per merita bonorum operum habentur. Atque ita bonis operibus justificari dicitur homo: nempe, justificatione secunda, quæ accessionem justitiæ, & sanctificationis, vel significat, vel continet. Immò, ipsa prima Gratia sanctificans seu justificans, non est sine aliquo Fidei meritò, ac proinde hoc etiam ipsa Fundamentum habet. Certè S. Augustinus constanter docet, Fidem, non solum impetrare, sed etiam mereri, (*de congruo*, dicunt Scholastici) justificationem.

IN epistola ad Sixtum, quæ est CV. sic scribit: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si Fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit justificatus, merito fidei humiliatus: quoniam, qui se humiliat, exaltabitur.* Et lib. de Spirit. & litt. (*b*) *Quod factorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat.* Iterum, lib. de prædest. SS. *Ex fide dicit Apostolus justificari hominem, non ex operibus* (videlicet, legis, vel naturæ viribus productis) *quia ipsa datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proptiè opera nuncupantur, in quibus justè vivimus.* Adhæc, epistola CVI. ad Paulinum: *Si quis dixerit, quod gratiam benè operandi fides mereatur, negare non possumus: immò, gratissimè confitemur.* Item, lib. I. contra adversarium legis & Prophetarum: in novo Testamento *Fides impetrat caritatem*, Denique, libro de gratia & libero arbitrio: *Fides & non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur.*

UNDE, Fides videtur esse Fundamentum, ex quo ceteræ partes domus progenerantur, aut pulluant. Quod inaudi-

(*a*) Lucæ XVIII. 14. (*b*) lib de Spir. & litt. cap. 13.
(*c*) lib. de prædest. cap. 7.

inauditum in vulgari Architecturâ, verissimum tamen in sacrâ. Quare Fides & *Fundamentum* dicitur, & *Radix*, è qua germina proveniunt. Siquidem virtutes omnes, bonaque opera ex fidei radice procedunt. Ut liquet exemplis ab Apostolis in Epistola ad Hebræos cap. XI. enumeratis. *Fide Abel plurimam hostiam obtulit. Fide Henoch translatus est, ne videret mortem: fide Noë aptavit Arcam in salutem Domus suæ: fide Abraham obedivit, expectans fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus. Fide Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit. Fide obtulit Abraham Isaac. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob & Esau. Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit. Fide Ioseph moriens de ossibus suis mandavit. Denique, ne omnes commemorem: Sancti per fidem vicerunt regna operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.*

Ob hanc caussam, Apostolus scribens Ephesiis, præclara illa sententia; quæ est capite 2do, *Gratia estis salvati per fidem: & hoc nõ ex vobis:* Dei *enim donum est: nõ ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo* Jesu *in operibus bonis, quæ præparavit* Deus *ut in illis ambulemus*: docet quatuor, quæ ad fabricam tropologicam spectãt. *Primùm*, quod illius exordium à benevolentia supremi Architecti ducatur: *Gratia estis salvati.* Deinde, quod ejus munere Fundamentum fidei collocetur: *Per Fidem*, ait. *Præterea*, quod Fundamentum illud nullo nostro merito sit jactum, sed liberaliter à Deo concessum. *Et hoc non ex nobis,* Dei *enim donum est:* & quidem primum ac sincerælíberalitatis. De quo ita S. Augustinus clarè in superioribus differit, ut nullum dubitandi locum relinquat. *Tandem*, quod operibus bonis huic Fundamento superædificatur, Architecti auxiliis potissimum adscribi debere: *Ipsius enim factura sumus creati in Christo* Jesu, *in operibus bonis: quæ præparavit* Deus *ut in illis ambulemus.*

Nimirum, præparat nobis Deus opera bona, quibus Ædificium nostrum perficiamus, tum *Gratia* illa communi, quam *Sufficientem* nominant Scholastici; tum peculiari, quæ dicitur *efficax*, & *congrua*, qua præcipuè Ædificium spirituale exsurgit. Quocirca benè monet Augustinus, quamvis nos, tanquam Ædificatores bona opera faciamus, quæ sanè non facimus, nisi velimus, nihilominus, Deum facere ut velimus. *Certum est*, inquit lib. de gratia & libero arbitrio cap. XVI. *nos mandata servare, quæ volumus, sed ille facit, ut velimus bonum de quo dictum est*, Præparatur voluntas à Domino: *de quo dictum est*: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet *de quo dictum est*: Deus est qui operatur in vobis & velle. Et post nulla: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apostolus*, Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet, usque in diem Christi Jesu. *Vt ergo velimus, sine nobis operatur, cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperamur.* Tamen *sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est*: Deus est enim, qui operatur in nobis & velle. *De cooperante illo, cùm jam volumus, & volendo facimus*: Scimus, *inquit*, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

In eodem libro quæsiuerat anxiè: Quomodo Paulus dixerit: *Non ex operibus*, cum constet operibus, Ædificium Spirituale ac divinum perfici? & respondit: Audi, & intellige. *Non ex operibus dictum, tanquã tuis ex teipso tibi existẽtibus sed tanquã his, in quibus te Deus finxit*, id est, formavit & creavit. *Hoc enim ait*: Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operib⁹ bonis: *non illa creatione qua homines facti sumus; sed ea, de qua ille dicebat*: Cor mundum crea in

me

me DEUS. Et *de qua dicit Apostolus*: (a) si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova: omnia autem ex DEO. *Fingimur ergo*, id est, formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit DEUS vt in illis ambulemus. Denique. libro de prædestinatione SS^rum idem S. Augustinus clarissimè enunciat: *Quod ait Apostolus*: Non ex operibus, *ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo* JESU *in operibus bonis*, Gratia *est*. *Quod autem sequitur* : *Quæ præparavit* DEUS, *ut in illis ambulemus*, Prædestinatio *est*. Ex hactenus dictis conficitur, Fidem, tanquam Fundamentum, liberalitate Principis collocari: deinde, subditorum quoque sumptibus, fabricam erigi; & paullatim ad tectum perduci.

(a) 2. ad Corin. 5. 17. Isa. 41. Apoc. 21. (b) lib. de Præd. SS. c. 10.

SERMO V.

FIDES CHRISTIANA

Quomodo, quà Fundamentum, sit firmanda, ut sit planè immobilis.

Fodit in altum, & posuit Fundamentum super Petram.
Lucæ VI. 48.

ARTICULUS I.

TRES LAPIDUM ORDINES

Ad firmandum Fides Fundamentum necessarii.

QUM Fundamentum Ædificij, maximè, si hoc sit palatium, arx, vel urbs, non constet uno aliquo lapide: sed multis lapidum sibi unitorum ordinibus, in Fundamento, quod

FI-

FIDEM esse probavi, designo triplicem lapidum seriem, arctissimè cæmento & calce unitionis conjunctorum.

PRIMUS ORDO est earum operationum, quæ spectant ad Judicium, quod habet homo antequam rebus fidei assentiatur. Cùm enim *qui citò credit levis sit corde*, ut est apud Ecclesiasticum cap. XIX. ad hoc, ut prudenter quis rebus sibi propositis fidem adhibeat, necessarium est, ut interius ita decernat: Judico rem hanc esse credendam. Variæ itaque sunt hujusmodi functiones, pro rerum, quæ proponuntur, diversitate. Hos actus, velut lapides fundamenti, nectit, ceu Calx tenacissima, *Evidentia credibilitatis*. Testimonia enim DEI credibilia sunt nimis, Psal. XCII. 5. Hanc calcem conficiunt omnia illa, quæ ad evidentiam ingenerandam necessaria sunt; vocanturq; à Theologis *Motiva fidei*. Qualia in Religione Christiana Catholica sunt, tum sinceriſſima Sapientia, quæ in illa radiat; tum consensus gentium, ac populorum omnium; tum auctoritas miraculis confirmata spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata. Item, successio perpetua summorum Pontificum à Petro Apostolo, ad Paulum V. quo sedente hæc scribebam, deducta: præterea, nomen ipsum *Catholica*, cum hæreticorum, gentiumque cætus, proprium habeant nomen segregationis index, & proprios auctores. Sunt præter hæc multa alia, de quibus controversiarum scriptores copios. (a)

SECUNDUS ORDO est actionum voluntatis. Antequam enim quis credat, necessariò vult credere, ac secum prius deliberate statuit: Volo credere quod mihi pro-

(a) BANNEZ, 22. q. 1 art. 8. Valentia q. 1. habet 19. Granat. 1 Introduct. in Sym. 16. Franc. Arias de Imit. B. V. numerat. 10. & per multa cap. exponit Malder. 22. q. 1. quinque Classes motivorum distinguit Lessius consultatione de fide capessendo Campianus octo rationes. Duræus pro campiano Bzovius de notis Eccl. Bellar. lib. ejusdem tit. Grez. Apolo. contra Reg. Ang.

proponitur: Has autem diversissima materia operationes velut lapides conglutinat; instar cœmenti *Pia voluntas* quæ nisi interveniret, nunquã cohærerent credendi proposita. His superimponitur.

TERTIUS ORDO lapidum, qui non sunt diversi ab ipsis Fidei functionibus: Credo DEUM esse: credo omnipotentem, bonum, justum: credo Christum totum, quoad corpus, animam, Divinitatem contineri in hostiâ sacrâ. Hos autem lapides nectit *Revelatio divina*, per Ecclesiæ ministerium nobis insinuata. Porro, tres istos lapidum ordines, ne fluxi sint: nam operationes facilè labuntur & evanescunt, firmant tria veluti saxa ingentia, animæ fundo ita fixa, & inhærentia ut evelli nequeant. Theologi *Habitus* vocant, vel *Virtutes*, aut Dona animis indita. Siquidem Judicio respondet, aut Prudentia supernaturalis, aut Donum intellectus pertinens ad lumen fidei, ut S. Thomas (*a*) existimat. Licet enim in hominibus, qui nondum habent fidem infusam habitualem, Judicium illud procedat ab influxu Dei supernaturali, eo modo, quo actiones aliæ supernaturales; tamen in fidelibus principium habet firmum, atque habituale. Actioni autem voluntatis respondet virtus, quæ à quibusdam appellatur Caritas: (*b*) à nonnullis Studiositas. (*c*) Sed ut arbitror ego, est ab utraque diversa, & dici potest Obedientia Fidei. Denique intellectus functionem producit virtus Theologica, cui nomen proprium,

FIDES.

ARTI-

(*a*) q. 1. art. 4. ad 3. & q. 8. art. 4. ad 2, (*b*) Cajetan. 22. q. 4. ad 1.
(*c*) Valentia 22. q. 1, p. 4. ad 3.

ARTICULUS II.

HOSTIBUS RESISTENDUM

Extremo conatu, ne Fundamentum, quod est Fides, quassent, aut ervant, evellantque.

QUONIAM Fides est Fundamentum, quo everso, totam domum concidere est necesse, id non latet humani generis hostes: hinc tanto ardore, tantoque conatu ad hoc evellendum incumbunt. Hostium enim nostrorum, ut mutuam sibi invicem præstent operam sunt illę cohortationes: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in eâ* Psal. cxxxvi. S. Hieronymus legit: *evacuate, evacuate usq; ad fundamentum ejus.* Alii, evertite, exscindite, vastate, destruite, evellite radicitus: complanate. In vetere Psalterio est, evacuate, evacuate, usque dum fundamenta in ea. In quibus repetitio ardorem, vehementiam, diligentiamque denotat. Quod hostium votum tunc impletur, cum virtutum deiecta fabrica; non relinquitur in fundamento fidei lapis super lapidem, qui non destruatur. Fundamenta pluraliter de fidei promulgatoribus ac Magistris; in singulari numero, de Christo, qui est fundamentum primum, ejusque fide, dici in Scriptura divina, observat S. Gregorius lib. xxviii. moral Christũ Judęi & alii psequutores exinanire, exscindere, & evellere funditus contenderunt: deinde, fidei illius prædicatores. Veniat vobis in mentem, quàm importunis vocibus postularint, ut totius Ædificii Ecclesiastici fundamentum subrueretur: *Crucifige, crucifige eum.* Deinde cum hoc nondum videretur satis ad totius fundamenti exinanitionem, quomodo maximoperè conten-

tenderint, ut nomen fidemque Christi penitus de medio tollerent, prohibentes severissimè ne loquerentur Discipuli in nomine illo ulli hominum, ut est Actuum Apostolicorum IV. Cap. Denique Judæi instigabant gentiles & paganos ad ejusdem fundamentali eversionem. Iis enim tumultuantibus & accusantibus Crucifixerunt Christum Gentiles. Et Herodes videns placere Judæis, Jacobum fratrem Joannis occidit, & in carcerem conjecit Petrum, Actuum XII. Tum Paulum mortis reum facere sunt conati: & universim concitaverunt animos gentilium contra Christianos Activi. XIV. Quod nunc faciunt hæretici contra Catholicos: & unitim vociferantur, Dæmonibus instigatoribus: exinanite, evacuate, effodite usque ad fundamentum: hoc est, domum à fundamento evertite. Nihil enim adeò est in optatis Ecclesiæ inimicis, quàm ut Fundamentum Prophetarum & Apostolorum Christum, ejusque Sacrosanctam fidem evellant.

QUAPROPTER nobis è contrario omni ope est curandum, ut, quamvis ædificium virtutum aliquando detrimenti quidpiam patiatur, hostis ad fundamentum non perveniat: nunquam permittamus, ut vel minima fidei jactura fiat, cùm simus certi, nostris sumptibus fundamentum non posse iterum poni: nullos æstimemus capitaliores hostes, quàm qui Fundamentum Fidei conantur subruere: ejus nobis possessio, quamdiu vivimus maneat illibata: nomen infidelis, hæretici, aut à catholici, ut pestem detestemur. Hæc sunt zelosi catholici in animo decreta. (a) Quæ haud dubiè in se firma verat Abbas Agatho, de quo hæc referuntur in Vitis Patrum. Perrexerunt aliquando fratres quidam ad Agathonem Abbatem nominatissimum in virtute humilitatis, & patientiæ.

(a) *Agatho Abbas lib. 2. Alphab. 19.*

» tiæ. Cùm autem explorare vellent, num verè humilis
» esset, dixerunt: multi in te scandalizantur, Pater, quod
» nimio superbiæ vitio tenearis, & ideò alios despicias,
» ac detractiones adversus eos loqui non cesses & quod
» fornicationis vitio labores. Quibus senex, hæc o-
» mnia, inquit, in me esse cognosco, nec possum nega-
» re tantas iniquitates meas: procidensque in terram,
» eos adorabat dicens: deprecor vos fratres, ut inten-
» tius pro me orare non cessetis, ut mihi ignoscat
» Deus.

» Ad hæc, Fratres: non te lateat etiam hoc, quod hæ-
» reticum te esse quam plurimi adfirmare volunt. Hoc
» cum audisset Agatho, dixit: licet multis peccatis ob-
» noxius sim, tamen *hæreticus penitus non sum*: absit hoc
» ab anima mea. Tunc illi prostraverunt se ad pedes e-
» jus obsecrantes: precamur te Abba, ut dicas nobis, cur
» tanta vitia nobis dicentibus de te, in nullo sis commo-
» tus: de verbo autem *Hæretici* valdè te commouisti, &
» abominatus es, nec ferre potuisti auditum. Dicit il-
» lis senior: illas priores culpas per humilitatem susti-
» nui, ut me peccatorem crederetis: scimus enim quod
» si custodiatur humilitatis virtus magna sit salus ani-
» mæ. Nam cùm Judæi contumelias & convitia plu-
» rima irrogarent Christo Domino, patienter cuncta
» tolerabat, ut nobis exemplũ præberet humilitatis. Cũ
» vero me *Hæreticum* dixistis, sustinere non potui, quia
» hæresis separatio est à Deo. Hęreticus separatur à Deo
» vivo & vero, ac jungitur Diabolo & Angelis ejus.
» Alienatus enim à Christo jam non habet Deum, quem
exoret pro peccatis suis: quia ex omni parte petiit.
quæ-nam de ædificio spes est, si ædificium
sit erutum?

SERMO

SERMO VI.

CONSECTARIA

Doctrinæ de Fide, quatenus est Fundamentum Ædificii Spiritualis.

ARTICULUS I.

Carentes Fide divinâ carent Ædificij Virtutum divinarum in animæ suæ Fundamento.

CUM nulla sit domus, quæ cohærere possit sine fundamento, licet sine domo persistat fundamentum; consequitur, quod in quo non est Fides, aut quæ fide est perfectior, ac magis firma, cognitio DEI clara & intuitiva, non possit esse virtutum divinarum fabrica: licet in quibusdam perditis Christianis maneat nonnunquam fundamentum fidei, parietibus & tecto reliquarum virtutum collapsis. Ex quo colligatur, si vera est Architecturæ Christianæ regula, nullam esse virtutum divinarum fabricam in paganis, idololatris, aut infidelibus: quoniam fundamentum hujus fabricæ est Fides divina, qua omnes isti carent. Non existimo tamen quælibet infidelium opera esse peccata: possunt enim moralia quædam, quæ non sunt crimina, aut delicta, exercere: qualia sunt, loqui, comedere, bibere, ambulare, & similia sexcenta. Deinde, consequitur, in Hæreticis non posse Domum Sapientiæ, quæ est virtutis Christianæ palatium erigi;

(a) S. Thom. 22. q. 5. Valent. q. 5. puncto. 1. 2. §. 4. Banez. Maderus.

quoniam fundamentum fidei non habent. Quod vobis ut omninò persuadeatis magnoperè flagito. Nullus, sive Lutheranus, sive Calvinista, sive Mennonista, sive alterius sectæ. si sit hæreticus, divinam in se fidem habet. At, credit, dicis: credit, ajo, sed non nisi fide humana, vel opinione incertâ, vel persuasione inani. Siquidem hæretici omnes naufragium fecerunt in fide, & abea exciderunt, ex Apostolo, 1. ad Timoth. 1. Denique, nec Damnati in inferno, nec Dæmones Ædificium Spirituale virtutum admittunt, quia fundamento fidei orbati sunt. Dicit quidem S. Jacobus Apostolus cap. 2. suæ Epist. *Dæmones credunt & contremiscunt.* At, vel loquitur de fide naturali, & suo modo coacta, cujus nullum est meritum: vel, ut ego existimo, de fide, quam habuêre adhuc viatores, sed quoniam illam caritati non conjunxerunt, modò contremiscunt. Ut præsens, *credunt*, sumatur pro præterito, *crediderunt*, loquendi formula in divinis Litteris haud inusitatâ.

ARTICULUS II.

Unum Fundamentum. Una Fides.

ÆDIFICII unius unicum esse debet Fundamentum. Quocirca ut Ecclesia est una, ita unam Fidem, ut fundamentum habet. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, inquit Paulus Apostolus Eph. IV. 5. Nam *idem*, ut commentatur S. Hieronymus, *fideles omnes credunt*; eademque est ubique gentium in ijs quæ ad fidem spectant, catholicorum sententia. Magnum præsidium, scribit magnus Papa Leo *Sermone* IV. *est fides integra fides vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam. nec minui potest. Quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: unus Dominus, una fides,*

des, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes. Immò, quoniam antiqui etiam Instrumenti fideles Ædificium spirituale virtutum ejusdem rationis nobiscum extruebant, idem quoque fidei fundamentum jacere ipsos necesse erat. Quocirca Paulus disertè pronunciat II. *Corinth.* IV. 13. *Habentes eundem Spiritum fidei* (nempe cum Patribus Testamenti veteris) *sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus.* Nam, ut rectè monet S. Augustinus, lib. XVIII. de Civitate. cap. XLVII. *Unus Mediator* DEI *& hominum, homo Christus* JESUS *in carne venturus sic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est: ut una eademque* Fides *per ipsum omnes in* DEI *Civitatem prædestinatos perducat ad* DEUM.

ARTICVLVS III.

Fundamentum collocandum in Solido.

EX Architecturæ Canone Fundamentum nec in glebâ molli, nec in glareâ dissipabili, nec in luto putri ponendum est, sed super firmam petram. Hujus contrarium faciunt hæretici, ut suo loco probabitur. Nam fundamentum fidei suæ locant, vel in ratione humana, vel in spiritu privato, quæ arenæ instar facile commovetur ac dissipantur. Catholici infirmissima petra Revelationis divinæ, seu veracitate illa & auctoritate DEI, quæ iis per Ecclesiam innotescit, & falli non potest, aut fallere.

(a) S. Thom. 22. q. 1. vbi Valent. Tanner, Ban. Malder. Bellar. de V. D. & concio. 40. de Assumpt. Suarez, cont. R. Angl. l. 1. c. 11.

ARTICULUS IV.

Fundamentum in solido locatum, roboratur, aquâ, vento, tempestatibus.

HAUD secus Fides, quà Fundamentum, solidatur magis magisque ærumnis & calamitatibus. Id insinuat Paulus Apostolus, secundæ ad Thessalonicenses 1. Cap. *Gratias*, inquiens, *agere debemus semper* DEO *pro vobis, fratres, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra.* Quod exponens S. Chrysostomus. *Tunc* ait, *Fides augetur & crescit, cùm rebus adversis molestisq; tentatur. Quando venti irruunt, irrumpunt imbres, undique attollitur gravis tempestas, crebriq; & densi sunt fluctus, sed nos non labimur, nec vacillamus, nullius alterius est judicium, quàm quod creverit, & super creverit, aliunque facta sit fides nostra.* Adverte autē, *Paulum non dixisse, quod crescat, sed supercrescat fides: id est, maximum sumpserit incrementum.* Græcè est ὑπεραυξάνει, hoc est, valde, & supra modum augescit fides vestra.

ARTICVLVS V.

Fundamentum immutabile.

QUAMVIS parietes, fenestræ, tectum aliæque partes in unâ aliqua domo mutari possint, Fundamentum tamen manet immutabile, & incorruptum: namsi nutet aut mutetut, domus collabascit. Haud secus Fides, quia Fundamentum, persistit omninò immutabilis; quamvis mutentur religionis, pro temporum diversitate, leges, ceremoniæ, ritus, judicia, & quæ apud Theologos, salva religionis substantia, sunt controver-

vera. Ratio est: quoniam Fides nititur illo, qui verissimè de se dicit: *Ego* DEUS *& non mutor. Malachiæ tertio.* Præclarè Tertullianus. (a) *Regula quidem fidei una omninò est, sola immobilis, & irreformabilis. Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinæ, & conuersationis admittunt novitatem correctionis.* Quamobrem S. Hieronymus (b) vocat Fidem, hæreditatem incorruptam scribens ad Damasum Pontificem. Augustinus quoque (c) *Sit*, inquit, *una fides universæ, quæ ubique dilatatur Ecclesiæ, tanquam intus in membris etiam ipsis fidei unitas; & quibusdam diversis observationibus celebretur: quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur.* Quare Agatho Papa ita sanctum reliquit in Synodo Romana: (d) *Execratur vera confessio pietatis, juxta diversitates temporum variam fidem, sicut nec ipse veritatem variari admittit, de quo est ipsa vera confessio, qui dicit: Ego sum & non sum mutatus.*

ITAQUE, Dilecti, cui est in animo, Virtutum in se fabricam erigere, de Fundamento seriò cogitet quod est FIDES, prima pars divini Palatii, ceterarum stabilimentum, oculis, quoad intima, mortalium subducta, sed DEO conspicua. Hæc est illa virtus, *sine qua*, ut inquit Leo Papa, *nihil sanctum, nihil castum, nihil vnum. Sine qua nemo ad filiorum* DEI *consortium potest pervenire*, ut monet Augustinus. (e) Per quam docet Apostolus justorum antiquissimum Abel plurimam DEO hostiam obtulisse, Noë arcam aptasse, Abrahamum obediviſse, filiumque immolare voluisse, Mosen magis elegisse affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: Raab exploratores excepisse, Gedeonem, Barach, Samsonem, Iepthe, Samuelem, Prophetas alios, vicisse regna, operatos justitiam, adeptos repromissiones

(a) lib. de Veland. Virg. (b) S. Hieron. epist. 86. (c) S. Aug epist. ad Casula. (d) Sexta Synodo actio. 4. (e) S. Leo Serm. de Nat. (f) Serm. 38. de Temp.

neminem justorum regnum cælorum sine fide obtinuisse: nam, *Sine fide impossibile est placere* DEO. Memineritis semper, salutis humanæ initium esse Fidem, at consummationem esse Caritatem. (a) Fidem sine caritate posse quidem esse, sed non prodesse. Quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? (b) numquid poterit Fides salvare illum? Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, (c) caritatem aut non habuero NIHIL sum.

(a) S. Aug. 15. de Trinit. cap. 18. (b) Jacobi 2. 14. (c) 1. Corinth. 13 2.

HUMILITAS FUNDAMENTUM DOMVS SAPIENTIÆ seu ÆDIFICII SPIRITVALIS

Qui se humiliat exaltabitur: Lucæ XIV. 11.

Super Maria fundavit eam. Psal. XXIII. 2.

SERMO VII.

HUMILITAS

An & Quomodo, secundum regulas Architectonicæ, censeri possit Fundamentum Ædificii Spiritualis?

ARTI-

ARTICULVS I.

Pro Humilitate, tanquam ædificii Spiritualis Fundamento Doctorum Ecclesiæ Auctoritas.

VT axioma celebratur à vitæ spiritualis Magistris, Humilitatem esse virtutum fundamentum. Quod si verum, dicit quispiam, & negari non posse videtur, ruunt, quæ hactenus de Ædificii Spiritualis Fundamento disseruimus. Siquidem demõstrare conati fuimus, Fundamentum stabile, cui illa Divinitatis fabrica inædificari debeat, esse Fidem, à qua diversissima virtus, tam substantiâ, quàm objecto, immò & subjecto est Humilitas. Verùm utrumque bellè convenire, si aures animumque iis, quæ jam tractare aggredimur accommodaveritis, efficiam, spero, ut ipsimet mecum pronuncietis. Imprimis autem negari non potest, Humilitatem in Ædificio virtutum Fundamentum rectè nuncupari. Hoc enim elogio Humilitatem passim extollunt gravissimi doctissimique Patres-Sanct. Cyprianus Sermone de Nativitate humilis Christi: *Fundamentum*, inquit, *sanctitatis, semper fuit* Humilitas: *nec in cœlo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster Parvulus attulit: & à cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in personâ.* S. Chrysostomus fusius & planè architectonicè, homilia xxxv. in Gen. *Vbq; i modum servemus, ait, & bonis operibus nostris* Humilitatem, *quasi* Fundamentum *substruamus; ut securè virtutes superextruere possimus. Virtus enim non est, nisi conjunctam habeat* Humilitatem. *Qui hoc* Fundamentum *rectè jecerit, poterit, in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare.* Deinde: alia imagine ex Architectura

desumpta firmitatem illius declarans. *Hæc est*, inquit, *inexpugnabilis* Turris: *hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum vel à ventorum violentia, vel ab impetu imbrium, vel à spirituum vi dejici; sed omnibus insidiis inaccessum, facit, & invictum, quasi ex adamante constructum esset, magnasque nobis divinæ largitatis retributiones adfert.* Ejusdem fundamenti stabilitatem eleganter dilaudat commentarius in Acta Apostolica, & hunc in modum scribit: *Nihil Humilitate potentius. Fortior est petra, solidior adamante: & in majorem securitatem nos collocat, quàm queant vel turres, vel urbes, vel muri; omnibusq; Diaboli machinãentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit.* Doctorem suum sequitur Joannes Cassianus collat. xv. cap. 7. *Humilitatem* vocat omnium magistram virtutum, additque: *Ipsa est cælestis ædificii* Fundamentum firmissimum: *ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris. Ista enim universa miracula, quæ Christus operatus est, sine periculo elationis, exercet.* Idem libro XII. Institut. monast. *Nullo modo potest in anima nostra virtutum Structura consurgere, nisi prius jacta fuerint veræ* Humilitatis *in corde nostro fundamenta, quæ firmissimè collocata, perfectionis, & caritatis culmen valeant sustinere.*

Nec in scholâ solùm Chrysostomi Constantinopolitanâ, idolum usurpabatur, sed in Africana etiam. Nam præter Cyprianum, quem antea laudabam, celeberrimum est illud Augustini lib. 1. de verbis Domini Ser. x. quod manifestè Architectonicam sacram sapit: *Magnus esse vis? à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de* Fundamento *prius cogita,* Humilitatis. *Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus* Ædificium, *tanto altius fodit* Fundamentum. *Et* Fabrica *quidem cùm construitur, in superna consurgit: qui autem fodit* Fundamentum, *ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humilitatem.*

tionem erigitur. *Quod est fastigium construendæ* Fabricæ, *quam molimur?* quo perventurum est cacumen Ædificii? citò, dico, usque ad conspectum DEI. Videtis quam excelsum est? quanta res est, conspicere DEUM-Et post multa ejus generis. Para te videre sublimiter, à quo visus es misericorditer. Sed quia magnum fastigium est, de Fundamento cogita. Quo, inquis, fundamento? Disce ab illo, quoniam mitis est, & humilis corde. Hoc in te fode. Fundamentum HUMILITATIS. & perveniens ad fastigium CARITATIS.

NON minus clarè S. Bernardus lib. V. de consideratione ad Eugenium Papam, circa finem, *Bonum quoddam, & stabile* Fundamentum *est Humilitas*. Et epistola LXXXVII. ad Ogerium Canonicum Regularem: *Humilitas, ad quam utique ducit humilitatio, totius est Fabricæ Spiritualis Fundamentum.* Alibi, Humilitatem vocat Fundum. Lib. 2. ad Eugen. *Pretiosus fundus est: bonus fundus* Hmilitas, *in qua omne ædificium spirituale constructum, crescit in templum sanctum in Domino.* Denique in cantica sermone XXXVI. *Nisi super* Humilitatis *stabili* Fundamento, *spirituale ædificium stare minimè non potest.* Ob hanc caussam, *Humilitatem* virtutum primam veterum nonnulli constituunt. Ita S. Hieronymus epistola ad Eustochium de Paula matre: *Quæ prima Christianorum virtus est, tanta se* Humilitate *dejecit, ut qui eam non vidisset* (fortè non noviset) *ipsam esse non crederet, sed ancillarum ultimam.* S. Ambrosius autem in Psalm. CXVIII. Sermone 20. *Humilitas*, ait, *virtutum omnium caput est*, nimirum, initium. Radicem appellat S. Gregorius, qui libro XXVIII. Moral. cap. ultimo ita scribit: *Quia origo virtutis* Humiitas *est, illa in uobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est*, Humilitate *perdurat. A qua nimirum si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in intimis humorem caritatis perdit.* Et sanè, cælestis Magister doctrinam

Evan-

Evangelicam ab *Humilitate* est exorsus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth v.3. Quos, ut interpretatur S. Augustinus, libro de Virginitate cap. XXXII. *sine ulla controversia,* Humiles *intelligimus.*

ARTICULUS II.

HUMILITAS FUNDAMENTUM

indirectè, per accidens, dispositivè.

EX hactenus recensitis *Humilitatis* encomiis, in quibus nominatur caput, origo, radix, initium, ac prima virtutum ideoque Fundamẽtum Ædificii Spiritualis, insurgit difficultas illa minimè dissimulanda, quia ad Architecturam spectans. Cùm domus unius sit unicum fundamentum. Quod, præter superius dicta, ex eo liquet, quoniam fundamentum est prima pars: non potest autem nisi unumquid esse primum: nam primum est, ante quod nihil est. Jam verò, constat etiam, Fidem esse fabricæ de quâ agimus, siue illa dicatur Domus Sapientiæ, sive Ædificium Spirituale virtutum Fundamentum stabile. Excluditur igitur à fundamenti denominatione, & ratione Humilitas, virtus à Fide genere toto diuersa. Agnouit hanc difficultatem, nec dissimulavit S. Thomas, duobus omninò locis in Secunda-Secundæ. Primo quidem quæstione IV. articulo VII. vbi disputat, *Vtrum* Fides *sit prima inter virtutes?* Et docet: Fidem per se loquendo, inter omnes virtutes primam esse. Tamen per accidens aliquam fide esse priorem; sicut removens prohibens: in quantum nimirum, per functionem alterius virtutis removentur impedimenta credendi. Sic

autem virtutem Humilitatis esse priorem Fide: quia Humilitas removet Superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati Fidei. Iterum, quæst. CLXI. art. V. vbi quærit: *Vtrum* Humilitas *sit potissima Virtutum?* ita arguit: Augustini iudicio, Humilitas est virtutum omnium fundamentum. Etgo est potior aliis virtutibus. Respondet autem. Sicut ordinata congregatio virtutum, per quandam similitudinem Ædificio comparatur, ita etiam illud, quod est primum in adquisitione virtutum Fundamento assimilatur, quia primum est, quod in ædificio jacitur. Virtutes autem veræ infunduntur à »Deo. Vnde primum in adquisitione Virtutum, potest »accipi dupliciter. Vno modo, per modum *removentis* »*prohibens*. Et sic Humilitas primum locum tenet: in»quantum scilicet expellit Superbiam, cui Deus resi»stit: & præbet hominem subditum, & patulum ad »suscipiendum influxum divinæ gratiæ, in quantum e»vacuat inflationem superbiæ. Vnde dicitur Jacobi »IV. quod Deus *superbis resistit, humilibus autem dat gra»tiam*. Et secundum hoc, *Humilitas* dicitur spiritualis æ»dificii *Fundamentum*. Alio modo est aliquid in virtutib⁹ »primum, *directè*: per quod scilicet rectà ad Deum ac»ceditur. Primus autem accessus ad Deum est per Fi»dem, secundum illud Hebræorum XI. *Accedentem ad* »*Deum oportet credere*. Et secundum hoc Fides ponitur Fundamentum nobiliori modo.

Ex his colligunt commentatores Scholastici, sensu S. Thomæ, quæ est Theologorum communis: Humilitatem esse Virtutum Fundamentum, non quidem *directè*, & *principaliter*: hoc enim Fidei convenit, sed *Indirectè*, ac *Dispositivè*. Et quidem *Indirectè*, quatenus removet virtutum

S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 7. Bannez, Valentia, Aragonius, Maderus, Tanner, Lessius de Iustit. lib. 4. cap. 4. dub. 7.

tum impedimentum, quod est Superbia. *Dispositivè* verò, quatenus facit hominem DEO subditum, & paratum ad eius gratiæ influxum recipiendum, qui est virtutum semen, origo, conservatio. Vtrumque insinuat Jacobus Apostolus in epistola sua cap. IV. celebri illa sententiola, qua S. Thomas ad id probandum utitur: DEUS *superbis resistit: humilibus autem dat gratiam*. Si DEUS superbis resistit, non igitur dat iis gratiam: impedit ergo superbia influxum divinæ gratiæ, & consequenter virtutum studium, ac ædificationem spiritualem, quæ sine divina gratia, neque inchoatur, neque perficitur. Humilitas autem influxum illum attrahit, excipit, colligit. Eleganter S. Augustinus serm. XXVII. de Verb. D. *Confluit aqua* (gratiæ) *ad humilitatem vallis, denatat de tumoribus colli.* Eiusdem est ista monitio. Serm. CLXXV. de temp. *Videte, magnum miraculum. Altus est* DEUS: *erigis te, & fugit à te: humilias te & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus est Dominus, & humilia respicit, ut attollat: alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat.* Ad hæc, Humilitas quemadmodum facit, ut homo vilipendat se, ita excitat in illo terrenorum despicientiam, cui contraria est æstimatio. Atqui æstimatio rerum terrenarum impedit maximè Ædificationem spiritualem. Quocirca Humilitas tollit impedimentum ædificationis illius, & parat locum ædificio erigendo idoneum: ac proinde rectè dicitur dispositivè FVNDAMENTVM. Sed hoc ex arcanis Architecturæ est explicandum accuratius.

ARTICVLVS III.

ARTIFICIVM ARCHITECTONICVM *ad jaciendum Fundamentum, firmandumq; in aqua.*

OBSERVO imprimis ex Vitruvio, ut ædificium aliquod extruatur, in solo considerandam soliditatē, quam,

quam, cùm non sit facilè invenire in superficiè, fodiendum est, donec perveniatur ad solidum. *Sin autem*, inquit, *solidum non inuenietur, sed locus erit congestitius ad imum, aut palustèr, tunc is locus fodiatur, exinaniaturque, & palis alneis, aut oleagnetis, aut robusteis ustulatis configatur, sublicæq; machinis adigantur quàm creberrimæ carbonibusq; expleantur intervalla palorum, & tunc structuris solidissimis fundamenta impleantur.* Hæc Magister Architecturæ lib. tertio, capite 3. Idē præceptū habet libro v. cap. 12. quod est de structuris in aquâ faciendis: & sic præscribit: *Structuræ quæ in aquâ sunt futuræ, videntur sic faciendæ; uti portetur pulvis à regionibus, quæ sunt à Cumis continuatæ, ad promontorium Minervæ* (intelligit pulverem Puteolanum, (*a*) qui solidatur aquis. (*b*) *is pulvis calce misceatur in proportione dupla, deinde, aquaimmittiatur, densetur, & omnis humor haustoriis instrumentis extrahatur, & cæmentis pulvereum illud solum muniatur.* Addit. *In quibus pulvis non nascitur, saxis ex ulva palustri utendum: illos aquis injiciendos: tum cocleis, rotis, & tympanis aquam exhauriendam, locumq; siccandum, ut fundamenti sit capax. Si terrenus sit locus, usque ad solidum eximaniatur siccetur, & tunc structuræ ex cæmentis, calce, & arena compleatur. Si mollis sit locus, palis ustulatis alneis vel oleagineis, aut robusteis configatur, & carbonibus compleatur, deinde quadrato saxo murus ducatur.*

Ita fieri debere in locis aquosis, & multo magis in mari, ac ejus vicinitate discimus è duobus celeberrimis orbis terrarum emporiis, Amstelodami & Venetiis. Amstelodamum namque Belgicæ totius ocellus, & cella penaria,

Structuræ quomodo in aqua fiant Vitruu. lib. v. XII. cap. *Barbarus Hieronym. Catanetus, de re militari. Palladius lib. 1. cap. 8. Leo Alber. lib. 4. cap. 3. Philander in Vitruu. De Pulvere Puteolano Vitruuius lib. 2. cap. 6. & Sidonius Apollinaris In Panegyrico,* Alnum *in palustribus locis intra fundamenta ædificiorum palationibus crebrò fixam, permanere immortalem ad æternitatem tradit Vitruu.* lib. 2. cap. 9. *Hadrianus Iunius in Batavia.*

penaria, ac horreum in intimis sinus Batavici faucibus positum, cum in paludoso, minimeque firmo sit conditum loco, in eo adactis per fistucas trabibus, atboribusque ingentibus, aut substrata materia per sublicas connexa, ædificiorum fundamenta jaciuntur incredibili impendio: adeò, ut putentur fundamentorum impensæ subinde reliquam structuram æquare, ne dicam excedere. Idem contingit in Venetorum ædificiis. Hæc si per analogiam haud ineptam ad spiritualis ædificii fundationem transferantur, facilè videbimus, quomodo HUMILITAS dicatur benè Fundamentum, sed indirectè, ac dispositivè, removendo impedimenta occurrentia.

ARTICULUS IV.

HUMILITAS

Imum aperit, & ad recipiendum Fundamentum, aptat solum.

AD jaciendum Fundamentum fossione est opus, ut ad imum, ubi soliditas est, perveniatur. Imum spectat Humilitas, imum pertentat demissio: in imo subsidit, & ibi commoratur: imo autem super imponitur Fides, quæ primaria est, & per se Fundamentum. *Humilitas*, inquit B. Isidorus, (*a*) quod approbat S. Thomas, (*b*) *dicitur quasi humi accliuis, id est, imis inhærens.* Et Latinis quidem, Humilis idem est, quod depressus, & figuratè contemptus, vilis, demissus, obscurus, tenuis, ignobilis: & alicubi, *animalia humiliata* vocat Cicero, lib. 2. de natura Deor. in terram dejecta. Itaque, Humilitas infra se omnia locat, ut imum inveniat, quò tendit, non nisi hoc cen-

(a) *lib.* 10 *Etymol. cap.* 8. (b) 2. 2. q. 161. *art.* 1. ad 1.

centro quietura. Et sanè, Humilitas ab humo originationem sumit, quia per illam ad imum, & veluti ad humum usque deprimimur. Hoc autem bifariam potest contingere. *Primò*, si contra voluntatem quispiam deprimatur: atque ita Humilitas est pœna; sicque dictum accipio: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Matthæi XXIII. *Secundò*, si quis suâ sponte, ex consideratione suorum, sive criminum, sive defectuum, sive imperfectionum, aut ob corporis animique imbecillitates se deprimat: quo pacto est virtus, quæ à diversis auctoribus varie describitur. A S. Thoma, (a) *Humilitas est virtus, quâ quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet.* Iterum ibid. ad 2. *laudabilis sui ad ima dejectio* A S. Bernardo, (b) Humilitas *est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*: A D. Basilio, (c) Humilitas *est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur.* Item (d) Humilitas *est, cum quis ceteros omnes se ipso superiores existimat* A Joanne Rusbrochio Doctore mystico, (e) Humilitas *est demissio:* id est, *interna quædam, & profunda cordis & animi coram celsissima* DEI *Majestate inclinatio, & submissio.* A Leonardo Lessio, Doctore Scholastico: (f) *Est virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis, vel factis profitendam.*

ITAQUE Humilis, primò se DEO perfecte subjicit, velut infimum mancipium, ut testa figulo, ut opus factori, ut materia prima efficienti, paratus, ut se disponat, pro suo beneplacito in omnibus, indifferens ad paupertatem & divitias; morbum & sanitatem; infamiam & gloriam; mortem & vitam. Quo spectat illa Petri Apostoli monitio: *Humiliamini sub potenti manu* DEI *ut vos exaltet in tempore visitationis,* Epist. 1. 6. Humilis frequenter

(a) 22. q. 161. art. 1. (b) libel. de gradibus humil. (c) cap. 2. Isai. (d) Regul. brevior. q. 198. (e) lib. de præcip. virtu. (f) lib. 4. de just. & jure, cap. 4. dup. 7.

ter ingeminat illud magni Regis (a) *Nonne* DEO *subjecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum? Verumtamen* DEO *subjecta erit anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* Ejusdem est illud monitum (b) *Subditus esto Domino & ora eum.* Ad idem hortatur Jacobus Apostolus, in Epistola sua Canonica præmissa caussa, quæ meritò quemlibet movere debet: DEUS *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: subditi ergo estote* DEO. Hanc esse Humilitatis conditionem agnovit S. Ambrosius, qui libro x. epist. 84. In eo, inquit, *proprietatem ipsius* (Humilliatis) *definimus, quod per omnia* DEO *subditur.* Idem prolixius exponit S. Bernardus, Sermone de subjectione nostræ voluntatis: *Totius Humilitatis summa*, ait, *in eo videtur consistere, si voluntas nostra divina, ut dignum est, subjecta sit voluntati, sicut ait Propheta:* Nonne DEO subjecta erit anima mea? *Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit subjectam esse Creatori; sed à creatura rationali voluntaria subjectio quæritur: ut voluntariè sacrificet Domino & confiteatur nomini ejus: non quia terribile & sanctum, non quia Omnipotens, sed quia bonum est.* Confitemini Domino quoniam bonus: Dicat nunc Israël, quoniam bonus: *quoniam in seculum misericordia eius.* (c)

JAM verò, nemo Fundamentum Fidei collocare potest in animâ, nisi per Humilitatem ad hoc Imum pervenerit. Nullus enim credit, ut oportet, nisi intellectum suum auctoritati divinæ subjiciat: nullus virtuti dat operam, nisi mentem suam divinis præceptis, & voluntati DEI subdat. *Quomodo vos potestis credere,* inquiebat Phariſæis Christus Dominus, *qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo* DEO *est non quæritis?* Joannes V. Ubi notat Maldonatus, hoc hodie multis hæreticis accidere, è quibus multi vanæ gloriæ abrepti cupiditate & superbia, non solùm ad Ecclesiam, quam malo consilio se de-

ser-

(a) *Psal.* LXI. 2. (b) Psal. XXXVI. 7. (c) Psal. CXVII.

ferviſſe manifeſte deprehendunt, redire nolunt, ſed crudeliſſimi etiam in catholicos ſunt, lacerant convitiis Chriſti Vicarium, vident ſacra, ſimplicitatem & fidem noſtram ſtultitiam appellant, ut ſatis idonei miniſtri videantur. Fundamento ergo fidei ſubſternenda eſt Humilitas, ac proinde hæc non immeritò Fundamenti nomen parti cipat.

PORRO, quoniam, qui infra DEUM conſiſtit, nondum ad infimum locum pervênit: nam infra DEUM ſunt Seraphini, Cherubini, aliæque Mentes Beatæ, quibus cum homo minimè poteſt comparari: ex Architectonicæ autem Regulâ, quo majus eſt ædificium, eo altius eſt fodiendum fundamentum: maximum verò, ſive ſublimiſſimum ædificium, eſt virtutum fabrica, quippe tantæ celſitudinis, ut ſupra illam altior eſſe nequeat, cum ejus culmen, ut rectè docuit Auguſtinus, ſit conſpectus DEI; hinc Architectus Chriſtianus, haud contentus, quod ſit infra DEUM, per Humilitatem tendit etiam infra omnes homines, ita, ut nulli hominum ſe anteponat. Verè humilis non ſolum majores reverentiæ ſignis prævenit, ſed & æquales ac inferiores honore dignatur, & iis, quantum permittit muneris ratio, ſe ſubjicit, ut in imo conſiſtat. Ita fodiebat, ut ad ſolidum & imum Humilitatis perveniret S. Chryſoſtomus, atque ad idem cooperarios ſuos hortabatur, ſic ſcribens homil. 33 in Geneſ; *Nos non eis tantùm, qui ætate nobis ſunt majores, vel etiam æquales, honorem exhibemus: non eſt enim Humilitas, quod facere debes neceſſitate: vera autem eſt, quando cedimus iis, qui nobis videntur eſſe minores, & eos veneramur, qui nobis videntur eſſe magis indigni ut honorentur. Quod ſi rectè ſapimus, nullos etiam nobis eſſe minores arbitrabimur, ſed nos ab omnibus excellentiâ vinci dicemus. Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immerſi ſumus peccatis; ſed etiam, ſi quis ſibi plurimorum benè geſtorum conſcius*

sit nisi apud se sentiat, quod omnium est postremus, nulla ei utilitas futura est, ex omnibus suis bonis operibus. Similis est præceptio S. Ambrosii epist. LXXXIV. ad Demetriadem: *Prima humilitatis ratio in communis vitæ versatur officiis, cum secundum doctrinam Apostolicam, invicem se homines honore præveniunt: & alter alterum superiorem existimantes, amant servire subjecti, & nesciunt tumere prælati: cùm & pauper divitem non sibi dubitat anteferre, & dives pauperem sibi gaudeat æquare. Cùm & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ. Cùm denique non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus: nec major ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum in honora justitia.* In eandem sententiã graviter S. Bernard. sermone XXXVII. in Cantica Canticor. *Non est periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes te minorem, quàm sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas: si vel uni videlicet in cogitatione tua te præferas: quem fortè parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quamobrem nolite homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, O Homo, si unus ille, quem fortè omnium vilissimum, atque miserrimum reputas, sit melior te, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in* DEO *verò jam sit. Et propterea Dominus, non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit, sed recumbe,* inquit *in novissimo loco.*

ITAQUE, uera Humilitas instigat suum alumnum, ut conferendo se aliis, censeat se omnibus viliorem, ac deteriorem. Quod citra veritatis jacturam fieri potest, si consideret se secundum ea, quæ de seipso habet, alios verò secundum ea, quæ ipsi habent, & sunt à DEO. Hoc est ingenium Humilitatis: in se intueri sua mala, in aliis ipsorum bona. Sicut è contrario Superbiæ indoles est,

inten-

intendere in sua bona, & in aliorum mala. Quisque autem secundum sua est deterior, quàm sint alii secundum ea, quæ sunt DEI.

ARTICULUS V.

HVMILITAS

Quomodo incitare possit Humilem, ut sine falsitate, quamvis sit summus, se omnibus inferiorem æstimet, dicat, profiteatur.

EX hactenus dictis satisfit Quæsito, quod fortasse quempiam torquere posset: Quomodo absque mēdacio sive dicti sive facti, & sine conscientiæ remorsu, quilibet, ex Humilitatis instinctu, queat se omnibus inferiorem existimare, atque adeò dicere, & debeat interdum talem sese exhibere? Siquidem non rarò contingit, quempiam multis partibus esse ejusdem vel alterius sors hominibus superiorem. Et augetur difficultas illo S. Augustini dicto libro de natura & gratia cap. XXIX. Humilitatem collocandam esse in parte veritatis, non in parte falsitatis. Sed aliqui sunt, inquit S. Thomas, in supremo statu, qui, si se inferioribus subjicerent, absque falsitate hoc fieri non posset. Respondet autem S. Doctor, 22. q. 161. art. 1. In homine posse duo considerari: scilicet, id, quod est Dei, & id quod est hominis: hominis autem est, quicquid pertinet ad defectum; sed Dei est, quicquid pertinet ad salutem, & perfectionem, secundum illud Oseæ XIII. *Perditio tua Israël ex te est: ex me tantum auxilium tuum.* Humilitas autem prior respicit reverētiam, qua homo DEO subjicitur; & ideò quilibet homo secundum id, quod suum est, de-

„ bet se cuilibet proximo subijcere, quantum ad id,
„ quod est DEI in proximo. Non autem id requirit Hu-
„ militas, ut aliquis id, ꝙ est Dei in ipso se, subijciat ei,
„ quod àpparet esse Dei in altero. Itaque si præferamus
„ id quod est Dei in proximo, ei, quod est proprium in
„ nobis, non incurrimus falsitatem. Vnde superillud
ad Philippenses secundo: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, ait glosa: *Non hoc ita debemus æstimare, ut nos æstimare fingamus: sed verè æstimemus posse esse aliquid occultum in alio quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse non sit occultum.*

HAVSERAT fortasse illam suam doctrinam S. Thomas ex B. Anselmo, qui in libr. similit. cap. CIX. cujus est inscriptio: *Quomodo vnusquisque se minorem omnibus putet*
„ hunc in modum ratiocinatur. Nonnunquam ideò ex-
„ tollimur, quia nos aliis non rectè comparamus. Vi-
„ dendum igitur quomodo sit comparatio instituenda.
„ Si enim nos aliis volumus comparare, ea tantùm de-
„ bemus considerare, quæ à nobis sunt in nobis, non à
„ DEO, quasi præstita nobis. Sic namque agit, qui debo-
„ nis à Deo sibi præstitis super alium extollitur, sicut qui
„ vestibus indutus gloriatur. Non ergo hæc aliorum
„ bonis comparare debemus; sed mala tantùm nostra,
„ quæ à nobis sunt, & in nobis habemus. Quod si feceri-
„ mus, mala videlicet nostra bonis aliorum ut confer-
„ mus, non inferiores esse ceteris omnibus nobis ipsis
„ videbimur. Quod cõtra, quia Superbi faciunt, etiamsi
„ sint omnibus deteriores, cunctis tamen judicant se
„ esse meliores. Sua enim bona tantùm attendentes a-
„ liorum malis comparant, quorum mala nullatenus
„ considerare deberent.

ITAQUE docent Theologi, tribus modis posse quempiam alios se superiores judicare absque ullâ falsitate.

Pri-

Primò, comparando id quod ipse naturaliter habet ex se cum eo, quod alter habet ex peculiari DEI dono. *Secundò*, comparando donum ipsum minus, quod habet ex Deo, cum dono aliquo majore, quod ex Deo habet alter. *Tertiò*, comparando defectum aliquem suum cum bono aliquo, quod habet alter. Faxit humilium Doctor Christus Dominus, ut quàm benè intellgimus, Domus Sapientiæ Fundamentum esse Humilitatem, tam promptè illam cordi nostro infigamus, *humiliantes nosmetipsos sub potenti manu* DEI, *ut nos exaltet in tempore visitationis: omnem solicitudinem nostram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis*. Ipsi laus, honor & gloria in secula sempiterna. AMEN.

1. *Pet. v.* 6.

SERMO VIII.

HUMILITAS

Quomodo in imo fundum solidet, ad suscipiendum, retinendumq; Fundamentum Fidei.

Super maria fundavit eam. *Psalmo* XXIII. 2.

ARTICULUS I.

Ædificium spirituale extruitur in aquâ.

DEMONSTRATVM est in superioribus, Domus Sapientiæ, sive Ædificii, quod construitur ex virtutibus in anima, Fundamentum per se, ac primarium esse primam virtutem Theologicam, quæ dicitur FIDES. Hanç tamen præcedere

dere debere Virtutem aliam, quæ removeat impedimentum: nempe, Humilitatem; per quam ejicitur Superbia, quæ Fidem impedire solet. Quod illustravimus ex regulâ Architecturæ vulgari, quâ præscribitur, ut Fundamentum locetur in fundo solido. Quod si soliditas non habeatur in superficie, fodiendum esse, usque dum perveniatur ad id, quod est solidum: reperiri autem solidum tandem in imo. Hoc imprimis est officium Humilitatis, quæ palam considerationis aut notitiæ suæ traducens, per omnes ordines rerum, & hominum præcipuè, se in imo seu infimo statu esse considerat, & ita sibi persuadet. Nimirum, quod sit infimus, ac minimus omnium: minimus in ordine Prælatorum, minimus in ordine Ecclesiasticorum, minimus in ordine Secularium, in ordine litteratorum, in ordine virtuosorum, in ordine Religiosorum. Quam persuasionem haberi posse, absque ulla falsitate, aut fictione probavimus penè apodicticè, firmius quàm per ullam demonstrationem mathematicam.

JAM verò, cùm ad imum fossione ventum est, sæpe aqua erumpit, aut aquis obrutum solum sese offert: quid tunc facto opus? Cùm structura in aquâ facienda est, tunc pulvere locum esse condensandum docet optimus Architecturæ Magister Vitruvius, cujus verba superius adnumeravimus. Simile quid in spirituali ædificatione fieri debere omninò existimo. Dum virtutum Ædificium erigimus, in aqua ædificamus, non solùm, quia Baptismi Sacramentum, omnis est justificationis & sanctificationis initiũ, ita ut fundamentum fidei ponatur eadem concha, in qua mergimur, sed ob alia multa, quæ jam subnectam. AQVA in divinis eloquiis, doctrinam Christi, ab ipso & Apostolis mundo promulgata significat. Vnde prædicatio Christi, Prophetarum, & Apostolorum,

lorum, *Vox aquarum multarum* dicitur, Apocalypsis 1. Deuteronomii xxxii. Orator Moses, cùm petiviſſet audiri: *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei*, ſermonem ſuæ aquæ multifariam comparat. *Concreſcat ut pluvia doctrina mea: fluat ut ros eloquium meum: quaſi imber ſuper herbam: & quaſi ſtillæ ſuper gramina.* Et eſt ſanè illuſtris ſimilitudo iſthæc, ad prædicationem exprimendam. Siquidem ut obſervat Abbas Joachimus: Hugo Victorinus, Ruper. Tuitienſis in Apocalyp. & alii, quemadmodum guttæ decidentis pluviæ, ſono multiplici concorditer ſonant, ita multiplicia Sacræ Scripturæ eloquia, in quibus loquitur Chriſtus, eandem ſonant veritatis ſententiam. Et, ut ſonus aquarum, id eſt, fluviorum impetus, per prærupta loca ruentium longiſſimè auditur, haud ſecus, Chriſti prædicatio ad fines uſque terræ penetravit. Nam *in omnem terram exivit ſonus eorum*, quos miſit prædicare Euangelium, & in fines orbis terræ verba eorum. Atque hæc eſt illa *Pluvia voluntaria*, quam Deus ſegregavit hæreditati ſuæ, pſalmo lxvii. Deinde, Gratia divini Spiritus Aqua nuncupatur à Chriſto Joann. vii. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent* Aquæ-vivæ. *Hoc autem dixit de* Spiritu, *quem acceperi erant credentes in eum.* Quo loco, per *flumina*, redundantem caritatem intelligunt, S. Auguſtinus & Beda: lætitiam ſpiritualem D. Baſilius & Ammonius: Doctrinam Euangelicam B. Ambroſius, (*a*) Gregorius, (*b*) Rupertus: (*c*) accommodatius ad ſenſum Chriſti D. ut exiſtimant graves Interpretes, Gratiã, donorumq; Spiritus-Sanctiabundantiam, ut D. Chryſoſtomus, Leontius, Origenes, (*d*) alii. (*e*) In his autem Aquis Ædificium virtutum eſt extruendum. At nunquam in iis poterit conſiſtere

(*a*) Lib. x. epiſt. 82. (*b*) lib. xviii. Mor. cap. 23. (*c*) Ioann. vii (*d*) Hom. 12. in Num. (*e*) S. Hilar. pſ. 64. S. Hier. q. 9. ad Hedibiam.

ſtere Fundamentum Fidei, niſi ex Architecturæ præſcripto pulveris, cineris-ve aggeries iis injiciatur, quæ ipſis his aquis denſari ſolet, ut Fundamentum firmiter ſuſtineat. Quod paulò clarius fuſiusque explicandum eſt.

ARTICULUS II.

HUMILITAS

Tanquam Pulvis & Cinis, denſat, ſolidatq; fundum animæ in Aquis ad ſuſcipiendum Fundamentum Fidei.

PULVIS & Cinis ſymbolum ſunt, ut vilitatis, ita Humilitatis. Hinc *Pulvis* & *Cinis* dicitur homo, ut humana vilitas, abjectio, & humilitas ſignificetur. *Pulvis es*, inquiebat DEUS, *& in pulverem reverteris.* Geneſis tertio. Et Iob cap. x. *Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Iterum. c. XXXIV. 15. *Homo in cinerem revertetur.* David quoque, Pſal. III. 29. *Auferes Spiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur,* Denique, Eccleſiaſtes cap. XII. *Revertatur pulvis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Pia eſt ceremonia quæ ducit ad vilitatis ſuæ conſiderationem Pontificem recens electum. (a) Proficiſcitur magna pompa ad Eccleſiam Lateranenſem, coronam Papalem acceptu-rus. Comitantur Cardinales, Principes, Regum Legati, concurrit infinita hominum multitudo: acclamantur varia ad plauſum: perſonant tubæ, concinunt muſici; ſed una eſt cantilena utiliſſima, quæ ex antiquiſſimo inſtituto conſidenti in lapidea & ſtercorea ſede, ut vocatur, occinitur: (b) *Suſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem.* Fuit etiam mos vetus, ut qui ſe humiles

(a) Thomas Boſius lib. II, de Signis Eccl. cap. 10. §. 21. (b) Pſal. CXII. 7.

miles alicui exhibere destinarent, pulvere & cinere, vel alterutro caput conspergerent. Et quoniam supplices, quique à DEO oratione quidpiam obtinere desiderant, maximè decet humilitas, hinc pulverem lingere, caput pulvere fœdare, procumbere in cineres dicebantur: & revera id faciebãt. Isa. XLIX. *Erunt Reges nutritii tui: & Reginæ Nutrices tuæ: vultu in terrã demisso adorabunt te, & pulverẽ pedũ tuorũ lingent.* Quò spectat illud Threnorũ tertio: *Ponet in pulvere os suũ, & prosternetur corã Domino suo, si fortè sit spes.* Vbi Chaldæus, *Dabit in pulverẽ os suũ, & prosternetur coram Domino suo, si fortè sit spes:* hoc est, supplicem se abjiciet, & dedititii, ac humiliantis in morem ante Dominum, si vel ita, nempe, tot humilitatis significationibus, possit veniam impetrare. Aut, de se ipso demissè sentiens, & loquens, gestu quoque habituque humillimum præsentabit, si fortè vel sic Dominus respiciat afflictionem.

HVNC morem Gentilium quoque fuisse, & antiquissimum, & ab Assyriis Hebræos accepisse, aut ab his istos potius existimant eruditi. Sedisse enim, sive procubuisse inter pulveres & cineres supplicaturos Homerus (*b*) auctor est: apud quem Alcinoo Regi supplicaturus Vlysses procumbit in cineres:

Sic ait; & cineres inter desedit, ad ignem
Ipse foco admotus. ---- deinde sic orat.
O Rex Alcinoë en tibi stratus supplicat hostis.
Non decet, ut lapsus jaceat sub pulvere denso
Procumbens adeò ----

ita quoque Marium Coriolanum Volscorum Principi supplicasse scribit Dionysius Halicarnasseus. Hinc multa intelliguntur è Sacris litteris, quæ ritum istum respi-

(*a*) Mos supplicantium. Aristot. in Oeconomicis. Apollon. 3. Argon, Plutar. de Virtut. mulier, (*b*) Odyss. 7.

ciunt. lib. 1. Regum secundo canit Anna Samuelis mater, post humiliationem gratiam consequuta: *Dominus mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* brevissimè. Humilem exaltat, & in altum elevat. Ejusdē generis est illud Psalmi XLIII. *Humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.* Pulverem igitur & Humilitatis symbolum in supplicando adhibebāt Hebræi: & Pulvis statū ipsum humilitatis & miseriæ significabat. Isaiæ XVI. *Finitus est puluis*, id est, *status miseriæ ac humilitatis.*

PVLVEREM istum Humilitatis, Fundamento Fidei supponere, & addensare oportet, si in aquis Christianæ doctrinæ, veræ religionis, & divinæ gratiæ, Virtutum Ædificiū velimus extruere. Fuit hujus artificii architectonici peritus imprimis antiquissimus Virtutū artifex, & fideliū Pater Abraham, cui cùm DEus amplissimum fundum aquis gratiæ immersum, cui ædificium suum inædificaret, liberalissimè offerret, ille sciens in his aquis fundamentum non poni nisi pulvere immisso, illum prius copiosè sparsit. Hinc illæ immortalitati consecratæ voces, Genes. XVIII. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Iterum. *Quia semel cœpit loqui ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Hoc substrato pulvere, *Credidit Abraham* DEO. Gen. XV. 6. id est, fundamentum fidei jecit, *& reputatum est ei ad Iustitiam* Galat. III. nimirum, ab eo tempore, Justitiæ, quæ virtutes omnes complectitur, altissimum palatium cœpit extruere.

AD hunc ædificandi in aquis Gratiæ modum, divini Architecti magisterio erudita, hortatur suos Operarios Ecclesia, Architecturæ Christianæ peritissima. Quæ quarta ante Quadragesimam feria, quando tempus spiritua-

ſpiritualiter ædificandi maximè opportunum incipit, pulverem ſummoperè commendat. Et quoniam non ignorat, ubique aureum illum Humilitatis pulverem haud provenire, ipſa affatim ſuppeditat, dum ſacerdotum manibus offert abſque auro vel argento, pulverem benedictione ſacratum, addito elogio: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Porrò, quando Ædificium ſpirituale, ſeu Domus Sapientiæ, quæ fundum habet aqueum, nempe doctrinam Chriſti, & Divini Spiritus gratiam, Humilitate vera ſoliditatem adquiſivit, ſpes eſt fore eam maximè diuturnam, immò, æternam. Tales Domus ſunt Religioſorum familiæ, quas Spiritus Sapientiæ inchoavit, eduxit, perfecit, vera illarum Architectrix. Quam ut ſuâ peculiariter agnoſcit, inter ceteras, SOCIETAS JESU, cujus Fundator IGNATIVS, tam voluit eam eſſe Humilem, ut juſſerit, vel ipſo nomine extremam humilitatem profiteri, nominans ſemper MINIMAM. A quâ voce orditur Examen candidatorum, ſic præſcribens. *Hæc* MINIMA CONGREGATIO, *quæ à Sede Apoſtolica, primâ ſui inſtitutione,* SOCIETAS JESU *nominata eſt.* Quo factum, ut eo nixa fundamento, per unam annorum centuriam, quam Seculum vocamus, ſteterit immota, plurimis licet impetita, adverſitatum undique ingruentium procellis ac tempeſtatibus Societas. Quamobrem ad gratitudinem ſuam demonſtrandam DEO Sapientiæ Domino, Fundatori primo ac Conſervatori ſuo, ſtatuit per orbem univerſum peculiari devotione, cultu, officiis divinis, alijſque gratitudinis ſignificationibus totum annum inſequentem tranſigere, tanquam annum natiuitatis ſuæ centeſimum, ſive Secularem. Cujus exempla habet in antiquitate, tum Eccleſiaſtica, tum civili quam plurima, ut fuſius ſuo tempore explicabitur. Illius initium erit feria III. hujus hebdomadis,

domadis, seu XXVII. Septembris. Nam prima Instituti SOCIETATIS JESU approbatio facta est à Paulo III. Pont. Max. Anno M. D. XL. V. Kalen. Octob. Ad quam diem celebriorem faciendam, transigendamque cum fructu spirituali, Eminentissimus Cardinalis MARTIUS GINETTUS, Legatus de latere, facta sibi potestate à Supremo Sacrorum antistite VRBANO VIII. concessit Indulgentiam Plenariam. Ad quam obtinendam, DEOque nobiscum gratias agendas invito meos Auditores, quos ut maximè benevolos Societati, adfore frequentes confido.

ARTICULUS III.

HVMILITAS

Animæ solum, velut paludosam tellurem, siccat haud secus ac Pulvis & Cinis terram aquosam.

HAud malè dixero, vel incongruè, ut opinor, Animam, cui virtutis imponenda est fabrica, esse veluti terram aquis immersam, vel palustrem, quæ undique aquis scateat: nimirum, perturbationibus immodicis, imperfectionibus, defectibus, peccatis, & nonnunquam criminibus, ac sceleribus. Ita profectò se rem habere nō pauca in Divinis Oraculis satis clarè indicant. Quàm illustre est illud psalmi LXVIII. *Salvum me fac* DEUS, *quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam*, Quo loco D. Chrysostomus, per aquas intelligit secularia negocia, fluxa, & mortalia: Origenes verò, tentationes, quæ recèns natis, aut ad Deum conversis imminent à Diabolo, tanquam à Pharaone: nonnulli, peccata: ut intrare aquas usque ad animam, significet, periclitari tentationibus,

tationibus, cogitationibus pravis, desideriis perversis, mundanarum rerum affectibus, aut etiam peccatis animæ salutem. *Bibit, quasi aquam, iniquitatem.* dicitur Job. xv. Ubi haud dubiè symbolum iniquitatis est aqua. Sicut in psalmo CVIII. *Intravit sicut aqua interiora ejus.* quidnam? dolus, malignitas, fraudulentia.

Ut ponatur itaque Virtutum fundamentum in anima, ejici primum haustoriis instrumentis, qualia sunt dolor, pœnitudo, contritio, confessio, satisfactio debet hæc aqua. Tum pulvere insperso exsiccari, quod remansit madidum solum. Nullus autem magis idoneus ad exsiccandum, est pulvis, quam Humilitas, cujus vis, tum solidandi, tum exsiccandi longè est efficacior, quàm pulveris Puteolani. Cum igitur Humilitas. imum in virtutum ædificio locum occupet, & Fidei substernatur, rectissimè Fundamentum fabricę spiritualis dicitur; indirectè tamen ac dispositivè, quia obstacula removet.

SERMO IX.

HUMILITAS

Complanat Animæ fundum, ut in eo ædificari possit.

Omnis Vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Lucæ III. 4. 5.

ARTI-

ARTICULUS I.

COMPLANATIO SOLI

Necessaria est ad Fundamentum constituendum.

FVNDAMENTVM locandi obstaculum, unum è præcipuis, est soli inæqualitas. Quo circa prima Architecti consideratio esse consuevit de complanatione, quæ fit vel *Depressione*, vel *Expletione*. Si locus monticulos colliculós-ve, aut eminentias protuberantes habeat, auferendæ sunt, aut deprimendæ: si valles, vel fossas, expleri debent, ut sit planities, cui inædificetur. Quod diligentissimè servatum est à Salomone in ædificatione templi. Nam ut haberetur loci, in quo est extructum, æqualitas, ingentes ab eo factas esse substructiones scribit Josephus historicus. Lib. VIII. cap. 2. Et, *dici*, inquit, *non potest, ac vix etiam oculis credi, quàm mirandum fuerit illud exterius fanum. Siquidem vallibus expletis tam profundis, ut ad prospectum oculi caligarent, & aggestâ ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum extructum est, æquavit: Atque hoc modo factum est, ut area fani cum solo templi æquaretur.*

ALIO tempore Salomon, ut haberet planitiem aptam ad ædificãdas domos ingentem coæquavit voraginem, de qua lib. III. Reg. XI, sic scribitur, *Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David patris sui.* Mello erat vorago, ac vallis profunda, ac lata admodum, quæ montem Sion à civitate inferiori discernebat: atque à porta aquarum, Occidentem versus usque ad portam piscium extendebatur. Ab hac voragine David montem

Sion

Sion per gyrum ædificavit, ac munivit. Hujus igitur concavitatem Salomon, ut esset locus pro ædibus utrumque in platea, quam ibi aptari cupiebat, coæquavit, & ædificiis ornavit. Scio Hebræos, per *Mello*, quod Hebraicè significat *Plenitudinem*, intellexisse locum comitiorum, quia illis congregabatur populus ad consultandum de rebus agendis. Alios existimare fuisse aggerem, qui cingebat arcē. Nonnullos putare, fuisse fossam circa arcem, quæ dicta sit *Mello*, quod aqua impleretur. Quosdam autumare, fuisse summitatem, sive verticem montis Sion. Sed quod diximus benè probant nostri temporis Chorographi, & Scriptores de Vrbe ac templo Ieroſolymitano, Richardus, Adrichomius, Sanchez, Salianus, Arias, (*a*) Villalpandus: quibus accedunt Sctipturæ interpretes, (*b*) Menochius, Tirrinus, Cornelius. Jam vero, ut ad tropologicam nostram Ædificationem redeamus.

(*a*) Villalp. lib. 2. de Temp. cap. 2. de Apparatu. (*b*) Lib. 2. Reg. c. 5. & lib. 3. 11.

ARTICULUS II.

HUMILITAS

Tollit tumores fundi impedientes extructionem Ædificii.

HVMILITAS, vel est ipsa animæ planities ac æqualitas, vel illam inducit, quia tollit omnem tumorem elationis. Quicquid superbia est eminens, complanatur Humilitate. Omnis collis & mons arrogantiæ Humilitate deprimitur aut sponte subsidit, ut fiat æqualitas. Humilitas est ipsa elationis depositio, & inæqualitatis ex hoc capite ablatio. Certè, inter signa hominis verè demissi ac humilis exprimit S. Basilius in Regulis suis brevio-

brevioribus: cap. 198. Si æqualiter semper unoq; tenore submissè se gerat, ac humilitatē consectetur, & in ea mēte se exerceat. Sanctus verò Ambrosius indagans causam perpetuæ cujusdam cōcordiæ, & æqualitatis in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, in quo multi nunc sunt potentes, plurimi nobiles, docti non pauci: cùm alii, numero vel superiores, vel æquales, sint infirmi, pauperes, rudes: quod magis adhuc apparet in benè constitutâ Religiosorum familiâ. Existimat autem Antistes ille sapientissimus hanc æqualitatem esse humilitatis effectum. lib. x. Epist. 34. *Hæc*, inquit, *virtus vera Humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus, nunquam sui potest esse dissimilis. Nam & in officiorum vicissitudine, & in mansuetudinis lenitate, & in voluntariæ paupertatis electione invenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui devotione, aut major, aut minor est. In vera autem humilitate nihil divisum, nihilq; non solidum est: & ideò omnes participes suos unum facit, quia inæqualitatem ipsa non recipit.* Itaque Humilitas exuberantia deprimit, aut tollit, sicque solum, cui inædificandum, ad æqualitatem redigit.

ARTICVLVS III.

HVMILITAS

Implet Valles. Obstruit foramina. Coæquat Voragines.

ILLUD mirum est, sed haud minus verum, quàm superiora, quod Humilitas, si quid reperiat nimis depressum in animæ fundo, si quid lacunosum, cavumque, immò, si ingentem hiatum, ea expleat illicò, ut coæquetur concavitas. Id ut demonstret D. Anselmus, jubet concipi Superbiam, tanquam fossam, aut vallem palustre m;

strem, quæ nisi Humilitate, velut monte solido impleatur, non est aptum ædificationi fundamentum. Digna autem est attentione vestra Doctoris præclari hac de re planè architectonica commentatio, in libro similitudinum cap. XCVIII. cujus est inscriptio: *De ædificante domum.* Et, quod *Superbia sit vallis maxima bestiis vitiorum plena.*

» Sic agere decet, inquit Anselmus, qui ad virtutes » tendit, velut, qui Domum ædificare debet. Qui enim » Ædificium vult facere stabile, soliditatem prius con- » sideret terræ, quo scilicet fundamentum firmum sup- » ponere, parietes erigere, tectum superimponere, tu- » tusque possit inhabitare. Sic qui virtutum vult facere » Ædificium, quo securus inhabitet ab insidiis Dæmo- » num, illud est providendum, ut locus ædificationis sit » firmus: nam nisi fuerit, Ædificium diu subsistere non » poterit. Hoc itaque solum, vel terra bona est HVMI- » LITAS, cujus cunctis virtutibus congruit natura, eas- » que, velut firmum FVNDAMENTVM sustentat. NON » est in altum elevata Superbia, sicut quidam putant, » sed demissa, & vallis maxima bestiis vitiorum plena, » & caligine tenebrarum densissima. Nam quanto am- » plius quis superbiæ involvitur, tanto minus lucem ve- » ritatis intuetur. Nec claré justum ab injusto, quam diu » in tenebris, id est, in cæcitate sui cordis jacet, discerne- » re superbus potest: sed quæ sunt distorta æquè sectatur, » ut recta. Unde fit, ut in valle istâ tenebrosa vitiorum » sit copia, quasi bestiarum crudelium multitudo ma- » gna. Nam leones crudelitatis, vulpes calliditatis, ser- » pentes venenatæ invidiæ, ranæ garrulitatis, & iracun- » diæ, ceteraq; vitiorum animalia solent ibi abundare. » Deinde, capite XCIX. Humilitas, ait, mons magnus est, » in cujus summitate lux est non modica; & honesta- » rum personarum, id est, sanctarum virtutum pulcher-

rima turba. Jam facile est comprehendere, quomodo Humilitas cavitatem expleat, ut locus fiat planus, ad ædificationem idoneus. Nam si superbia est vallis, mons humilitas, hac illi impositа, vallis impletur, & summitas utriusque æquatur.

ADDE. Quoniam Humilitas, ut ceteræ virtutes, in mediocritate consistit, si quid sit in anima nimis depressum, id ipsa elevat, aut potius in illud se immittit, instar congestitii pulveris, ut ad æqualitatem omnia rediguntur. Humilis usurpat illud Pauli Apostoli ad Philip. IV. 12. *Scio & humiliari, scio & abundare: (ubique, & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quæ verba exponens S. Ambrosius: lib. 2. de offic. cap. 7. *Non ergo*, inquit, *indocta* Humilitas, *sed quæ habeat sui modestiam, & scientiam laudi datur. Est enim humilitas formidinis, & imperitiæ, atque ignorantiæ. Ideò & Scriptura ait* Psal. XXXIII. 19. Humiles spiritu salvabit. *Præclarè ergo dixit*: Scio & humiliari, id *est, quo in loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo manere. Nescivit Pharisæus humiliari, ideò dejectus est; scivit Publicanus, ideò justificatus est. Sciebat & abundare Paulus, qui animum habebat divitem, & thesaurum divitis non habebat. Sciebat abundare, quia non quærebat datum in pecuniâ, sed requirebat fructum in gratia.*

CERNITVR hoc Humilitatis officium in Magistratu, & quarumlibet congregationum superioribus, quocumque illi appellentur nomine, sed supremis potissimum, in quibus Humilitas replere debet fossas pusillanimitatis ac formidinis, ut maneat sine hiatu, & tumore planities. Notatum hoc reperio à Papa Gregorio qui hanc instructionem dabat Ecclesiasticis Prælatis, 2. pa-
„ te Pastoral. cap. 6. Solerter intuendum est, ne dum im-
„ moderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur

jura

„jura regiminis, & dum Prælatus quisque plus se, quàm „decet, dejicit, subditorum vitam distringere sub disci- „plinæ vinculo non possit. Teneant ergo Rectores ex- „terius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt, servent „interius, quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed „tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos „apud se esse humiles, etiam subjecti deprehendant, „quatenus & in auctoritate eorum, quod formident, „videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant. His accedit, quòd tanta sit Humilitatis cũ Magnanimitate affinitas, ut propter officiorum utriusque virtutis quandam velut germanitatem, existimaverit insignis S. Thomæ interpres Martinus, Humilitatem reipsa non esse distinctam à magnanimitate. Quod licet esse falsum arbitrer, & accuratè refutet Cajetanus 2.2.q.161. negari tamen non potest, magnam esse inter utrâmque similitudinem, & arctissimam consociationem. Quantumvis enim Humilitas faciat, ut homo ad alta non tendat, tanquam illa sibi per proprias vires sint proportionata, ac debita: nihilominus, quatenus illa divinis, quæ in se spectat, donis sunt consentanea, ea potest appetere, atque ad illa conari. Hinc fit, ut is, qui in se est humillimus, ex Dei dono sit summè magnanimus. Etsi enim ex se nihil possit, nulloque bono aut honore sit dignus, tamen Dei dono illiusque præsidiis, potest, ideoque conatur plurima, & maxima: atque illud fidenter usurpat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quapropter maximis donis, honoribusque dignus est: immò, quia veritatem amat, se dignum judicat. Quod declarat egregiè S. Gregorius, lib. VI. in cap. 1. libri primi Regum, cap. 3. explicans verba illa capitis 16. *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves.* „Meritò, inquit, ille parvulus dicitur oves pascere, quia „Electus quisque humilis est, & sterilis non est: quia

„ quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Me-
„ ritò ergo non solum parvulus, sed pastor asseritur,
„ quia, qui verè humiles sunt, foris se deijciunt, sed inter-
„ nam societatem in summis & æternis pascuis immo-
„ rantur. Nam scriptum est: Deus superbis resistit, hu-
„ milibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia nisi ut
„ summa videant, & cognoscant & diligant, atque ad
„ ipsa dilecta, quasi fortes & pingues currant.

Idem cernitur in omnibus Beatis: sunt enim & ex se humillimi, & ex Dei donis summè magnanimi. Nec verentur adfirmare Theologi, nullos esse magis magnanimos, quàm qui sunt verè humiles. Siquidem cùm non suis viribus, sed solum auxilio Dei, cui se penitus subjecêre, nitantur; cumque ejus omnipotentiam ac bonitatem jugiter cogitêt, ac perpendant, nihil occurrit, quod iis impossibile ac valdè arduum videatur. Quocirca quidvis aggredi, cùm id honor Dei postulat, non dubitant. Id cernere fuit in Apostolis, Martyribus, & eximiis quibusdam Religiosis, & quotidie apparet in orbis alterius industriis curatoribus. Itaque Humilitas non ita hominem deijcit, ut reddat segnem, timidum, pusillanimem: immò, erigit, & pusillanimitatis vallem explet. Quod dum facit, æqualitate inductâ, reddit solum planum, fundandi obstaculum amovens: ideoque ædificii spiritualis fundamentum dispositivè optimè appellatur.

Confirmatur doctrina hactenus tradita animadversione S. Thomæ observantis, posse quempiam absque humilitatis præjudicio dona Dei, quæ ipse accepit, præferre donis Dei, quæ aliis apparent collata. Quod sumitur ex Apostolo scribente ad Ephesios Capite tertio. *Aliis generationibus non est agnitum, sicut nunc revelatum est* S. Apostolis ejus. Neque etiam requirit vera Humili-

tas,

tas, ut aliquis id, quod est Dei in seipso, subijciat ei, quod apparet esse Dei in proximo. Nam illi qui dona Dei participant, eognoscunt ea se habere, secundum illud 1. ad Corinth. 2. *Vt sciamus, à quæ* DEO *donata sunt nobis.* Adhæc, non postulat Humilitas ut quilibet, quod est suũ in seipso, subijciat ei, quod est hominis in proximo. Alioqui teneretur quilibet reputare se magis peccatorem quolibet alio: cùm tamen Apostolus absque præjudicio humilitatis scripserit ad Galatas capite secundo: *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.* Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet: vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est: ex quo se potest ei subijcere, & minorem æstimare per humilitatem.

SERMO X.

PROPORTIO HVMILITATIS

Quà Fundamenti, cum altitudine Domus Sapientiæ.

ARTICULUS I.

S.S. TRINITATIS MYSTERIVM

Quia altissimum, requirit profundissimam Humilitatem in Discente, Credente, Honorante.

HODIERNA Dominica indigitatur Ecclesiasticâ nomenclaturâ, S.S^mæ TRINITATIS: & in eâ officium matutinum, diurnum, vespertinum,

tinum, psalmi, ode, carmina, versiculi, antiphonæ, introitus, gradualia, offertoria, collectæ, Epistola, Evangelium, lectiones, homiliæ, orationes, meditationes, contemplationes, denique quicquid ad altare recitatur à Sacerdotibus, quicquid in choro canitur à musicis, quicquid in odeo pronunciatur à Monachis & Monialibus est de S-S^ma Trinitate. Ubique frequentissimè repetitur: *Benedicta sit Sancta & individua* TRINITAS, *nunc & semper, & per infinita secula seculorum.* Amen. Ubique auditur: *Gloria Tibi* TRINITAS *æqualis, una Deitas: & ante omnia secula, & nunc & in perpetuum.* ubique personat: DEUM *verum, unum in* TRINITATE, *&* TRINITATEM *in unitate. Venite adoremus.* Quare nihil tempori convenientius, Evangelio accommodatius, officio Ecclesiastico congruentius, auditoribus utilius, & quod palmarium nunc est, S-S^mæ TRINITATI gratius ut opinari fas, nihil erit, quàm si in Scholâ virtutis, qualis est hæc diebus dominicis tractetur à nobis de illa virtute, inculcetur animis audientium illius virtutis officium, incitentur ad amorem illius virtutis Academici Christiani, quæ S-S^mæ TRINITATI est gratissima. Quæ-nam est illa? Humilitas. Quæ virtus Patri est acceptissima? Humilitas. quæ Filio jucundissima? Humilitas. quæ Spiritui-Sancto probatissima? Humilitas. Studeamus igitur Humilitati si rem velimus facere gratissimam TRINITATI. Quæ virtutum honorat enixè Patrem? Humilitas. quæ celebrat præcipuè Filium? Humilitas. quæ laudat præcipuè Spiritum-sanctum? Humilitas. Itaque honoremus Patrem, celebremus Filium, laudemus Spiritum-sanctũ Humilitate. Quæ virtus benedicit Patri? Humilitas. qæ blanditur Filio? Humilitas. quæ placet Spiritui-sancto? Humilitas. Benedicamus ergo Patri, blandiamur Filio, placeamus Spiritui sancto Humilitate. Quæ

virtus

virtus placat Patrem? Humilitas. quæ demeretur Filium? Humilitas, quæ attrahit Spiritum-Sanctum? Humilitas. Eia ergo placemus Patrem, demereamur Filium, attrahamus Spiritum-sanctum Humilitate. Quæ virtus glorificat Patrem? Humilitas. quæ magnificat Filium? Humilitas. quæ honorificat Spiritum-sanctum? Humilitas. Itaque glorificemus Patrem, magnificemus Filium, honorificemus Spiritum-sanctum Humilitate. Sit principium magnificandi SS. TRINITATEM Humilitas: sit medium Humilitas, sit finis Humilitas. Ordiamur TRINITATIS laudem Humilitate: prosequamur Humilitate: absolvamus Humilitate. Præcedat orationes omnes actionesque nostras, ut DEO gratæ sint, Humilitas: comitetur Humilitas; subsequatur Humilitas.

HVIVS persuasionis, fuit Doctor Ecclesiæ, ut humillimus, ita S-Smæ TRINITAIS cultor maximus, Augustinus, qui ut Dioscorum, ad quem scribit doceret, non posse TRINITATEM honorari, ut decet, sine fide, fidem autem altissimi mysterii non obtineri sine profundissima Humilitate, in hunc modum differit, epistola LVI. »DEO nos totâ pietate subdere debemus, nec aliam »nobis ad capessendam, & obtinendam veritatem (*fi-*»*dei, scientiæ, sapientiæ*) & felicitatem, viam munire, »quàm quæ munita ab illo est, qui gressuum nostrorũ, »quippe DEUS omniscius, videt infirmitatem. Ea est »autem prima Humilitas, secunda Humilitas, tertia »Humilitas. Et quoties interrogaret, hoc dicerem. Non »quod alia non sint præcepta quæ dicantur: sed nisi »Humilitas, omnia quæcumque bene facimus, & præ»cesseait, & comitetur, & consequuta fuerit: & præpo»sita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & »imposita, qua reprimamus, jam nobis de aliquo bono »facto gaudentibus, totum extorquet de manibus su-

perbia. Vitia quippe cetera in peccatis, ſuperbia verò etiam in rectè factis timēda eſt, ne illa, quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Itaq; ſicut Rhetor ille nobiliſſimus, cùm interrogatus eſſet Quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſervari oportere? Pronunciationem dicitur reſpondiſſe: cùm quæreretur, Quid ſecundò? eandem Pronunciationem. Quid tertiò? nihil aliud, quàm Pronunciationem dixiſſe. Sic, ſi interrogares, & quoties interrogares, de præceptis Chriſtianæ Religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi Humilitatem liberet:] Tam grata TRINITATI, tam utilis ad Trinitatis fidem aſpirantibus, tam propria Trinitatis fidelibus eſt Humilitas.

AT enim, Pater R^de, dicunt fortaſſe aliqui, hoc feſto SS. TRINITATIS, ſi quid petere liceret humiliter, vellemus audire ſubtilia quædam de hoc ſublimi myſterio jucundum nobis eſſet, audire ex illa cathedra diſſerentem, aut diſputantem de Proceſſionibus divinis, de Relationibus, de Actibus notionalibus, de Generatione Filii, de Spiratione tertiæ perſonæ: de Ordine prioris, & poſterioris: de Circuminſeſſione, de Similitudine & Æqualitate inter Perſonas: de Miſſione Perſonarum, & ejus generis alia. Cariſſimi mei, neſcitis quid petatis. Poteſtis ex memoriâ recitare quicquid habetur in Catechiſmo de S-S^ma TRINITATE, & aliis Fidei Catholicæ myſteriis? Utinam audirem omnes dicere verè, poſſumus. Et ſanè, me juvat credere de vobis, optimis meis auditoribus, & diligentiſſimis diſcipulis, quod dicere ſine falſitate queatis: poſſumus. Hoc, mihi credite, dilectiſſimi, ſufficit vobis. Nihilominus venerande Pater, deſideraremus aliquid altius. *Duc in altum*, dicebat Chriſtus Petro, futuro Concionatori Evangelico. Luc. v. 4. Quod exponens S. Ambroſius, inquit: *duc in altum diſputationis.*

tationis. Placet mihi desiderium illud sciendi divina, & ardor evolandi ad altissima: est enim gradus ad summa perveniendi. Sed quo minus vobis obsequar, dicam candidè, quid me moretur: & est idipsum quoddam meum secretum, quod spero, si non omnibus, saltem aliquibus fore usui. A primâ adolescentiâ meâ feci mihi familiarem quendam libellum, qui pollice non est crassior. Ille mihi fuit hactenus *enchiridium, manuale, vade mecum, dormi securè,* ut à multis istiusmodi libelli appellantur: Illum æstimo magis, quàm omnes Grammaticas, prosodias, rhetoricas, logicas, physicas, metaphysicas, mathematicas: magis quàm Hippocratis & Galeni aphorismos: magis quàm Iustiniani institutiones, Codicem, Pandectas: magis quàm quorumcumque ingeniosorum commenta. Continet enim quicquid est scitu necessarium ad salutem, ad perfectionem, ad felicitatem. Inscribitur libellus, *De imitatione* CHRISTI. In eo frequentissimè legi quandam sententiolam, quæ quoties mihi fuit scribendum, disputandum, differendum, potissimùm autem, quoties concionandum de S-Sma TRINITATE obversata est animo. Est autem ista. legam ex libello. (*a*) *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas Humilitate, vnde displiceas Trinitati?* Retinete, ruminate, ponderate sententiolam istam, & nunquam à Concionatore altas de Trinitate disputationes postulabitis, sed semper simplicibus de Humilitate sermonibus contenti eritis. Maximè, si vobis persuadeatis, Fidem de Trinitate non posse in ullo oriri absque radice Humilitatis, nec consistere sine fundamento Humilitatis: quod quo fuerit profundius, eo erit inædificatum illi Sapientiæ ædificium sublimius. Itaque, Auditores mihi cari, si desideratis in vobis ædificare Domum Sapientiæ, id est, fide DEI vnius & Trini excellere, ac in omni

virtutum genere eminere, ponite fundamentum Humilitatis. Si vultis esse cari S-Smæ TRINITATI, humiliamini sub potenti manu DEI. Si optatis censeri inter cultores Altissimi supremos, laudate Patrem Humilitate, celebrate Filium Humilitate, magnificate Spiritum-sanctum Humilitate. Humilitate, humilitate, humilitate sit Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-sancto. AMEN.

ARTICULUS II.

S-S. EVCHARISTIÆ FIDES

Postulat solidam Humilitatem in Christiano acceptante, conservante, demonstrante, utente.

CONSPIRANT Catholici omnes in Ecclesiâ DEI, ut quanta possunt honoris significatione celebrent per hanc octavam Festum Corporis Christi. Huc conferunt omnem quem habent ornatum Eccleſiastici, omnem quam producere possunt pompam politici, omnem quem corradere queunt sumtum agrestes. Ipsi quoque milites in castris tormenta bellica ad sacrum illum usum convertunt. Hinc tubæ personant, pulsantur tympana, exploduntur magno fragore militares ex ære fistulæ. Traducta etiam ad Musarum castra aliqua celebratis hujus Eucharisticæ parte, convestiuntur parietes ingeniorum aulæis, quæ sunt epigrammata, emblemata, ænigmata, scriptoris manu bellè expressa, aut penivallo artificiosè tabulis papyraceis cõsignata. Ubique celebrantur processiones: ubique cantatur, alicubi etiam saltatur, ubique auditur laus & jubilatio. Soli haretici domi se continent, velut in spelæis homines lucifugæ,

fugæ. Ibi tamen mussitant, stridենt, allatrant, ringuntur, sed inani conatu. Siquidem Catholici pergunt, exultant, canunt, tripudiant: sese mutuò extimulant, sibique acclamant identidem.

Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

At undê tam magnum inter Catholicos & hæreticos, inter Papistas & Lutheranos, inter Romanenses & Geusios discrimen? Omissis ambagibus, inde est, quod in Catholicis est virtus quædam, cui nomen Humilitas: in Hæreticis deest Humilitas. Catholici Humilitate subdunt intellectum suum Deo, ejusque verbo, quà scripto, quà tradito: atque ideò credunt, corpus esse corpus; sicut sciunt, fabam esse fabam, ficum esse ficum, ollam esse ollam. Itaque dum audiunt à Christo Domino dictum: *Hoc est corpus meum*, non concipiunt solummodò, ibi esse aliquod Corpus Domini; sed credunt per fidem divinam ibi revera esse corpus illud, quod erat Domini Jesu: ideoque illud ipsum latriâ, hoc est, cultu divino adorant. Sed fides in iis non esset, nisi esset in ijsdem Humilitas solida, id est certa, minimeque vacillans; sicut nõ esset fundamentũ domus, nisi esset soliditas terræ, quã fundamentum supponit. Verũ hæretici dũ audiunt: *Hoc est Corpus meũ*, quo sunt nimirũ ingenii acumine, id est, ruditate, quia nolunt illud captivare in obsequiũ fidei, nec humiliare sub potẽtiam Dei, per τὸ *Corpus* concipiunt figurã inanẽ corporis, umbrã corporis, metaphorã significativã corporis. Stolidi homines, & ridiculi, digni planè, qui hoc octiduo vescantur cibis, quos apposuit aliquando convivis suis Heliogabolus, cœnã iis apparans ex cibis pictis: & illis non apponeretur aliud, quàm olus pictum, jusculum pictum,

pictum, caro vel assa vel elixa picta, caseolus pictus: cetera picta: item, daretur ad potandum, cerevisia, aut vinum pictum, & juberentur comedere hilariter, ac implere ventrem cibis metaphoricis & æquivocis: discerent illi tunc, reor, quod sit discrimen inter corpus verum ac metaphoricũ. Sed quoniã nunquã tam opiparè sunt habiti: & multo magis, quia fide carẽt, Sacramentum fidei credere non possunt, & nolunt. Quare nullam etiam reverentiam, aut venerationem exhibent. Cujus, ut animadvertitis & originaria & fundamentalis caussa est, defectus Humilitatis: quæ virtus ita prærequiritur ad fidem Christianam, sicut soliditas terræ ad fundamentum domus. Ut in superioribus, ex disciplina architectonicâ probavimus: nam est removens prohibens, sive tollens impedimenta omnia firmiter ponendi Fundamentum fidei in Domo Sapientiæ, seu Virtutum Ædificio: tollit enim tuber superbiæ, implet lacunas pusillanimitatis, adæquat & complanat quicquid est eminens aut depressum. Quare meritò Humilitas censetur primum virtutum Christianarum, ac cererarum etiam Fundamentum.

ARTICVLVS III.

Architectonicvm Axioma

De proportione profunditatis Fundamenti, cum altitudine Ædificii demonstratur exemplis.

IN Humilitatis fundamento jaciendo diligenter observanda est regula ab Architecticis omnibus approbata: ut altitudini ædificii respondeat profunditas fundamenti: & illa hujus sit mensura. Quam transfert S. Augu-

Augustinus lib.de verb.D.ser.10.ad Architecturam tropologicam & spiritualem, quâ Domus Sapiētiæ extruitur. Verba illius hic repetere non attinet. Veritas autem principii istius constat ex antiquis æquè ac recentibus omnis generis fabricis. Certè, de fundamentis Templi Jerosolymitani sic scribit Josephus historicus: lib.8.Antiq.cap.2. Jecit,ejus Architectus præcipuus Salomon,*in altissimam terræ profunditatem fundamenta templi è saxis validissimis, quæ contra omnem temporum injuriam resistere possent, ita ut cùm contigua terra coalita, solum,ac firmamentum imponendis substructionibus præberent, & propter inconcussam soliditatem,facile molem ædificii cum apparatu ornamentum sumptuosissimo perferrent : non minorem admirationem habitura, quàm quæ supernè ad amplitudinem, pulchritudinem, & magnificentiā operis, per artifices elaborata sunt.* Ex quibus colligimus,cùm supernè Templū Jerosolymitanū à tribuspotissimū admirationē moverit, altitudine, amplitudine,lapidum crassitie ac ornamentis; si fundamenta non minorem admirationem parere potuerint, eorum profunditatem altitudini fabricæ respondisse. Quod omninò mihi persuadeo, inde etiam argumentum mutuatus, quod uterque substructionis paries longus fuerit propè cubitos mille, secundum accuratam Joannis Baptistæ Vilalpandi dimensionē. to.2. lib.5. disp.4.c.6.

De Amphitheatro Titi,cujus Romæ etiam-num spectantur rudera, operis celeberrimi umbra, vel cadaver, quod vulgo dicitur *Colisæum*, quia Neronis cum capite colossus est in viciniâ,refert Ammianus,quod ejus summitatem ægrè visio humana conscendebat. De eodem autem audivi aliquando, cùm altitudinem molis, nunc quoque mirandam, curiosius intuerer, etsi multum à vertice ejus corruerit, & multum infernè subsederit, tantum tamen ejus sub terra latere, quantum supra emi-

eminet. Idem adfirmare licet de aliis ædificiis altis & s
ſtudineatis, quorum faſtigia cœlis minari dicere ſole
Oratores: nimirum, canon eſt Architectonicus: Fabr
cæ altitudini reſpondere oportere fundamenti profu
ditatem.

ARTICULUS IV.

CHRISTI SALVATORIS

Profunditas Humilitatis.

QVOD de Ædificio materiali dictum probatumq
in ſpirituali æquè locum habet, dum jaciendum
Fundamentum Humilitatis. Cujus putatis vos fuiſſe
tiſſimum ab orbe condito virtutum perfectiſſiman
Ædificium? Haud dubiè, dicetis, Chriſti Salvatoris, v
tutum Magiſtri excellentiſſimi. Ita etiam reor. In eode
autem Fundamentum Humilitatis jactum fuit profu
diſſimè. *Humiliavit ſemetipſum*, inquit Paulus Apoſtol
2. ad Philip. 7. *factus obediens uſque ad mortem, mortem a
Crucis. Cùm in formâ* DEI *eſſet, non rapinam arbitratus e
ſe æqualem* DEO, *ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſerv
piens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, u
mo.* Poſſet-ne excogitari major Humilitatis profundi
quàm, ut qui verè DEUS erat, eadem cum Patre Divi
tate prædituſ, exinaniret uſque adeò ſeſe, & quoda
modo ad nihilum ſuam illam Majeſtatem redigeret,
hominis natura vili atque imbecilla ſuſceptâ in hom
num ſe ordinem redigeret, homo fieret, & factus h
mo, hominibus ſe humilitate ſub jceret. Hoc tamen
cit Chriſtus, ut profunditas fundamenti altitudini fa
bricæ reſponderet. Altitudo fabricæ virtutũ in Chriſto
fuit

fuit Caritas: illa autem superavit omnem cognitionem æstimationemque nostram, neque nostram tantùm, sed etiam Angelicam. Unde *supereminentem scientiæ Caritatem Christi* celebrat Apostolus, ad Ephes. III. 19. Quia enim non fuit profundior, quàm Christi, Humilitas; non fuit altior, quàm Christi Caritas, quæ est Ædificii virtutum perfectarum sublimitas. Præter quam alia fuit in Salvatore altitudo respondens ejus profundissimæ humilitati. *Propter* quam DEUS *exaltavit illum*, ὑπερύψωσε, *insigniter extulit*, ut Ambrosius transfert, *superextulit*, *& donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur*, *quia Dominus* JESUS CHRISTUS *in gloria est* DEI *Patris*. Nimirum, quia Christus infra omnes acerbissimam ignominiosissimamque mortem perpessus se abjecit, in summam est sublimitatem evectus, & illam est consequutus excellentiam, ac nominis potissimùm claritatem, quæ cujusque alterius celsitudinem infinitis partibus antecedit: quippe, cui non terræ solum incolæ, sed cælites quoque humillimo, quo possunt gestu, veluti flexis poplitibus supplicantes subduntur, & cujus altititudinem gentes nationesque omnes suspiciunt ac celebrant. Quocirca meritò canit Ecclesia, DEUS, *qui ad imitandũ Humilitatis exemplum Salvatorem nostrũ carnem sumere & Crucem subire fecisti*: subjungamus nos: præsta quæsumus, ut nunquam ab imitatione profundissimæ humilitatis Christi Domini Nostri cessemus.

SED hîc supervacaneè subtilis arguit fortasse. Non videtur Dominus Christus vere humilis esse potuisse interno suo judicio, summùm ostendere voluisse demissionem externâ conversatione, id illi est adscribendum. Siquidem Humilitas supponit judicium vilitatis & imperfectionis sui. Christus autem neque se vilem,

neque

neque imperfectum judicare internè potuit. Quod asseruisse videtur Diuus Bernardus Sermone XLII. in Cantica ubi hunc inmodũ disserit. *Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate judicii, sed nostri caritate. Poterat nimirum vilem se & contemptibilem demonstrare sed planè non reputare, quoniam sciebat seipsum. Voluntate proinde humilis fuit, & non judicio; qui talem se obtulit, qualem esse nescivit: magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat.* Verum enimverò Dupliciter potest quispiam se vilem & contemptibilem judicare. *Primò*, absolutè ac simpliciter. Ut cùm quis se judicat esse criminosum, vel peccatorem: se posse peccare: se esse dignum probro ac supplicio. *Secundò*, ex parte, & secundum quid, nimirum, consideratis iis, quæ præcisè à se, & non à Deo habet. Priori modò, Humanitas Christi non judicabat se ipsam vilem, quoniam sciebat suam excellentiam, quam ex unione cũ Verbo divino, eaq; hypostatica habebat, qua reddebatur impeccabilis, & omni honore dignissima. Atque ita coarcto sententiam S Bernardi, qua asserit: *Dominum non fuisse humilem judicio, sed adfectu.* Quod satis mox declarat, dum subdit: *Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate, & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis. Non, inquam, ita & ille. Quæ tamen omnia expertus est, quia voluit, tanquam humilis corde.* Posteriori modo haud erat alienum ab Humanitate Domini, vilitatis reputatio: immò, potuisset se ut nihil reputare. Siquidem non ignorabat, sed multo melius quàm ullus hominum perspiciebat, omne suum bonum à Divinitate dimanare, se creaturam esse, ex nihilo factam, in nihilum, subtrahente manum, à quo omnia, posse recidere. Se quidem esse impeccabilem: sed Dei dono, quo ablato, peccandi pronitatem, ipsumque peccatum à se non fore alienum.

Atque

Atq; ita Divinitati se profundissimè submittebat, Deum suum humillimè venerabatur, in illum, ut bonorum omnium Auctorem quicquid habebat refundebat. Ex simili consideratione & notitia Humilitas vera est in Angelis & Beatis. Qui idcirco Coronas mittunt ante thronum *dicentes: Dignus es Domine* DEUS *noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt* Apocalyp. IV. Verùm, quemadmodum Christi Humanitas superat omnes creaturas intellectuales cognitione Divinitatis, ideoque caritate, ita excellit cognitione sui, ac dependentiæ illius, qua ipsa cum omnibus suis à DEO dependet, & consequenter etiam vera humilitate. Quàm cùm ageret in terris, non fucatè, sed verè ostendit, declaravitque ad finem usque vitæ, Humiliando se usque ad ignominiosissimam mortem CRVCIS.

ARTICVLVS V.

MARIÆ DEIPARÆ. APOSTOLORUM. S. FRANCISCI

Profunditas Humilitatis.

SECUNDUM Christum Salvatorem, inter creaturas, nulla altius virtutum Ædificium extulit, quàm Virgo DEIPARA: sed nulla quoque profundius Humilitatis fundamentum collocavit. Nam PRIMA cùm esset omnium, NOVISSIMA facta est omnium, ut D. Bernardus animadvertit. Serm. de verb. Apocal. *Respexit*, ait ipsa, *Humilitatem Ancillæ suæ.* Volebat Architectus divinus, Spiritus-sanctus, celsissimum illud Ædificium

Corporis Christi, quod Templum vocavit Salvator, s. rigere in fundo ventris virginei, altissimum id circa prius jecit fundamentum, id est, profundissimam Humilitatem supra quam cœlo celsiorem erexit fabricam.

IDEM cernere est in Apostolis, quorum elevatissimum Ædificium, quod virtutibus, donisque cœlestibus ultra nubes est elatum, profundissimam Humilitatem pro Fundamento habuit. Quod observavit Rupertus Abbas in cap. IV. Matthæi, ubi, *Quanto*, inquit, *plura Sancti dona* DEI *percepturi erant, tanto majoris conscientiâ paupertatis indiguerunt, ut eadem dona portarent stabiles, & firmi, fundati in spiritu Humilitatis.* Inter Apostolos verticem altius nemo extulit PETRO. Sed hæc celsitudo profundissimæ Humilitati inædificari debuit. Nam cùm ex summa Humilitate, suique dejectione diceret Christo: *Domine exi a me, quia homo peccator sum*, promissum accepit: *Ex hoc homines capiens*; sicque factus est Princeps pastorum, Petra & Fundamentum Ecclesiæ, Claviger regni cœlorum.

DE FRANCISCO viro sanctissimo canit Eccles. FRANCISCVS *Pauper* & Humilis *cælum* Dives *ingreditur*. Illius autem Altitudinem miramur meritò, & mirabitur omnis posteritas: nam virtutes præcipuas justorum supergressus, in cœlum Palatium gloriæ celsissimum sibi erexit, in eaque sedem altitudine multis incredibilem conscendit. Eam, cùm in cœlum mente raptus contemplaretur Quidam è Fratribus, & demiraretur, ut refert S. Bonaventura in vita cap. VI. Sancti, audivit: Sedes hæc unius de ruentibus fuit, & nunc Humilis servatur FRANCISCO. Cujus Humilitatem cum explorare vellet, is cui facta fuerat visio: quæsivit, captata occasione à Francisco quem comitabatur in via: Quid de-

ipse

ipse sentiret? respondit Humilis Christi servus: videor mihi peccatorum maximus. Cùm autem Frater opponeret: id non posse illum salva religione & conscientia asserere, aut sentire; subjunxit. Franciscus, si hominem quantumcumque sceleratum tanta Christus Dominus prosequutus fuisset gratia, arbitror sanè, quod multo quàm ego Deo gratior extitisset. Addit Bonaventura: confirmatus fuit Frater ille ex tam admirabilis Humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Evangelio sacro testante agnoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus ejicitur, vetè HUMILIS exaltetur.

ARTICVLVS VI.

Profunditas Humilitatis

S. AVGVSTINI. S. THOMÆ AQVINATIS. FRANCISCI SVAREZ. GABRIELIS VASQVEZ. *& similium Doctorum.*

QVONIAM Humilitati proximè imponitur Fides, tanquam per se primarium, *per se*, dico, sensu superius explicato, Ædificii spiritualis Fundamentum, animadverto illos maximè in fide excelluisse, ac fuisse firmissimos, & phrasi Apostolica, optimè fundatos, qui habuerunt maximè firmum & profundissimum fundamentum Humilitatis. Post Apostolos Religionis nostræ principes, qui omni exceptione sunt majores, nullis posteriorum in Ecclesia Doctorum comparandi, quia omnibus eminentiores; inter Fidei propugnatores celeberrimos, duos admirari, & venerari unicè soleo, qui in hominibus excessisse mihi huma-

num fastigium videntur, dati Ecclesiæ ab Auctore fidei in miraculum & gloriam Religionis Christianæ. Sunt Avgvstinvs Hipponensis, & Thomas Aquinas, quos, ut Theologica cognitione ceteris palmam præripuisse, & posteris spem assequendi, ita fidei excellentia præstitisse omninò mihi persuadeo. At eosdem Christianam Humilitatem & demissionem animi ita coluisse, ut profundissimè illam Fidei subjecerint, nemini scripta illorum prævolventi potest esse dubium.

De Gabriele Vasqvez notissimæ famæ Theologo, quique Augustinum in sanguinem succumque suum convertisse videri poterat, quemque idcirco Augustini Mentem, aut linguam dicere non-nemo haud veretur, Auctor præfationis posthumæ ad Tom. 2 int. 2. prodit auctor ei familiaris, quod dictitare sit solitus, Augustinum in Humilitatis perfectione Francisco minimè inferiorem fuisse: eamque ob caussam, quamvis aliæ non deessent, Vasquez Augustini erat studiosissimus, ut Humilitatis non minus, quàm subtilissimæ illius doctrinæ esset hæres.

Thomæ Aquinatis autem ea fuit Humilitas, ut meritò in proverbium apud Religiosos abire potuerit. Memorabile est factum, quod in vita ejus legitur. Agebat Bononiæ, & speculationi intentus in xysto obambulabat: cùm ecce tibi repentè socius nescio quis, cui Thomas à facie non erat notus; qui heus, inquit, bone frater, P. Prior mandat, ut sis comes itineris: inclinat caput Thomas, & sequitur: ille festinanter, nam urgebat negocium, præcedere, Thomam respicere, nonnunquam conjurgare, fortasse etiam cappa trahere: præclarum spectaculum in luce Academiæ, ubi tantus habebatur Doctor Thomas, qui humiliter excusabat, quod insequi non posset. Mirati cives, inquit vitæ scriptor, quod

tantus

tantus Doctor, post fratrem modicæ conditionis incederet, qui dignus erat, ut præiret, indicarunt ductori quis ille erat, quem post se trahebat. Is conversus, & intuens accuratius Thomam errati veniam postulavit. Civibus autem de tantâ Eximii N. Magistri abjectione quærentibus demissè respondit: In obedientiâ omnis religio perficitur, quâ homo homini propter DEUM se subijcit, sicut se DEUS hominibus propter hominem inclinavit. Habebat præ oculis Thomas illud Sapientis: Eccl. III. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram* DEO *invenies gratiam.*

IDEM spectarunt, qui Augustinum Thomamque sunt æmulati, ut in speculationis sublimitate, ita in profunditate Humilitatis. Inter quos ex recentioribus eminet FRANCISCVS SUAREZ, quem Paulus V. Pont. Max. datis ad eum quaternis litteris Apostolicis, *Doctorem eximium* vocavit: Conimbricensis Episcopus, *Alterum hujus ætatis Augustinum*: alii, *Theologorum Coryphæum*, & *Antesignanum*: Quidam, hujus ætatis *Prodigium* & *Oraculum*: nonnemo, *hujus seculi in Scholasticis Gigantem*: plurimi, *Auctorem gravissimum, celeberrimumque Doctorem.* Hic tamen in » tanto litterarum famæque fastigio adeò sibi nihil ar- » rogabat, ut se infra omnes demitteret: ut ad suas lau- » des oculos pudibundus deprimeret: nullis se functio- » nibus, quàm culinæ abjectissimis aptiorem fateretur. » Vitabat hominum congressus, ne in suas laudes, quod » aliter vitare non poterat, impingeret. Et quod fortè » in illo summæ HUMILITATIS, certè, profundissimæ » videri potest, sæpe discipulos suis in rebus consulebat: » libros iis, commentariosque suos recognoscendos » tradere, & si quid in iis censura dignum animadver- » terent, summa facilitate mutare solitus. Sui contem- » ptor honoris, servantissimus erat alieni. Nullius ingenium,

» nium, famamque deprimere; immò, eos etiam lau-
» dibus solebat extollere, qui minus videbantur, alio-
» rum opinione laudabiles.

De Gabriele Vasquez, cujus non pauciora extant encomia, referunt tabulæ domesticæ, fuisse, ambitionis, omnisque fastus contemptorem egregium, quod arguit Humilitatis haud mediocrem profunditatem. Hic catalogum texere possem aliorum omni eruditionis, & doctrinarum genere excellentium Virorum, quos cõtinet Bibliotheca Scriptorum Societatis, de quibus ambigi posset, doctiores-ne fuerint, an humiliores. Nimirum, ubi est Humilitas ibi est Sapientia, & illius profunditati hujus respondet altitudo. E contrario, illud ab ipsis Apostolorũ temporibus animadversum est, quod in quibus Fidei, quæ est vera Sapientia Christiana, Fundamentum non fuit stabile, in ijsdem Humilitatem non fuisse profundam, nec firmam, superficialẽ tantùm; & vacillasse: eâ autem effundata & ejecta, subsequuta mox fuit totius Religionis, tanquam superædificatæ, domus ruina.

Sic Tebutem quendam recessisse ab Ecclesia, defectu Humilitatis, quod Episcopatus repulsam tulisset, auctor est Egesippus apud Eusebium lib. 4. historiæ Ecclesiast. c. 2. Eusebium. Quid Simonem Magum à fidei constantia dejecerit historia Apostolica docet. Valentinum Episcopatus spe frustratum dejecisse scribit Tertullianus. (a) Idem de Marcione adfirmat Epiphanius. (b) De Montano & Ario Theodoretus. (c) Qui hoc ipsũ de Nestorio memorat. De Novatiano Cornelius apud Eusebium. (d) De Macedonio Epiphanius: (e) idemque narrat de Aërio: (f) De Sabatio Socrates historicus. (g)

Vni-

(a) lib. contra Valent. (b) Hæresi 42. (c) lib. 4. de hæret. fabul. (d) lib. de hist: c. 33. (e) Hæresi 73. (f) ibid. (g) lib. 5. hist: c. 20. Nicephlib. 11. cap. 30.

Vniversè S. Hieronymus, commentario in Abdiam: *Quis hæreticorum non in superbiam extollitur, Ecclesiæ simplicitatem parvi pendens, & fidem imperitiam reputans?* Idem adserit S. Augustinus, cujus hoc est effatum: (a) *Mater omnium hæreticorum est superbia & cupiditas gloriæ, ac studium scientiæ*: nempe, solius, aut vanæ. Quod ipso rerum usu & quotidianâ experientiâ nostri ævi hæreticorum verissimum esse recognoscimus. De quorum arrogantia pleni sunt, non Catholicorum modò sed ipsorummet sectariorum libri. Et demonstrant egregiè, Robertus Bellarminus, (b) Franciscus Feu-ardentius, (c) Ludouicus Richeomius (d) Joãnes Lorrinus, (e) & Controversiarum tractatores. Summa. Fidei divinæ donum ex DEI illuminantis munere habetur Verissima autem est illa Christi Domini ad Patrem confessio: *Revelasti ea parvulis*, Humiles sunt parvuli, & reciprocè.

ARTICVLVS VII.

PRÆFVNDAMENTVM *Humilitati substernendum,* COGNITIO SVI.

Hic meritò perconctetur Humilitatis profundæ sectator, an Humilitas ita sit Fundamentum Ædificii spiritualis, ut nullum infra se habeat, quod ipsi quoque, quasi *Præfundamentum* sit substratum. Huic servata analogia ad Fundamenta ædificiorum haud malè respondetur: Quando Fundamentum ædificii locatur, infra

(a) lib. 8. de Gen. ad litt. c. 25. (b) de Notis Eccl. (c) in epist. Lud. d Idololu. Hugonot, (e) in Epist. Petri Joan. Acta. Justinian. 1. ad Timoth. 7.

illud ſolere poni calcem, ſimilemve materiam, qua Fundamenti lapides conglutinentur, & tenacius fundo ac inter ſe cohæreant. Simile quid contingit in conſtructione Domus Sapientiæ, cujus Fundamentum cùm ſit Humilitas, hæc ſupponit cognitionem ſui, id eſt, imperfectionum & defectuum ſuorum. Itaque infra *Fundamentum* Humilitatis collocatur *Notitia ſui*, tanquam *Profundamentum*, quæ calcis etiam & bituminis vice fungitur: illud Sapientibus antiquis celebratiſſimum, quod ut quidam canit *E cœlo deſcendit*, γνῶθι σεαυτὸν. Hoc eſt initium Humilitatis, & principium fabricæ quæ ex virtutibus conſurgit, ac Humilitati inſiſtit. Certè, Plato de hac re diſſerens, docet, *Noſſe ſeipſum*, eſſe abſolutè ſapere, & ab eo omnem vitæ Sapientiam, juſtitiamque pendere. Idem alibi addit: nec prudentem, nec bonum, nec felicem eſſe poſſe, qui ſeipſum non probè norit. Quocirca ſanctior apud Chriſtianos Doctor Bernardus, ſermone xxxvi. in Cant. Volo, inquit, animam primo omnium ſcire ſeipſam: quod id poſtulet ratio, & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos ſumus, primum eſt nobis: utilitatis verò, quia talis ſcientia, non inflat, ſed humiliat.

PORRO, cognitio ſui facillimè comparatur, dum quis ſe coram DEO, Angelis, ac tota Curia cœleſti conſtitutus, conſiderat, Quis Qualisque ſit, tum animo, tum corpore. Quoad illum ignorans, ad malum pronus, ad bonum lentus: quoad iſtud, è terra terrenus, vilis, beſtiis ſimilis: quoad utrumque, inſtabilis, levis, mille ſubjectus miſeriis. Deinde, quod ex ſe nihil boni habeat, nihil poſſit: ni DEUS manum retrahat, in nihilum illicò concidat. Hæc coram DEO ſeriò perpendenda ſunt, ad cujus lumen ſine adulatione & fuco, res, ut in ſe ſunt, comparēt. Ad illud lumen veritatis conſtitutus homo, ſeipſum, & ſine diſſimula-

mulatione inſpicit, & ſine palpatione dijudicat, inquit S. Bernardus. Ser. 42. in Cant. Nimirum, ad ſolarem radium atomi deteguntur, qui latebant anteà.

ARTICULUS VIII.

ACTVS HVMILITATIS

Lapides Fundamentales.

PRÆFVNDAMENTO firmiter ſtabilito, Lapides Fundamentales, qui ſunt actus Humilitatis, illi imponit ſacer Architectus Ut ſint in promptu numeris arithmeticis deſignabo præcipuos. I. eſt VILIPENSIO, CONTEMPTUS ſui. Nam ex Notitia ſua oritur, ut quis ſe, quoad ea, quæ ex ſeipſo habet, nihil æſtimet. II. *Æſtimatio ſuorum depreſſa.* Reputat enim ſe omnibus DEI bonis indignũ, & ad omnia ineptum, idq; ſine falſitate, ut docet S. Thomas 2, 2. q. 161. art. 6. ad 1. Siquidem talis eſt ſecundum ea, quæ ex ſeipſo habet. III. *Deſpectus laudis & gloriæ.* Humilis namque veritatis amore impulſus non cupit ab aliis magni æſtimari, vel laudari, quia videt id ſibi neutiquam congruere, ſed ei à quo omne bonum accepit. Quare uſurpat illud Apoſtoli: *Regi Seculorum Immortali, & Inviſibili Honor & Gloria.* Certè, non imago aut pictura laudem meretur, ſed pictor: nec olla, ſed figulus. IV. *Deſiderium contemptus.* Optat haberi vilis, qui verè eſt Humilis, & ab aliis contemni. Talem enim cupit ſe ab aliis æſtimari, qualem ſe veritatis ſententia, & in oculis DEI novit eſſe. Rectè S. Bernardus: Ser. 16. in Cant. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu ſui: hoc ſolo ſanè ſuperbus, quod laudes contemnat.* Quantum nimirum in ipſo eſt: nam non ſemper expedit, ut alii nos nihil æſtiment propter ædificationem & fructum aliorum, ut alibi monet idem Sanctus. V. *Dolor de honore ſibi*

exhibito. Humilis dolet, si se videat magni fieri: nec illum honorem in animo sibi attribuit: immò, nec admittit, nisi fortè ratione officii, aut doni quod habet: atque ita illum in DEUM tacitè saltem & implicitè refert. VI. *Dejectio voluntaria* infra omnes: scilicet dum in se defectus, in aliis perfectionem considerat. VII. *Subjectio infra* DEUM *demississima.* Infra homines quoq; propter DEUM, sinens se ab iis, tanquam DEI instrumentis gubernari, secundum Apostoli Petri præceptum: 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter* DEUM, *sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam à* DEO *missis quia sic est voluntas* DEI. VIII. Electio vilium in exterioribus. Eligit humilis id quod abjectius: locũ inferiorem in consessu, latus sinistrum in congressu, socios quibus cum agat abjectiores, officia minus honorata, vestes magis detritas ac simplices, supellectilem vulgarem, atq; ita in aliis quibuscumque: servata tamen decori ratione in usu, quam personæ & officii conditio exigit.

ARTICULUS IX.

Partes Fundamenti, quod est HVMILITAS.

FVNDAMENTVM istud ex duabus partibus componere videtur S. Bernardus: unam vocat *Humilitatem cognitionis* vel judicii: alteram Affectus. Ser. 42. in Cant. *Est*, inquit, *Humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet talorem: & est Humilitas, quã caritas format, & inflammat: atque hac quidem in affectu, illa in cogitatione consistit. Etenim tu si temetipsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspecias, & sine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris, & in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quamvis necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur Humilis,*

milis, sed de opere interius veritatis. & minimè adhuc de operis insusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter, atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita amore affectus fuisset; voluisses procul dubio, quod in te est eãdem de te omnes tenere sentẽtiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. At sunt aliqui, qui unam solùm Fundamenti partem ponunt, sola judicii, seu veritatis Humilitate cõtenti: quos tanquam Architectos minus peritos arguit, & graviter increpat, ita reprehendens: *Pondus & pondus abominatio est apud* DEUM. *Quid enim? Tu te dejeciaris in secreto apud temetipsum, veritatis trutina ponderatus: & foris alterius proximi mentiens, majori de pondere vendis nobis, quàm ab ipsa accepisti. Time* DEUM, *& noli hanc rem pessimã facere, ut quẽ humiliat veritas extollat volũtas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare cõtra* DEUM. Ex his collige, Humilitatẽ *affectus* dici, quâ quis ab aliis se vult haberi, qualẽ corã DEO se agnoscit: *Iudicii*, quâ agnoscit se vilem coram DEO, & in abscondito se talem reputat, unde nõ omnem affectum excludit, sed coram hominibus ita vilis haberi non appetit, ideoque affectũ tam extensivè efficacem adjunctum non habet.

HACTENUS autem, quæ de HUMILITATE disservimus, satis ostendunt, illam esse Ædificii spiritualis Fundamentum stabile; ejus Præfundamentum rectè dici Notitiam sui. Quæ, ut sit perfecta, postulat comitem, cognitionem DEI, quæ fons est caritatis. Ex quo fit, ut conjunctissimæ sint, Humilitas & Caritas: sicut divortium esse nequit inter cognitionem sui, & cognitionem DEI. Humilitas enim consequitur cognitionem sui, Caritas cognitionem DEI. Itaque aptissimè cum humillimo Doctore Augustino exclamet quilibet cum affectu.

Noverim Me-Noverim Te.

Vt amem Te-Vt contemnam Me.

NO-

NOTÆ.

MULTI *scripserunt de Humilitate: quilibet ad suum institutum accommodatè. Mihi tractanti Architecturam Christianam, propositum fuit, declarare analogiam, inter Humilitatem & Fundamentum Ædificij, vt sic constituatur aptè Fundamentum* Domus Sapientiæ *seu Virtutum omnium. Scriptores alios consule per otium, nomino hic præcipuos.* S. Thomas 2.2. *quæst.* 161 *vbi Caietanus, Valentia, aliíq; commentatores.* Leonardus Lessius *lib.* 4. *de Iustit. cap.* 4. *Dub.* 7. Bernardinus Resignolius *lib. de Actib' Virtut,* Ioannes Busæus *in Viridario. tit Humilitas. Franc. Arias de Profectu spirituali agens fusè de Humilitate B. M. V.* Aluarez de Paz *Tom.* 3. *de perfect. vita spirit.* Roa *lib.* 4. *Singularium à cap.* 2. Delrio *in Speculo Mariano lectione* 7. *& in Threnos Ieremiæ & in Adagiis.* 8. *Tom.* 1. *&* 718. *in seq.* Antonius Daurault Ius *in Catechismo histor. cap.* 7. *Tit.* 30. Speculum Exempl. *Tit. Humilitas.* Alphonsus Rodericius *in Exercitio Perfectionis & Virtutum Christianarum. Tractatu* 3. *de Humilitate, vbi cap.* 2. *inscribitur:* Humilitatem esse ceterarum Virtutum Fundamentum. *Cap.* 3. *Specialius exponitur, omnium Virtutum Humilitatem esse Fundamentum, enumeratis præcipuis, ad praxim accommodatè. Cap* 5. *de Primo gradu Humilitatis, qui est, parui se facere, & humiliter de se sentire. Cap.* 13. *de Secundo Humilitatis gradu, qui est desiderare parui fieri. Cap.* 14. *de Tertio, qui est, non lætari, dum laudatur, & æstimatur. Cap.* 15. *de Quarto, qui est. velle contemni, & pendi ideoque gaudere. — Sequuntur alia ad praxim vtilia.*

TIMOR

TIMOR DOMINI FUNDAMENTUM *DOMVS SAPIENTIÆ.*

Seu

Ædificij Spiritualis.

Timor Domini principium Sapientiæ. Prouerb. 1. 7.
Principium Sapientiæ Timor Domini. Prouerb. IX. 10
Initium Sapientiæ Timor Domini. Eccleſt. 1. 16.

PROLOQVIVM.

NONDVM à Domus Sapientiæ Fundamento, eiuſve contemplatione abimus: & meritò, nam qui domus fundamentum benè firmiterq; iecerit, is plus quàm dimidium ædificij erexiſſe videri poteſt. Quod in Architecturâ ſpirituali potiſſimùm obtinet, in quâ, quod mireris, è Fundamento parietes pullulant, cæteræq; partes, quaſi germinatione proueniunt. Quæ cauſſa eſt, cur Fundamentum, Radicem quoque artis huius periti denominare ſoleant. Diximus autem hactenus Fundamentum primarium, ac per ſe, in Virtutum fabrica, eſſe Fidem, veram, diuinam, catholicam; cuius Præfundamentū ſit Diuina revelatio, quatenus per Eccleſiam innoteſcit, & Euidentia credibilitatis. Fundamentum autem ſecundarium. & κατ' ἐξοχὴν, rectè dici Humilitatem; cui tanquam Præfundamentum ſupponi debeat. Notitia ſui. Sed iam ſe offert aliud Fundamentum, quod minimè diſſimulandum, cum de eo non ſit vna omnium Artificum Euangelicorum ſententia.

SER-

SERMO XI.

TIMOR DOMINI
Quà Domus Tectum, Quà Fundamentum.

ARTICULUS I.

Timoris Domini

Cum Tecto Domus analogia.

DIVINI Spiritus, qui est primarius Domus Sapientiæ Architectus, enunciatum est: *Initium Sapientiæ Timor Domini.* Ex quo sic ratiocinari lubet, & per Canones Architecturæ sacræ licet. Si *Initium*, aut *Principium* Sapientiæ est Timor Domini: est igitur Fundamentum Ædificii spiritualis. Siquidem per Sapientiâ in divino Codice non intelligitur virtus aliqua solitaria, inter intellectuales una, cognita & celebrata à Philosopho, lib. VI. Ethic. 9. sed virtutum omnium σύνημα, compositio, conventusque: quæ est ipsissima Domus spiritualis definitio. Quod si Timor est Fundamentum, quomodo potest esse Humilitas? quâ ratione Fides? An, quot virtutes, tot sunt fundamenta? vbi ergo parietes? quæ tectum? quæ fenestræ? quæ aulæ? quæ conclavia? Et sanè, non est facile definire, an Timor Domini, totius Ædificii spiritualis Fundamentum, an verò Tectum dici debeat. Sunt enim quidam artis nostræ non imperiti, qui revera esse Te-

Tectum opinentur : ad quod haud levibus inducuntur argumentis. Et imprimis, constat è Divinis paginis, quæ totam Architectandi sacram disciplinam haud paullò accuratius, quàm libri omnes Vitruvii profanam nobis repræsentant consummationem Sapientiæ esse Timorem Domini. Consummatio autem, sive ultima domus perfecto cum Tecto imponitur. Ecclesiastici 1.16. *Initium Sapientiæ Timor Domini.* At quale initium? In quo extrema perfectio: nam paullò post subdit: *Plenitudo Sapientiæ est Timere* DEUM: id est, perfectio, summum, conus, altitudo. Job XXIII. *Ecce Timor Domini ipsa est Sapientia:* quasi dicat, nucleus Sapientiæ est Timor Domini: id, quod in illa excellit, & est nobilissimum. Et Sapiens ipse in cathedra Ecclesiastes: *Finem loquendi pariter audiamus:* DEUM *time, & mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo.* Quo loco, ut notat D. Gregorius, lib. 4. *Dialog. cap.* 40. Salomon, velut extensa manu Concionator finem dictioni imponens, in unam sententiam, eamque brevissimam præceptiones omnes de virtutibus colligit, & Tectum quasi ædificio spirituali imponit, dicens, *Finem loquendi*, nimirum, finem sermonis, vel totius rei, perfectionem virtutum, sive consummationem (summam summarum, dicit alicubi Seneca) nostro proposito, ex Architectonica accommodatè; id, quod cetera tegit, à quo Tectum, DEUM *time: Hoc est enim omnis homo:* id est, totus, integer, perfectus, consummatus: quasi dicat, in hoc consistit perfectio, seu consummatio hominis. Ob hanc caussam, Beati dicuntur, qui timent Dominum: Beatitudo autem nemini advenire potest, nisi post impositum Ædificio Virtutum Tectum. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, inquit Salomon Proverbior. XXVIII. & Ecclesiasticus cap. XXV. *Beatus homo, cui donatum est habere Timorem* DEI. *Qui tenet illum, cui adsimilabitur?*

labitur? & cap. 34. *Timentis Dominum beata est anima ejus.* Psalm. CXI. *Beatus vir, qui timet Dominum*: id est, beatitudo viri est Timor Domini. ergo Timor est consummatio, ergo, phrasi architectonica, Tectum.

Hæc robur accipiunt ex eo, quòd Timor dicatur superimponi, nempe, aliis ædificii partibus. Ecclesiastici xxv. *Timor Dei super omnia se superponit* Hoc si Architectus audiret, asseveraret profectò, Timorem in Virtutum ædificio Tectum esse. Græcè est, ὑπερέβαλεν, id est, superat, vel excellit, nempe, ut tectum parietes. In eundem sensum dicitur, *Corona Sapientiæ Timor Domini*, Ecclesiastici. Quamobrem qui Timorem DEI habet, tanquam qui in summitate domus consistit dicitur quolibet magno major. Iterum advoco Ecclesiasticum, qui cap. x. *Magnus*, inquit, *& judex & potens est, & non est major illo, qui timet* DEUM. Alibi admirabundus ad conspectum gigantea illius formæ, quem exaltavit Sapientia exclamat, Ecclesiastici xxv. *Quàm magnus, qui invenit Sapientiam, & scientiam, sed non est super Timentem Dominum.* Distinguitur hic Sapientia à Scientia, quod Scientia accipiatur pro cognitione intelligibilium ac speculabilium, scientia pro notitia agibilium circa quæ versatur Prudentia. Magnus autem & excellens, qui assequutus est divino munere eximiam præ ceteris Sapientiam ejusmodi, qua potens est alios docere, quæ de DEO divinisque sentienda sunt, divinas Scripturas explicare, veritatisque hostes redarguere. Magnus item, qui præ ceteris adeptus est Scientiam agendorum, ut & agnoscat, quid in singulis negotiis occurrentibus sibi sit agendum, & alios docere valeat, salutare consilium tradendo. Sed neuter attingit celsitudinem Timentis DEUM. Itaque Timens Dominum est in altiori loco constitutus: nempe, in tecto de-

matis.

QUOD

Qvod autē dicitur, *Initium* Sapientiæ *Timor Domini*, sive, ut alii legunt, *Principium*; ut nonnulli, *Caput*; Græcè, ἀρχή. Hebraicè, ראשית, *reschith*, ne his videatur adversari, significare potest, quod præcipuum est, ac primum tenet non tam ordinis, quàm dignitatis locum. Sic Ecclesiastici XI. *initium* sumitur pro summo ac perfecto, dum dicitur: *Brevis in volatilibus est Apis*, & initium dulcoris *habet fructus illius*: hoc est, summum perfectumque dulcorem: nempe, supremum apicem dulcedinis, seu principatum in dulcedine. Simili modo. Jacobi I. dicuntur fideles Initium creaturæ Dei: *Voluntariè genuit nos, Verbo veritatis, ut simus* INITIUM *aliquod creaturæ ejus*: id est, ut eruditi Interpretes exponunt, primitiæ, fructus excellentissimus. Quomodo quidam (*a*) dictum putant: *Initium Sapientiæ*, hoc est, primitiæ, & interpretantur, primum ac præcipuum fructum. S. Thomas (*b*) sanè, Initium Sapientiæ dixit esse Timorem Domini, id est, *primum Sapientiæ effectum*. In ea sententia videtur esse S. Ambrosius in psalmū CXVIII. cujus illud est argumentum: quod cùm Isaias Propheta cap. XI. enumerat Spiritus-sancti dona, ultimo, id est, altissimo loco, Timorem nominet: *Requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Domini: Spiritus Sapientiæ, & intellectus: Spiritus consilii, & fortitudinis: Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus Timoris Domini*. Eundem sensum indicat S. Nazianz. oratione XXVIII. cùm respondet objicientibus sibi imperitiam, confitendo, si quidem probent, se in schola Timoris Domini fuisse rudem, expertemque vixisse Timoris illius: quia hic *Timor*, ait, *Initium Sapientiæ dicitur, immò, & Finis sermonis* ab Ecclesiaste. Clemens quoque Alexandrinus in secundo stromatum Timorem fundamento fidei post-

(*a*) Pineda Job 28. n. 5. (*b*) 2. 2. q. 19. art. 3. (*c*) S. Ambros. in psal. 118. octon. 5.

ponit: *Fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio, postquam* Timor, *spes, pœnitentia.* Timor igitur, non tam Fundamentum Domus Sapientiæ, quàm Tectum dici debet.

ARTICULUS II.

Timor Domini Fundamentum

Ædificii Spiritualis.

VERUM alii quàm plurimi sacræ Architecturæ Magistri, mirabili consensu; immò illi ipsi, quos laudavi, diversis librorum suorum locis, constantissimè affirmant, Domus Sapientiæ Fundamentum esse Timorem Domini. Hos ut nominem fideliter, observo. Quod Latinis est *Initium*, Græcis, ἀρχὴ, Hebræis *reschith*, trifariam exponi ab Interpretibus divini Codicis. I. ut significet primitias Sapientiæ: quod quicumque sapere incipit, DEO Timorem, ut primum gratumque fructum soleat offerre. II. ut indicet, Timorem esse caput, vel præcipuam Sapientiam: quem qui non habet, revera nihil sapiat. III. ut idem sit, quod elementum, radix, fundamentum. Nomino igitur imprimis eos, qui Initium Sapientiæ hoc tertio modo accipiunt, & ædificii spiritualis inchoationem & exordium dicunt esse à Dei Timore, veluti à Fundamento. Quæ est communis SS. Patrum & sacrorum Interpretum explanatio. Imprimis verò S. Augustini libro secundo de Doctrina Christiana cap. VII. Clarissimè etiam S. Bernardus, tractatu de Donis Spiritus-sancti cap. I. *Prima gratia est Timor Domini. Mox, Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis ordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest.* Exordium vocat.

vocat. Quod autem est in Rhetorica exordium, in Architectonica dicitur Fundamentum. Quo vocabulo, ne quis superſit dubitandi locus, utitur antiquiſſimus Tertullianus, qui initio libri de cultu fœminarum: TIMOR, inquit, FUNDAMENTUM *eſt ſalutis. Timendo cavebimus: cavendo ſalvi erimus. Qui ſolicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus.* Quæ loquutio, tanquam Magiſtri ſui, quo titulo honorabat Tertullianum Cyprianus adeò huic placuit, ut libro tertio ad Quirinum cap. xx. eandem uſurparit, non ſine addito, quod conceptionem noſtram promovet, dicens, eſſe *Fundamentum & firmamentum* ſpei ac fidei Timorem: juxta illud: *Initium Sapientiæ Timor Domini*: &, ut in Sapientia Salomonis dicitur: *Initium Sapientiæ metuere* DEUM.

ARTICULUS III.

SIMILITUDINES VARIÆ,

Quibus perſuadetur, Timorem Domini Fundamentum eſſe Domus Sapientiæ; & poſſe dici primam Virtutum.

HUc facit imprimis comparatio S. S. Auguſtini & Gregorii, qui, dum conferũt ſeptem dona Spiritus-ſancti cum ſeptem Beatitudinibus Evangelicis à Chriſto D. traditis, *Donum Timoris* comparant cum Beatitudine primâ, quæ eſt Paupertas in Spiritu: *Beati pauperes Spiritu. Timor* DEI, inquit Auguſtinus. *libro de Serm. D. in Monte, cap. 9. congruit humilibus, de quibus dicitur*: Beati pauperes Spiritu: *id eſt, non inflati, non ſuperbi: de quibus Apoſtolus dicit*: Noli altum ſapere, ſed time; *id eſt, noli extolli*, ad Roman. xi. Nec movere debet, quod *Timor* inter Dona S. Spiritus poſtremo nominetur loco. Nam ſenſu D. Gre-

gorii, *Homil.* XIX. *in Ezech.* Dona Spiritus ab Isaia numerata sunt, descendendo à cœlestibus atque perfectioribus ad inferiora, ac minus perfecta, id est, à Tecto, ad Fundamentum. Quapropter à S. Basilio, *Timor* vocatur *Isagogicus*, seu Introductorius. *Necessariò*, inquit, *velut Introductorius ad pietatem* Timor *adsumitur. Caritas verò* à Timore *instructivo exercitatos suscipiens perficere solet.* Ac si dicat architectonica circumloquutione; Caritas est tectum, sed Timor fundamentum. Eodem spectat similitudo S. Bernardi, petita à Radice, quæ fundamentum est arboris. *Timor Domini*, ait, *radix est, & custos omnium bonorum. Vnde scriptum est*: Si non Timore Domini tenueris te, *instanter citò subvertetur domus tua: omne namque virtutum edificium illico vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium.* Ex quo colligas, existimasse S. Bernardum, Timorem Domini non esse Tectum: nam eo ablato non corruit domus, sed Fundamentum, quo vel labefactato concidit.

Qvid S. Ambrosius, cujus mens contraria videbatur? Apertissimè *Timorem* nominat *Basim* in psalmum CXVIII. ser. 5. sic scribens: *Verè Sapiētia à Timore incipit: nec est Sapientia spiritualis sine Timore Dei. Basis quædam Verbi est Timor Sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tūc majorem habet gratiā statua, cùm in basi fuerit collocata, standiq; accepit firmitatē; ita Verbā* Dei *vel rationabile* Dei *in Timore sanctus melius statuitur, & fortius radicatur: hoc est, in pectore timentis Dominū, ne labatur Verbum de corde unius cujusque.* Mox adjungit. *Quia* Basim Verbi Timorem *diximus, ne quid affectum à Scripturis potuisse nos quisquam putet, accipiat lectum de* Dei *Verbo in Canticis Canticorum*: Cant. V. 15. Crura ejus Columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas

signi-

(a) S. Basil. hom. 8. in Psal. 32. Dorotheus doctrina 4. Nicetas comm. in Nazianz. Beda Prou. 1. & 7.

significans Columnas esse Ecclesiæ Apostolos, qui fundati sunt in Timore sancto. Basis autem aurea Timor est plenus disciplinæ: quia initium Sapientiæ est. Timore ergo Sapientia Apostolicæ prædicationis nititur, & velut super basem auream columna confirmatur. Et vide tanquam basim auream esse Sanctorum Timorem. *Lege Isaiam Prophetam. Vide quantis subjecerit Timorem, ut faceret irreprehensibilem & bonum Timorem.* Spiritus, *inquit*, Sapientiæ & Intellectus, Spiritus consilii & virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti Timoris. *Quantis Timorem subjecit?* informatur per Sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Si itaque Timor est Basis, fundamenti rationem habet.

D. Nazianzenus, Elementum vocat, cui insistimus. Nonnemo (*b*) *Pedem* montis Sapientiæ. Fert animus, inquit, & juuat, ad veræ Sapientiæ culmen pervenire: primum cogitate de hoc Montis pede: videte, an DEUM timeatis. D. Antonius, teste Athanasio in Vita concipiebat Timorem velut Rupem aut petram cui anima incumbit & in qua sustinetur. Formido Judicis DEI ajebat (*c*) & pœnarum timor, tum lubricæ carnis incentiva dissolvit, tum ruentem animam quasi ex præcipitio sustentat: nempe, excipiens cadentem ex rupe in rupem alteram. Alia est imago symbolica S. Augustini (*d*) comparantis Timorem DEI, cum setâ, quam lino involvunt sutores, ut extet acuties, sicque per corium transmittant. Itaque existimabat, Timorem esse primam ordine inter virtutes ceteras. *Timor*, inquit, *quasi locum præparat caritati. Si nullus Timor non est, quà intret Caritas. Sicut videmus per se tam introduci linum, quando aliquid suitur.* Hanc

(*a*) Nazianz. or. 39. (*b*) Lact. 32. speculum Maria. Delr. (*c*) S. Anton. S. Athanas. in Vita. (*d*) S. August. tract. IX. in Epist. Joan.

D. Augustini similitudinem ex sutoria arreptam officina pluribus explicat Honorius in Canticor. VIII. & Notat Sutori necessaria esse, corium, ferrum, setam, linum. Corio comparat animam: ferro, seu acui sutoriæ Timorem servilem; setæ suillæ Timorem initialem; lino Timorem filialem. Sicut autem subula corium perforatur, sic Timore servili anima transfigitur, & reliqua immittuntur.

SERMO XII.

TIMORIS SPECIES

Præambulum.

Cum tam sint multi spiritualis vitæ Magistri, qui Timorẽ, ut Fundamentum Ædificii spiritualis habent, alii verò eundem, ut Tectum prædicant, reor distinctione, utriusque partis patronos conciliari posse: Sic namq; statuo. Esse Timorem quẽdam, qui neque Fundamentum, neque Tectum dici possit: aliquem qui Fundamenti, alium qui Tecti rationem habeat: nec deesse, qui utriusque rationem participet. Quod ut ab omnibus intelligatur instituenda est divisio in membra, sive species, aut genera, quæ idem hic valent.

ARTICVLVS I.

TIMOR NATURALIS.

Dispesco Timorem in quinque genera. Vel I. sit *Naturalis*. II. *Mundanus*. III. *Servilis*. IV. *Filialis*, vel *Castus*. V. *Initialis*. Natu-

RALIS

RALIS est adfectio quædam appetitus sensitivi, & significat nobis, imminentis mali fugam; estque insita à naturâ animalibus, ideoque non hominibus modò, sed etiam brutis. Hæc licet bona sit physicè, seu naturaliter, quia ad multa commoda ab Auctore naturæ est ingenita animalium generi, ut docet *Orat. contra Iram* S. Basilius; tamen, cùm in nostrâ non sit potestate, non potest moraliter dici bona, vel mala: ac proinde de eo Timore non est nobis sermo. Siquidem ad nos ille Timor spectat, qui dicit relationem quandam certam ad DEUM. Quod nõ convenit naturali, qui secũdum se consideratus, nec convertit ad Deũ, nec avertit à Deo: moraliter indifferens. Quod si avertit à Deo, ut fit, quando quis propter malum, quod timet, Deum offendit, aut paratus est offendere vel derelinquere, vocatur *Timor Mundanus*. Si autem propter malum formidatum, ad DEUM convertitur timens, plura sortitur nomina. Si enim convertatur, quia timet malum pœnæ, dicitur *Timor servilis*. Si, quia timet malum culpæ, vocatur *Filialis*. Si quia utrumque simul, nuncupatur *Initialis*.

ARTICULVS II.

TIMOR MUNDANUS.

ISta nominatur, quia est hominum, mundum, & quæ in mundo sunt nimium amantium, ac proinde ea amittere præposterè metuentium. Si quis igitur ita reformidet aliquod hujus vitæ incommodum, vel pœnam, ut ad illud depellendum, vel evitandum, non dubitet offendere Deum mortaliter, agitur Timore Mundano. Quo abreptus fuit Petrus, quando Christum negavit.

Est hic Timor apertè malus & noxius. Quem Christus vetuit apud Matthæum cap.x.28. *Noliee timere eos, qui occidunt corpus* Et S.Petrus post resipiscentiam, epistola 1. *Timorem eorum ne timueritis*. Ab eodem liberari petebat David,cùm sic precaretur:Ps.63.2. *A timore inimici eripe animam meam*, ut exponit S. Basilius.homil.5. in psal. 33. Oritur Timor iste ex amore vitioso, quo quis diligit inordinatè res mundi,divitias,honores,voluptates, vitam corporis,alios, aut seipsum. Inordinatè autem ista diligit, quando ut ultimum finem diligit, sic amando, ut paratus sit propter illa Deum deserere, aut aliquod legis ejus præceptum ad mortale obligans transgredi. Quia ea igitur inordinatè amat, timet etiam inordinatè eadem amittere. Quantus est, & qualis amor fruendi,tantus & talis est timor perdendi. Est autem Timor istiusmodi semper lethale peccatum. Ah! quot est malorum Timor iste caussa! Timet virguncula honestam paupertatem,sed duram,& thesaurum virginitatis prostituit. Metuit eandem,ut horridam, adolescens: & idcirco clepit, harpagat, defraudat, densum accumulat contra se rerum malè partarum lutum. Formidat aliquis excidere amicitia lucrosa hominis divitis: ea-propter mentitur, lenocinatur, fidem vel simulat, vel negat. Quo-nam se non demittit aulicus ambitiosus? Quidnã non designat homo venereus ut in amicæ suæ amorem se insinuet? vel in ejus non incidat indignationem? Incredibilia sunt, sed certa,in hoc genere, quæ referre possem, sed nolo,neque expedit. Quæ caussa rapinarum, hypocrisis, perjurii, hæresis, apostasiæ crebrior, quàm Timor iste Mundanus?

Hic igitur neque Fundamentum est Domus Sapientiæ, neque tecti rationem habet: immò, ædificationis spiritualis est maximum obstaculum. Adeò, ut S. Tho-

mas

mas Aquinas oppositam illi virtutem, Fortitudinem posse dici Fundamentum existimet. Nam S-Sdæ quæst. IV. art. 7 quærenti, An Fides sit prima virtutum? respondet, Fidem, quà principale fabricæ spiritualis Fundamentum, esse haud dubiè primam: nihilominus quandam aliam, indirectè, quatenus removet obstaculum ponendi fundamentum, posse dici priorem. Et præter Humilitatem, nominat Fortitudinem, quatenus aufert inordinatum Timorem impedientem fidem. Multi enim non jaciunt firmum fidei fundamentum, Timore mundano præpediti. Joannis XII. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam* DEI. nimirum, amabant inordinatè gloriam mundanam: hinc Timor amittendi *Mundanus*. Joannis IX. parentes cæci nati cùm interrogarentur: *Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est, quomodo ergo nunc videt?* Respondernnt, *scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet: ipse de se loquatur.* Quare non confitebantur clarè, & Christo dabant gloriam? *quoniam timebant Iudæos*: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Timore mundano perculsus Petrus ter Dominum negavit, Joannis XVIII. In veteri Testamento, tempore Antiochi & Machabæorum plurimi ex Judæis Timore mundano defecerunt à fide, facti idololatræ. Ex Timore mundano scaturiit olim in Ecclesia Christiana Crimen Traditorum: de quo frequens est mentio in schismate Africano. Propter Timorem istum Helæsaitæ, putarunt fidei fundamentum moveri posse. Hos sequuti Priscilianistæ illud mysticum jactabant:

lura, periura, secretum prodere noli.

Eodem Timore correpti non pauci, in Britannia, Hollandia, Germania, Lutherani, Calviniſtæ, Pſeudopolitici omnem religionem ſimulant. E Catholicis tepidi, conjungunt ſe hæreticis, aut, ſi non amplectuntur, hæreſim non damnant, ore ac converſatione, ſi nõ corde fidem abnegãtes. Quare per quàm accommodè Tertullianus, in Scorpia. c. 12. Timorem illum vocat *auctorem negandi*. Et D. Gregorius Nazianzenus ſcitè dicit Oratione 1. de Pace: nihil perinde timendum eſſe, quàm ne quid magis quàm DEUM timeamus, ob eamque cauſſam fidei virtutisq; cujus ſervi ſumus, cauſſam deſeramus. Eodem intuitu S. Baſilius in Pſal. XXXIII. Timorem mundanum appellat *hoſtilem*, ſive quia ab hoſte ſalutis contra ſalutem injicitur, ſive quia defectionem ad caſtra hoſtilia ſuadet: atque ita exponit precationem illam Davidis Regis: *A timore inimici eripe animam meam.* Pſal. LXIII. Itaque qui in fide ac pietate optimè fuerunt radicati & fundati, *Timorem Mundanum* procul ex corde ſuo ejecerunt, Virgines caſtæ, juvenes pudici, viri honeſti, Catholici ferventes, Martyres invicti: memores monitionis dominicæ, (a) *Nolite timere eos qui occidunt corpus:* & Apoſtolicæ, (b) *Timorem eorum ne timueritis, neque conturbemini.* Item: (c) *Non dedit nobis* DEUS *Spiritum Timoris, ſed virtutis, & caritatis & continentiæ.* Quibus convenit animoſa proteſtatio Davidis: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* (d) *Si conſiſtant adverſum me caſtra, in hoc ego ſperabo.* (e) Ex his conſtat, *Timorem Mundanum* dici poſſe Fundamentum Domus Inſipientiæ: cui enim inſipientia peccatum omne, & inſipientes, ac ſtulti peccatores: non Domus Sapientiæ, aut virtutis. Timor mundanus Fundamentum eſt Babylonis, civitatis terre-

(a) Matt. 10. Luc. 12. (b) 1. Petri 3. 14. (c) 2. ad Timoth. 1. (d) Pſal. 117. 6. 7. (e) Pſ. 26. 3.

terrenæ, non Jerusalem, civitatis cœlestis. Sed nos Fundamentum Domus Sapientiæ inter Timorum species inquirimus.

ARTICULUS III.

TIMOR

Servilis. Filialis. Initialis.

Quis-nam ex iis sit Fundamentum Domus Sapientiæ.

TIMOR SERVILIS dicitur, quo quis timet pœnas à Deo constitutas peccatoribus; atque ita movetur ad benè agendum, ut pœnas illas evadat. Seu, quo malum vitat, & bonum operatur, timore gehennæ, ne à DEO in hoc seculo, aut futuro puniatur. Oritur Timor iste non proximè, neque propriè ex amore DEI, sed ex amore sui, non tamen per se malo: quo nimirum quisque amat incolumitatem suam suaque commoda. Vocatur *Servilis*, quoniam mos servorum est, obsequi dominis non ex amore ipsorum, sed ex amore sui, ne vapulent, si non obsequantur. *Timor*, inquit Augustinus, Conc. 25. in psal. 118. *quo non amatur iustitia, sed timetur pœna*, Servilis *est*.

TIMOR FILIALIS est ille, quo quis timet offendere DEUM, & ideò non audet ejus transgredi præceptum, ne gratiâ ejus excidat. Nascitur ex amore DEI filiali, qualis cernitur in bonis filiis erga parentes, quos metuunt offendere. A. D. Augustino in psal. CXVIII. exponente illud *Confige timore carnes meas*, vocatur *Castus*. Clarè S. Dorotheus: doctrina 4. *Quàm primum filius ad virilem & prudentem ætatem perrenerit, voluntatem & mandata patris sui agit, non timore, ne cadatur; neque concupiscentia, ut mercedē,*

aut

aut stipendium ab eo capiat, sed quia illum diligit, veneratur & colit, & caritatem unicè observat. Qui hujusmodi est, jam audiet meretur: non es seruus, non mercenarius, sed filius & heres.

TIMOR INITIALIS est, quo quis ita timet offensionem DEI, ut simul etiam timeat pœnam: & idcircò est *Timor filialis* imperfectus; vel *Timor mixtus* ex filiali, & servili. Quare, cùm Tectum ædificii spiritualis aliquatione sit Timor filialis, ut suo loco demonstrabitur; & Fundamentum tantùm, Timor servilis, ut mox patebit, de tecto & fundamento participabit Initialis. DICATVR igitur, inter Timoris species, Fundamentum simpliciter esse illum, qui vocatur *Servilis*: à D. Basilio nominatus *Isagogicus*, seu introductorius. Sed Fundamentum, ut nuper de Humilitate probabam, secundarium, & non nisi indirectè, ac dispositivè, removendo præsumptionem, arrogantiam aut superbiam, quæ impedit ædificationem, & collocationem fundamenti primarii, quod est Fides. Certè, vix ullus fundamentum Fidei suo in fundo ponit, nemo penè, aut ordinariè nemo, iustificationis palatium erigit, communi modo nemo ædificat Domum Sapientiæ, nisi Timore servili solum suum præparaverit. Atq; de hoc Timore interpretor celeberrimum illud dictum, *Initium Sapientiæ Timor Domini*. Quod de Servili intellexerunt antiquissimi & gravissimi Patres, tanto consensu, ut contra velle asserere, temerarium videri possit. Sic enim docent, Clemens Alexandrinus, (*a*) S. Basilius, (*b*) Nazianzenus, (*c*) Hieronymus, (*d*) Augustinus; (*e*) Bruno, (*f*) Theodoretus, (*g*) Salonius, (*h*) Beda, (*i*) Eorundem sensu accipio τὸ *Initium*, ut idem sit, quod primum elementum, fons, radix, & secundum archi-

ctonicam,

(*a*) lib. 2. strom. (*b*) homil. 9. in psal. 33. (*c*) Niceras comm. in Orat. 2. de Pasch. Nazianz. (*d*) in 1. cap. Malach. (*e*) in cap. 1. Ioan. tract. 9. (*f*) in psal. 119. (*g*) in psal. 110. (*h*) in 1. Prou. (*i*) in 1. Prou.

ctonicam, *Fundamentum Sapientiæ*: ut superius est satis declaratum. Et ne lateret ambiguitas in vocabulo Hebraico ראשית *reschith*, Eccl. 1.16. *Initium Sapientiæ*, Latinè vertitur: & Proverbiorum 1.7. *Timor Domini* principium *Sapientiæ*. Iterum Proverbiorum IX.10. *Principium Sapientiæ Timor Domini*: vbi non est *reschith*, ut in priori loco, sed תחלת, *thechillath*; quæ vox non significat unquam principatum, aut primitias, sed simpliciter, ac propriè dictum in ordine vel loci, vel temporis initium, quod veteres vocabant *Incipium*. Est igitur sensus, secundum litteram, moribus informandis accommodatus: Veram, perfectamque Sapientiam, quæ est virtutum omnium in vnam veluti Domum conformatarum apta ad inhabitandum dispositio, non inchoari à multa variaque lectione, non à multiplici rerum cognitione, non à vehementi animi contentione, aut ab acutâ speculatione, non à peregrinatione, à linguarum peritia, à nationum procul dissitarum notitia, ab artium scientiarumque investigatione, sed à Timore Domini, & eo signatè, qui dicitur Servilis. Hunc esse substructionem Fidei, hunc Isagogen ædificationis spiritualis, denique, hunc esse Fundamentum Domus Sapientiæ. Tunc ædificare incipimus, quando DEUM universorum Judicem, & quas inobedientibus, ingratis, prævaricatoribus minatus est pœnas, incipimus metuere.

QVOMODO Timorem Servilem esse salutis initium & fundamentum, præter nominatos PP. scribunt Philo Carpathius, & Severianus commentario in Cantic. cap. VIII. Vulgatum est illud Augustini libro de catechizandis rudibus: *Rarissimè accidit, immò, ferè nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo* DEI *Timore perculsus*: quo illo? *Servili*. Quod si Christianus in fide firmus, meditetur conversionem ad vitam perfectam,

Apo-

Apostolicam, religiosam; iterum à *Timore Servili* sumitur exordium. Sic Joannes Cassianus, cujus hæc est sententia lib. IV. Institut Monasticar. cap. 39. *Per Timorem* DEI *& initium conversionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, adquiritur.* Illorum sunt voces, quæ fidelium apud Prophetam (a) prolatæ, probatæque, *A timore tuo concepimus, & peperimus spiritum salutis.* Denique verissimum est illud Ecclesiastici. (b) *Qui timet* DEUM *convertetur ad cor suũ.* Itaq; initium conversionis, ut benè dixit Cassianus, nempe, ad vitam perfectam, ad statum religiosum, ad Monachatum, et cœnobium, ad eremum, est Timor: non dixit est desperatio. Desperatio pendulum facit ex furca vel arbore, cum Juda, non Monachum in solitudine aut cella cum Francisco. Falsum est istud popelli, & blasphemum, si universè intelligatur. Desperatio facit Monachum: & & illa potissimùm desperatio, quam vulgus insinuat, de opulenta aliqua sponsa ducenda. Scilicet! desperatio de consequendo illius consortio, & cũ illa individuâ vitæ societatem ineundâ, quam bona ne an mala, dolosa an fidelis, trux venefica, an amabilis & pacifica sit futura ignoras, quæ fortè te ad extremam calamitatem redigeret, omnium tibi futura malorum caussa, nullius boni, sit satis, ut prudentem æterno religionis includat carceri, quæ hæc insania? Non desperatio de sponsa, sed Timor Judicis & gehennæ implet monasteria ac solitudines. *Initium Sapientiæ Timor Domini.* Fundamentum Ædificii spiritualis Timor est, non desperatio.

(a) Isa. XXVI, secundum LXX. (b) Eccl. XXI. 7.

SER-

SERMO XIII.

TIMOR DOMINI

Quomodo secundum Architectonicæ regulas, esse, ac dici possit Fundamentum Aedificii spiritualis.

IS non cuilibet est obuius, quùm omnes fundamenti jaciendi modos FIDEI *& Humilitati applicasse videamur. Sed diligenti investigatione deprehendimus ex Architecturæ arcanis, esse quandam fundandi rationem, quæ non nominatis illis virtutibus, sed Timori Domini competat.*

ARTICULUS I.

SUBSTRUCTIONES IN SOLO PALUSTRI

Per Carbones, & Lanæ vellera.

MAGNIFICENTISSIMA Ædes fuit Ephesiæ Dianæ, quæ ducentis annis & viginti ædificata est à tota Asia. (a) Sed nihil in ea fuit admirabilius, quàm Fundamentum par tanto ædificio. Mirabantur quidam longitudinem, quæ erat quadringentorum viginti quinque pedum: alii latitudinem, quæ erat ducentorum viginti: nonnulli columnarum multitudinem, nam numerabantur CXXVII. à singulis Regibus factæ, pedum sexaginta amplitudine: ex iis XXXVI. erant cælatæ. Sed plus admira-

(a) Plini lib. 7. cap. 33. Strabo lib. 14.

mirationis habuit Fundamentum, de quo cùm consultarent artifices, auctor fuit Theodorus nobilis Architectus, cũ Chessiphrono Gnosio, ut collocaretur in loco paluſtri, ne terræ motus sentiret, aut hiatu subsideret. Verùm, dubitantibus, quomodo solum firmari posset, ut fundamentum sustineret, asseruit Theodorus, subjiciendos esse carbones, deinde velleribus lanæ calcandum. Ita factum. & sic locus, cùm humidus antea esset, soliditatẽ accepit, instar saxi, factus immobilis, (a) *In paluſtri*, inquit Plinius, *ideò fecêre, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret: rursus, ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, ante calcatis in ea substravêre carbonibus: deinde velleribus lanæ.* Approbat hunc fundandi modum Vitruvius (b) in suis architectonicis, quem ad rem nostram accommodemus.

(a) Diogenes. Pausanias. Plin. lib. 36. cap. 14. (b) Vitruvius lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 12.

ARTICVLVS II.

Anima Humana

Humus & est paludosus. Carbo Timoris Domini Symbolum.

Ædificamus Domũ Sapientiæ in solo paluſtri. Is sanè rectè concipitur Anima hominis, quæ limosa est, & obducta perturbationum stagnantium aquis: ſiccatur facilè ad solis Justitiæ ardorem, in gratiæ peculiaris æstate; licet abundet undis in sæva tentationum hieme, ac desolationis bruma. Quod autem in humo paludosa accidit, id in nobis experimur. Sunt in anima velut coaxantes ranæ passionum, lumbrici affectuum, limus imperfectionum, cænum cogitationum vanissimarum.

marum. Unde est impura mortua, deses. Verum, in palustri fundamentum non ponitur, nisi fuerit tellus in aquosa, nempe, sine aquâ, quæ vel exsiccata fuerit, vel haustoriis instrumentis educta, vel alium in locum derivata. Accommodatè ad institutum nostrum S. Ambrosius (a) disputans de deserto, in quod secessit Christus Matthæi IV. docet, libenter illum in nobis habitare, velut in Domo Sapientiæ, quæ est Sapientia Incarnata, cùm corporis nostri quasi terram fame squalidam, ac siti aridam reperit. Quare necessarium est, ut humus nostra sit deserta à mundanis deliciis, invia diabolicis concupiscentiis, inaquosa libidinosis illecebris. Nimirum alludit ad illud psal. LXII. *In terra invia & inaquosa, sic in Sancto apparui tibi.* Simile quid scribit S. Hieronymus, (b) qui censet, neminem esse DEI habitaculum, nisi prius in eo invenerit terram desertam à vitiis, & inviam adversariis potestatibus, & absque humore ac rheumate vllius libidinis.

NVNC autem, quoniam Anima nostra est velut terra palustris, aquosa, ideoque lubrica & instabilis, quid facto opus, ut fundamentum tantæ molis, quanta est Domus Sapientiæ, sustineat? Imprimis oportet substernere calcatos carbones. CARBO symbolum est TIMORIS DOMINI. quod ne fingere videamur ex ipsis oraculis divinis est confirmandum. Ex iis autem deducitur, duplici nomine Timorem Domini Carbone, tanquam symbolo, significari. Primò quidē, quia omnia Spiritus sancti dona, inter quæ Timor, ut Carbones igniti concipiuntur, eam ipsam ob caussam, ob quam Divinus Spiritus igneis in linguis, id est, carbonibus, in linguarum formam effictis Apostolorum verticibus insedit. Sive

(a) S. Amb. ser. 37. edit. veter. vel 39. Rom. aut ser. 77. de temp.
(b) S. Hieronym. epist. 46.

quod se Patri consubstantialem, simulque Filium Dei vellet ostendere: vocatur enim DEUS *Ignis*, Deuteronomii XXXXII. sive quod se vim purgandi, convertendi, consumendi habere hoc symbolo indicaret. Sive quod revera is sit, de quo canit veritatis assertrix Ecclesia:

Fons vivus, IGNIS *charitas.*

rectè igitur Dona divini Spiritus veluti Carbones animo obijciuntur.

HORUM autem multiplex est usus: nam præterquam quod ad fundamentum Domus Sapientiæ adhibeantur, ut postea explicabitur, ollis eos suis DEUS subijcit, calorem iis in aquam frigidissimam, & congelatam inducit, frigus educit, eduliaque in iis constipata epulis divinæ mensæ parat, quæ sunt bona desideria in animis carbonibus illis benè cocta. Ego certè sæpenumero animam humanam concipio ex Jeremia Propheta, vt Ollam, primùm algidam peccati glacie, mox tepidam Timoris servilis carbonibus substratis, tandemque effervescentem Timoris filialis flamma crepitãte. *Factum est*, inquit Propheta cap. 1. Jer. 1. 13. *Verbum Domini secundò ad me, dicens. Quid tu vides? & dixi, Ollam succensam ego video, & facies ejus à facie Aquilonis.* Hanc Ollam symbolicè designare animum perversum infidelium Hebræorum existimat S. Gregorius: (*a*) glaciem autem & frigus, indurationem eorundem perfidiam à malo Aquilone proveniente. (*b*) Ego magis universè, peccatoris cujuslibet obdurati cor concipio, instar Ollæ ferreæ, quæ plena sit aqua conglaciata. Miser homo, qui talem circumfert ollam, sed miseriæ hujus non est remedium, nisi per misericordiam, qua motus Dominus, mittit è cœlo carbones, & gelu solvat. Cor hominis criminosi, velut Ollam carbones cœlestes, Dona Sancti spiritus, & Timoris potissimùm

(*a*) Homil. 3. in Ezech. (*b*) lib. 29. Moral. cap. 21.

mùm si cingant, solvitur pervicaciæ glacies, obduratio paullatim colliquescit per timorem servilem: si accedat initialis, & cum filiali ardor caritatis, cordis intima inflammantur, & conversus ad DEUM desinit esse, qui fuit, & incipit esse, qualem se sentiebat, qui instanter oraverat. *Cor mundum crea in me* DEUS, *& Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

JAM verò, Carbones, Timorem Domini, quem Servilem dicimus, & ædificii spiritualis est fundamentum, alio nomine peculiariter exprimunt, quoniam pœnas impiorum, temporales & æternas, flammam gehennales, DEUMque ut justissimum & severissimum Judicem malefactorum symbolicè denotant. Ita *Carbones desolatorios* exponit S. Basilius, considerans illud psalmi CXIX. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, quia desolatum faciunt eum, qui pœnas illas sustinet. LXX. Interpretes habent, ἄνθρακας ἐρημικούς, quasi desolantes, quod nimirum desolationem talem inducant, ut omnia redigant in solitudinem, sicut ignis devorans, ædes, civitates, populos, provincias, omnia. Nebiensis legit, *cum carbonibus genistarum ardentibus gehenna inferius.* Quo indicatur inferni pœna ignis diutissimè durantis, nempe, in perpetuum. Idem significavit Nicetas doctus Nazianzeni Scholiastes, Orat. 42. Interpretans Carbones istos vindices & malos. Rabbi Salomon quoque explicat de igne gehennæ inextinguibili, quo puniantur Babylonii, qui vexaverunt in captivitate populum Israël. Alii apud S. Chrysostomum legunt: cum *carbonibus constipatis.* Nonnulli, cum *Carbonibus in lecti formam constratis.* quo nihil fingi potest accommodatius, ad miserrimum damnatorum situm inter flammas cubantium exprimendum. Et passi sunt quid simile Martyres aliqui, in carbonibus cõstrata culcitra resupinati. S. Hieronymus legit, *Carbo-*

nes juniperorum, Quidam alii, *geniſtarum*. Certè juniperorum carbones diutiſſimè ignem conſervant, ſuntque ardentiſſimi, & cùm videantur foris extincti, redactique in cineres, interius ardent, ut tradunt Plinius & Theophraſtus. (*a*) Confirmat ea S. Iſidorus, (*b*) & inter etymologias hanc adfert de Junipero, quod ab amplo in anguſtum finiat, ut ignis: ſive quod conceptum diu teneat ignem, adeò, (*c*) ut ſi primæ ex iis cinere fuerint opertæ, uſque ad annum perveniant. Quod πῦρ apud Græcos ignis dicatur pueris notum eſt: illud etiam in confeſſo, diutiſſimè in junipero ſervari ignem: eſt enim illius materia denſa, pinguis, & quodammodo incorruptibilis. Plinius autē auctor eſt, cariem veſtuſtatemque non ſentire: ac templi cujuſdam trabes ærate ſua duraſſe, quod annis ante Troiæ excidium ducentis conſtructum fuerat.

CARBONUM eorundem fit mentio pſalmo CXXXIX. *Cadent ſuper eos carbones: in ignem deijcies eos: in miſerijs non ſubſiſtent*. Sermo eſt de ſupplicio improborum, quod ſuſtineant, carbonibus ignitis in eos immiſſis, ut iis obruantur, nec poſſint oppreſſi ſe erigere, attollere, ſubſiſtere. Docent autem graviſſimi Interpretes, pertinere hoc ad facinoroſos, æternis Carbonum gehennæ incendiis puniendos, ac in gehennales flammas, unde nunquam emergant, deijciendos: ita, ut illa tormenta intoleranda (ſic loquuntur) tolerare ſemper cogantur, & de uno tranſire ad aliud, abſque ſpe ullâ liberationis. Quod clariſſimè ſignificat Chaldæus Paraphraſtes, qui ita vertit, *Cadent ſuper illos carbones de cœlo: in ignem gehennæ præcipitabit eos: in foveas ſcrobium, ex quibus non reſurgent ad vitam æternam*. Vel, ut eſt in textu, & translatione Nebi-

(*a*) Apud Genebr. in pſal. 119. 4. negat Lorin. ſe reperiſſe apud illos. (*b*) Iſidor. l. 17. Orig. cap. 17. (*c*) Hoc ridet Scaliger Exerc. 328. in Cardan.

Nebiensis: *Cadent super illos carbone: de cœlo in ignem, & in gehennam præcipitabis eos, & in foveas scrobium, de quibus non resurgent*: item, *in foveas illaquationis cadent: & non resurgent ad vitam æternam.* Nonne meritò ad hæc tinniant aures impiorum, quibus acclamari potest, quod est apud Isaiam: cap. XXXIII. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.* Denique, *Carbones decidentes* super damnatos, sunt; (*a*) qui designare putant Dæmones, ac etiam damnatos alios, quasi ruentes super alios, cum faciebus fuliginosis & denigratis super carbones, ut loquitur Jeremias in Threnis: (*b*) Quod præclarè denotat pœnam in inferno demorantium. Et alluditur ad ignem Sodomiticum, quo civitates quinq; conflagrarũt, *descendente igne in pentapolim*, Sapientiæ x. & ad ignem egressum à Domino, qui devoravit Nadab, & Abiu filios Aaron, Levitici x. & alios postea murmuratores, Numer. XI. Ar quoque & habitatores Arnon, Num. XXI. Atque ita periit ob infidelitatem impietatemq; suam. Olympius Arianus Episcopus in Africâ, dum in balneo S-S. TRINITATEM blasphemaret: ignito enim triplici jaculo cœlitus prosiliente, multisque videntibus absumptus est. (*c*) Præterea, Imperator hæreticus Anastasius. (*d*) Atque ob improbitatem Hatto Moguntinus Antistes, malæ famæ vir. (*e*) Sensus itaque illius comminationis est. Cavete criminosi, sagittæ potentis Judicis sunt acutæ cum carbonibus desolatoriis, carbones ignitos vobis immittet, & in carbones vos deijciet, ut, & cadant carbones super vos, & ipsi cadatis in eosdem, fulminati & cooperti ab illis, perpetuò in iis rotandi.

(a) *Martinus Alfernis.* (*b*) Thren. 3. 5. (*c*) Sigeber. Chron. Zonaras tom. 3. (*d*) Sigeber. Chron. Crantius *M*etrop. lib. 2. cap. 25. lib. 3. c. 4. (*e*) Serar. lib. 4. Moguntiac.

CARBONES itaque isti calcandi sunt in animâ, tanquam in terrâ palustri, ut fiat solum, Fidei fundamento sustinendo idoneum. Clarius meditatione crebrâ suppliciorum, maximè, infernalium, eorumque salutari metu ac formidine, quæ dicitur *Timor* Domini *Servilis*, Anima peccatoris, quæ ob insitam vanitatem, & affectuum, ac criminum humorem redundantem, instar aquæ, diffluit, exsiccatur, firmaturque: & sic apta redditur, ut Fidei fundamentum suscipiat, sustineat, retineat. Ita enim fit, ut licet anima fuerit antea, ceu terra palustris, tamen in eâ jam nequaquam, ut in lubrico & instabili fundamentum ponatur: stabilitur enim ac solidatur, immò lapidescit, istis in ea calcatis carbonibus. Quod clarissimè, absque ulla metaphora, docent ædificationis spiritualis Magistri. S. Cyrillus Alexandrinus imprimis, qui lib. 2. cap. 16. sic Isaiam exponens scribit: *Tenendum est, animam* DEI Timore, *velut muro obseptam fortem esse, & quodammodo invictam.* Firmitatem igitur communicat Timor Domini. Quocirca monet Salomon ut firmitatem nostram fortitudinemque in Timore illo sitam putemus. *In Timore fiducia fortitudinis*, inquit Proverbiorum XIV. Et, *qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus.* Quod pulchrè atque eleganter deducit Lactantius desumpto ex Philosophicis principio. *Nemo dubitat*, inquit, lib. VI. de vero cultu, *qui timidi & imbecilli sunt animi, aut dolorem metuere, aut egestatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem: quæ omnia, quisquis non exhorruerit, fortissimus judicatur. Qui autem* DEUM *metuit illa universa non metuit.* Rectè. nam Timor Domini, etiam Servilis, expellit Timorem exilii, servitutis, carceris, egestatis, omnisque alterius rei formidinem: siquidem timens DEUM, eligit potius mortem, universamque suppliciorum molem sustinere, quàm DEUM offen-

offendere, Calcatis igitur in anima, ut paluſtri ſolo, per Timorem Domini, Carbonibus gehennæ, ſoliditas obtinetur: nam Carbones iſti abſumunt paludis immundæ humorem omnem: hoc enim habet gehennæ Timor, ut obſervat Climacus gradu ultimo. Sic ergo in anima aptatur ad Fidei fundamentum locandum locus.

ARTICULVS III.

CARBONES JUDICIS SEVERI,

Lanæ vellera Patris benigni ſunt ſymbola.

VERUM, Carbonibus iſtis, ex Architecturæ ſacræ præſcripto, conjungēda ſunt Lanæ vellera, quibus magis magiſque firmatur animæ ſolum: id eſt, ut clariſſimè dicam, Timori copulanda eſt Miſericordiæ divinæ, per Chriſtum Salvatorem, Fiducia, ſine qua minus eſſet firma ſubſtructionis moles. Hoc eſt, quod docuit Tridentina Synodus, eo loco, in quo egit de Fundamento, quod indirectè, quia diſpoſitivè ad Ædificium ſpirituale requiritur, id eſt, de præpararionibus ad ſanctificationem peccatoris. Poſtquam enim dixiſſet: peccatores à Juſtitiæ divino Timore utiliter concuti, addidit, eoſdem tunc ad Miſericordiam DEI conſiderandam ſe convertendo in ſpem erigi, fidentes, DEUM ſibi propter Chriſtum, propitium fore, ſicque paulatim ad juſtitiam & ſanctitatem, perfectam perduci, Seſſione VI. cap. 6. Bene autem per *Vellus Lanæ*, Miſericordia, manſuetudo, & longanimitas DEI Opt. Parentis ſignificantur. Eſt enim *Vellus* ab animalium manſuetiſſimo, ipſoque Miſericordiæ ſymbolo, Ovicula reſectum. Immò,

in Litteris divinis, per Vellus exprimitur πραΰτης, mansuetudo, seu longanimitas. Sic Psalmo LXXXIX. 10. ubi ex LXX. legitur: *Quoniam supervenit mansueto*, in Hebræo legi potest gez-gez, quæ vox alibi (a) per *Vellus* redditur. Hoc Lanæ vellus, id est, DEI Misericordia, si cum Carbonibus, id est, judiciorum divinorum Timore prematur, & & calceturin corde, omnem illecebrarum humorem ex paludosa illa tellure exprimit, solumque ejus ad sustinendum virtutum palatium stabiliet.

(a) Deut. XVIII. 4. Job XXXII. 20. Serarius Judic: VI. q. 24. nu. 8.

ARTICULUS IV.

CHRISTUS JESUS

Ceu Lanæ Vellus, Ædificio spirituali virtutum supponendus.

MELIUS fortasse fecero, si *Lanæ Vellus* fundamento Domus spiritualis substernendum, dicam esse illum, sine quo nulla inchoatur, sive in terris sive in cœlis, Palatii moralis, mystici, divini, ædificatio, quodque omnibus supponi debet, ut firmitatem assequantur. Is est CHRISTUS JESUS, viuum virtutum omnium Fundamentum, ac unicè solidissimum. An non enim in Christum Charismata Divini Spiritus, sicut *Pluvia* in *Vellus* descendêre? *Quid* VELLUS Gedeonis *significat*, inquit suavissimus Bernardus, Sermone 2. super Missas. *quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, nisi Carnem adsumptam de Carne Virginis absque detrimento Virginitatis? Cui utique distillantibus cœlis, tota se infudit plenitudo Divinitatis.* Si Christus est Agnus DEI innocens & immaculatus,

tus, ejus Caro est candidissimæ Lanæ Vellus, cujus meritis omnia ædificandi impedimenta auferuntur. Videtis-ne quàm bellè conveniant Architecturæ sacræ profanæque observationes. Ex quibus deduximus, accommodatitio sensu, Timorem Domini, & ejusdem misericordiæ fiduciam, adjunctis Agni immaculati exuviis, ac meritis, esse *Carbones & Lanæ Vellera* in paluſtro animæ solo jacienda & calcanda, ut Domus Sapientiæ, quæ Divinum est virtutum ædificium, possit exsurgere.

ARTICULUS V.

ARTIFICIUM ARCHITECTONICUM

Collocandi fundamentum, adactis in imo Palis.

MAGISTER Architecturæ vulgaris Vitruvius libro tertio cap. 3. quod est de fundationibus, tam in locis solidis, quàm congestitiis, postquam docuit, fundationes in solido fieri debere, si queat solidum inveniri, addit, si hoc non reperiatur; sed locus sit congestitius ad imum, aut paluster, debere palis alneis, aut oleagineis, aut robusteis ustulatis configi, sublicæque machinis adigi, & tunc structuris solidissimis fundamenta implenda esse. Alii brevius id exprimi posse existimant, & dicunt, terram prius fistucationibus, nempè, palis è robore, alno, olea ustulatis, & fistuca machina adactis solidandam, antequam principale fundamentum jaciatur. Idem præceptum inculcat lib. v. cap. 12. Atque secundum hanc regulam, Venetiis, cùm ea vrbs Adriatici maris stagnis & paludibus inædificata sit, fundamenta ædium constituuntur. Quod refricat mihi memoriam

civitatis nobiliſſimæ, & emporii in tota Europa celeberrimi Amſtelodami,(quod mihi natale ſolum Anno 1578.) Hæc urbs viris pariter,& opibus præpotens, in intimi ſinus Batavici faucibus poſita, præter naturæ munimentum, operibus etiam pro loci genio haud invalida, quùm paludoſo minimèque firmo ſolo inhæreat,aut, ut quidam aſſerit, (a) potius in undis natet, fundamenta non niſi incredibili impendio poni patitur,adactis per fiſtucas trabibus arboribusque ingentibus,aut ſubſtrata materia, per ſublicas connexa. Quo fit,ut putentur fundamentorum impenſæ ſubinde reliquam ſtructuram æquare vel excedere.

(a) Hadria. Junius in Batavia.

ARTICULUS VI.

Timor Domini

Comparatur cum Palis oleagineis, alneis, robuſteis.

Anima hominis infidelis,aut peccatoris,ut jam ante præſcripſi,vndis criminũ eſt obruta, vel iis innatat, verè paluſtris,inſtar terræ,aquis immerſæ, nihil habens in imo ſolidi, cùm non niſi vanitate innitatur, & rebus nihili, immò,ſit ipſa Vanitas, & umbra mendacioque inſtabilior. In illo tamen, ad id deſtinato ſolo, Ædificium ſpirituale exſtruendum eſt, cujus *Fundamentum* ſit *Fides* ære perennius. Quid remedii?ab Architectura id petendum. Hæc docet,ut audiviſtis, terram iſtiuſmodi fiſtucationibus eſſe ſolidandam,adigendos creberrimè Palos uſtulatos,ex olea,alno,robore, tũc verò iis ſuperædificandum.In Architectura-ſacra, quam hic profitemur,

mur, *Palus* est *Timor Domini*, cujus varia officia, & functiones, sunt veluti Pali multiplices, quibus spiritualis fit palatio. Iis enim anima confixa solidatur, ut ad suscipiendam substructionem Fidei, aliarumque virtutum structuram sit aptissima. Hanc sive conceptionem, sive applicationem suggerit mihi Architecturæ sacræ peritissimus Rex David, qui cùm haberet in optatis, ut in anima sua à supremo Architecto Ædificium virtutum erigeretur, sciret autem solum istud esse paludosum à stagnantibus concupiscentiæ undis, atque idcirco, non posse, nisi adactis palis fulciri, precabatur identidem, quod est. Psalmo CXVIII. *Confige* Timore tuo *carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* Ac si ita oraret supplex. Quæso Te, Princeps clementissime, & Architecte sapientissime, tuis non solum auspiciis, sed & sumptibus præpara locum palationibus necessariis: nam mihi id est impossibile, cùm incredibilis impendii sit, in aquis vanitatis fundamenta jacere: deinde, manum ipse ædificationi admovebo sedulò. *Confige* Timore tuo *carnes meas.* Ita Timore, tanquam Palis, suppliciorum igneorum jugi memoria præustulatis caro configitur, & solidatur. Nec te moveat, quod carnem nominet, non animam: per carnem enim intelligit, non corpus hoc, quod circumferimus, sed carnales cupiditates, quæ sunt in anima, ut subsiliens & fungosa terra, minimè firma: illas enim petit Timoris palis transfigi, ut sese amplius commovere non valeant. Loqui autem Psalmistam de Timore Servili, qui fundamentum est fidei, quamvis alii de filiali intelligant, omninò est verisimile.

Et quidem Timor ille multa habet cum Palis communia, ne quis symbolum & similitudinem calumnietur. Imprimis enim, sicut Palus, quia definit in acumen, terræ infigitur, illamque perforat, penetratque, ita

Timor

Timor gehennæ, seu pœnarum peccatis debitarum non hæret in superficie, nec cute tenus perstringit, sed sese in interiora insinuat, totum hominem pervadit, perque omnes transit potentias, intellectum, voluntatem, memoriam. Ideò Timore turbatur homo, & interius exteriusque concutitur. Quare, quod Interpres Latinus noster vertit, *Confige Timore tuo carnes meas*, S Hieronymus legit: *Horripulavit* à Timore tuo *caro mea* hoc est, horrore invasit, qui ad exteriora etiam diffusus est. Deinde, Pali ad fulcienda ædificiorum fundamenta fistucis adiguntur. Est autem *Fistuca* machina, quâ pavitores utuntur, utrimque ansata ad pulsandum idonea, qua pali terræ immittuntur, ac tundendo infiguntur, haud secus ac malleo clavi. Timor in animam defigitur consideratione suppliciorum æternorum: quæ, instar fistucæ, duas ansas habet: nam & speculativa esse debet, & practica. Præterea, Palus festuca adactus, excludit, vel extrudit quicquid est molle & obvium, sibique idcircò contrarium. Timor Judicis Dei & infernalium tormentorum meditatione theotoco-practica animæ immissus, pellit mollem omnem concupiscentiam, extrudit timorem mundanum, affectus omnes alios occurrentes, ut sibi adversos deprimit, nec resurgere patitur: peccata profligat. *Timor Domini*, inquit Ecclesiasticus cap. 1. *expellit peccatum*: nimirum, ut Palus, quicquid est obvium sibi resistens. Ad hæc, pali in palustribus, terram fistulosam pumicosamque, si crebri, ac spissè adigantur, densant, quia nulla relinquunt foramina, nullas foveas. Haud secus, Timor Domini multiplex animæ solum, vanitate pumicosum, fistulosum, & rimarum plenum, ac dissolutum unit, stipatque, neq; in illa finit permanere ullas vanitatis levitatisve foveas. Quod oppidò ad virtutũ fundamentum jaciendum est necessariũ.

De-

DENIQUE. Pali in terram densè adacti humorem omnẽ ædificationis impedimentum, comprimendo, & extundendo pellunt. Et hoc proprium est Timoris Servilis, qui de DEI Judice, & pœnis Inferni concipitur, & méti profundissimè imprimitur: exprimit enim omnem lasciviæ, petulantiæ, & cujuslibet criminis, aut peccati humorem noxium.

QVOD adeò est verum, ut apud S. Lucam capite XXI. dicat Dominus, quod homines, Judicii metu, arescent: (*Arescentibus*, inquit, *hominibus præ timore*) Et nonne David hoc Timore salutari perculsus exclamabat? *Ossa mea, sicut cremium aruerunt*, Psal. CIII. 4. Iterum, *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*: Psal. XXXI. 4. scilicet, dum spinosus, vel acutus, ut spina, *Palus Timoris* infigitur. Quod alii legunt ex Hebræo: *Immutatus est humor meus in siccitates æstatis*. Alii, *conversa est, aut eversa pinguedo mea, & humidum meum in siccitates*. Nonnulli, *vertebatur succus meus in siccitatem æstivam*. Denique, aliqui: *mutatus sum, ut ex succulento factus sim aridior, quàm sint arista in media messe*. Exprimit enim humorem omnem, pinguedinemque deliciarum, ac concupiscentiæ *Palus Timoris* de DEO Judice. Quare existimat S. Basilius, non esse efficacius ullum instrumentum ad concupiscentiam extrudendam ex anima, quàm *Palum Timoris Domini*. Sic enim scribit in Psalmum XXXIII. *Cùm ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud & non ferendum Christi Iudicium*, quæque illud antecedent, comitabuntur, ac sequentur. *Hæc time, atque hoc Timore eruditus, animam à Concupiscentia ad hæc mala retrahe*. Quod si fiat, victoriam jugiter spondet. Similis est exhortatio S. Ephæm, sermone luculento de Patientia. Idem suadebat Sapiens sententia illa apud omnes vulgata, utinam ab omnibus æquè intellecta: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*: hoc est,

memo-

memorare mortem certam, Judicium districtum, supplicium sempiternum; & non peccabis: nam horum qui meminit, non peccat, dum meminit: non quia meminit tantùm, quid enim ad rem meminisse solùm? sed quia memoria, tanquam fistuca, Palos Timoris salutaris sibi infigit, quibus ipse transfixus, omni humore vitioso liberatur, & redditur in bono firmus, constans, immobilis.

ARTICVLVS VII.

Timor Domini Salutaris

Olea. Alnus. Robur.

Non est reticenda Palorum, quos ad Ædificationem nostram necessarias esse probavimus, materia, nec hujus transilienda consideratio, cùm sit utilissima, ut Timoris natura penitius inspiciatur. Materiam nominat Vitruuius tres arbores, *Oleam*, *Alnum*, *Robur*, in quibus invenio symbolicè significatas eas qualitates, quæ Timori inesse debent, ut ad fundandi effectum sit idoneus.

I. Olea symbolum est Misericordiæ. Ita ferri debet Timor in Deum Justum, ut Misericordem etiam contempletur. *Olea* luctatoris est hieroglyphicum, quod oleo olim vngerentur pugiles:

Cetera populeâ velatur fronde juventus
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.

canebat Poëta. (*a*) Oportet Timorem esse fortem, animosum, luctatorem, qui omnibus mollitiei affectibus

(*a*) 5. Æneid.

busse opponat, passiones teneritudinis aggrediatur, adversarios seriæ conversionis oppugnet.

Olea pacis est tessera.

Paciferaque manu ramum prætendit oliuæ.

Et supplicis animi:

----- Centum Oratores
Irejubet ramis velatos Palladis omnes.
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Et tranquillitatis. Hinc illud *Oleo tranquillior.* Et naturæ hoc adeò tranquillæ perhibent, ut mare, rem omnium turbulentissimam tranquillet. Timor Domini, qui sit initium Sapientiæ, inhærere debet animæ, ad pacem cum DEO, ad quietem secum, ac cum proximo stabiliendam compositæ; debet esse mentis demissæ, humilis, ac suppliciter veniam postulantis.

II. ALNUS est arbor, quæ ex aqua provenit, ideoq; aquosis gaudens locis, ita fortasse dicta, quod amne alatur. Nascitur juxta fluvios, aquis obruta, inquit Vitruvius. Vnde & lignum ejus ad navalem materiam imprimis commendatur.

---- ---- fluctibus aptior Alnus.

canebat Lucanus. Aqua, ut sæpius est probatum à nobis, in arcano sermone-, Gratiam Spiritus divini significat, ex qua nisi Timor, ut ex aqua Alnus, procedat, ad fundandam Domum Sapientiæ est inutilis. Non enim Timor naturalis, qui viribus naturæ gignitur, sed supernalis solùm, quæ Gratiæ est Christi, seu Spiritus-sancti fœtus, ad fundandum hic valet. Si sit præterea, sicut *Alnus*, ut non facile corrumpatur: quod *Alno* tribuit Vitruvius. Immò, ut idem scribit, in palustribus locis palationibus crebrò fixa permanet immortalis ad æternitatem. Non

Timor

(a) Æneid, 8. (b) Æneid 7. (c) Æneid, 11. (d) Plini. lib. 2. c. 103.

Timor diarius, non horarius, multo minus momentaneus, sed firmus, & quadamtenus incorruptibilis est Initium Sapientiæ *Timor Domini manet in æternum.* Alno incorruptibilior, est magis immortalis. *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi.* Psal. XVIII. 10.

III. ROBUR, ultima Palorũ ad fundamenta aptorum materia, est species arboris glandiferæ durissimæ, fortitudinis, ac firmitatis inconcussæ hieroglyphicũ. Omne quod forte est *Robur* vocamus scribit Servius, & passim tum pro animi fortitudine, tum pro corporis firmitate, per translationem, sumitur: magnitudinis vastitatisque est visendæ. Debet esse Timor tuus roboreus, firmus, fortis, & qui magnitudine ac vastitate totam animam, ejusque facultates omnes occupet: qui expandat ramos ab appetitu rationali ad sensitivum: ut non solum voluntatem afficiat, sed sensum quoque. Talis est Timor, qui horripilationem, tremorem, gemitus, & alias animi ac corporis commotiones gignit. Hic si quis alius, tanquam Palus ex robore, animam transfigit, expellit peccatum, & firmitatem inducit insuperabilem.

SERMO XIV.

FVNDAMENTA *Domus Sapientiæ* Seu *Ædificii Spiritualis*

VERBVM DEI. BONVM EXEMPLVM. CATECHISMVS. CONCIO. EXHORTATIO.

PRÆ-

PRÆFATIO.

MONENT *ab Architecturâ desumpti ædificandi modi varii, quos hactenus explicavimus, ut disseramus, de aliis quibusdam, quæ indirectè, sicut* Timor & Humilitas, *Fundamentum spiritualis Ædificii nuncupari posse videntur. Quæ enim Carbonibus ac Palis æquè significantur, ac Timor non inepta analogia ad fundamenti rationem traduci posse videntur.*

ARTICVLVS I.

VERBUM DEI

Fundamentum Ædificii Spiritualis.

CARBO in arcanis Sacræ-Scripturæ symbolum est sermonis divini à DEO, vel ejus Interpretibus prolati, eumque significat. Ità S. Hieronymus Isaiæ VI. 6 Epist. 142. accipit Carbonem, quo Isaiæ labia purgata sunt: *Volavit*, inquit Propheta Isaiæ VI. 6, *ad me unus de Seraphim, & in manum ejus* Calculus, *quem forcipe tulerat de altari.* In LXX. Interpretum versione est *Carbo*. Verè, *desolatorius Carbo*, inquit S. Hieronymus, *qui linguam puram facit à peccatis, sermo divinus est.* Quod confirmat ex Isaiæ XLVII. ubi dicitur de infidelibus & obstinatis, eoque super glaciem frigidis: *Non sunt prunæ quibus calefiant*: aut, ut alia habet versio, *Habes* Carbones ignis: *sedebis super eos: hi erunt tibi in adjutorium.* Simili modo B. Bruno Herbipolensis illud Psalmi CXXXIX. *Cadent super eos Carbones*, interpretatur de

viris spiritualibus igne caritatis & cognitionis accensis, qui dicuntur casuri, id est, cum magno pondere sententiarum, & divinorum verborum, tanquam Carbonum ignitorum, infideles, & hæreticos præsertim oppressuri. His porro Carbonibus in animâ, prædicatione Euangelicâ, & cœlestis Magistri interius docentis, & permoventis gratiâ calcatis, formatur palustris illa terra ad fidei substructionem suscipiendam. Ut rectè, *Verbum* DEI *Prædicatum*, & *Auditum*, dicatur Ædificii spiritualis *Fundamentum*, indirectè, ac dispositivè, sicut de Humilitate, ac Timore docuimus. Ita initium fidei, id est, ædificationis spiritualis, esse à prædicatione adfirmat Paulus Apostolus: *Fides*, inquit, *ex auditu: auditus autem per Verbum Christi*. Ad Rom. x. 17. Quasi dicat, Fidei substructionem præcedit auditio; nam percipiendum est primò quid credere oporteat. Verùm, auditus, ipsaq; adeò, quæ auditione concipitur Fides, substratum habet Verbum DEI, quatenus complectitur ea, quæ sunt divinitus revelata; sive illa scripta sint, sive traditione accepta, sive denique Apostolicâ & Ecclesiastica auctoritate definita.

ARTICULUS II.

BONUM EXEMPLUM

Fundamentum Domus Sapientiæ.

ANALOGIA à superiori haud multum differens Fundamenti rationem participat *Bonum Exemplum*. est enim in animis infidelium, aut malorum instar Carbonum, quibus terra palustris firmatur. Quot ad fidem conversi sunt? quot ad virtutum studium? quot ad cultú pieta-

pietatis? quot gnaviter in ædificationem Domus spiritualis incubuerunt, postquam his carbonibus in solo mentis calcatis dispositi prius fuerunt? In hunc fermè sensum S. Augustinus exponit illud Psalmi cxxxix. *Cadent super eos carbones, in ignem dejcies eos: in miseriis non subsistent.* Carbones enim dicit designare Sanctos, fide, spe, caritate accensos, qui evaserunt lux in Domino, cùm essent prius tenebræ: quosdam tamen accendunt ipsi *Verbo* atque *Exemplo*; nimirum, illos, in quorum mentes, ut *Carbones*, cadunt, & soliditatem procurant. Simili ferè modo Hugo Cardinalis, explicans versiculum nonum Psalmi xviii. *Ascendit fumus in ira ejus: & ignis à facie ejus exarsit:* Carbones *succensi sunt ab eo.* Nam in fumo ascendente, statum Incipientium; in igne exardente, Proficientium; in Carbonibus succensis, Perfectorum, qui alios quoque inflammant, *Verbo & Exemplo*, considerat. Annon talis in paucis fuit S. Vincentius Ferrerius, cujus concione, quam sanctitas viri animabat, adeò quidam commotus, mutatusque legitur, ut facies ejus *Carbonem* exhibuerit? At verò, Carbones absque igne, designare peccatores existimat idem Psalmorum præclarus Interpres: homines vacuos caritate, frigidos torpore fidei, obscuros exempli corruptione, immundos imitatione. Quando autem sunt accensi, denotare justos illos, qui sunt calidi igne Spiritus sancti, caritatisque. Ex hi congeruntur super inimici caput, ut dicitur Proverbiorum xxv. *Si esuriet inimicus tuus ciba illum; si sitierit da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Qua sententia utitur S. Paulos ad Romanos xii. dans præcepta, quomodo inimicos nostros Christo lucrari debeamus, id est, malos ad frugem perducere, & ex vitiosis, criminosisque, bonos ac studiosos reddere: quod non fit, nisi virtutum Ædificio in

mente erecto. Sic autem differere videtur. Ardes desiderio convertendi ad DEUM, Christi, tuique proximos, qui perpetim tibi insidiantur, & malè vivendo contumeliam religioni inferunt: velles omnes tui esse similes, id est, Sapientes Architectos, qui jacto *Fidei Fundamento*, virtutum parietes erigerent, & perfectionis tectum imponerent. Quid facto opus? præscribit ita: si egestate pressus esurit, illum tu benignè, indulgenterque recrea, & cibum ministra, si sitit, potum præbe: noli vinci in malo, sed vince in bono malum: bono illi esto exemplo, virtutem exerceto: hæc aliaque si ad Ædificationem proximi feceris, ignitos Carbones coacervabis in caput ejus. Quæ-nam hæc collatio & connexio dicat quispiam? Si bono fuerim aliis exemplo, si inimicorum necessitatibus consuluero, si injurias non fuero vindicta persequutus, si inimico pepercero, si lenitate cum iracundia pugnavero, si contumelia me superari non permisero, si par pari non retulero, si dedero operam, ut benè de inimico merear, si male facta benefactis compensem, si malitiam alienam propria vincam bonitate, denique si nihil nisi ad ædificationem fecero, congeram *Carbones ignis* super caput inimici. Quis hoc beneficium sibi præstari cupiat, ut carbonibus compluatur? Ego si vos mihi demereri vellem, & dicerem, me proximo, qui erit dominica sequente confessu, de hac cathedra missilia carbonum in singulorum capita vibraturum, certissima destinatione, ut nemo indonatus abiturus sit, quis huic se beneficio sisteret? quis gratias ageret? quis me prudenter facere adfirmaret? Et tamen Paulus divino afflatus Spiritu, nihil inimicis contingere posse ad emolumentum utilius, nihil fieri à Sapiente Architecto existimat, quo melius adversariis consulatur. Et hoc ipsum Apostolus didicerat in gymnasio sapientissimi Salomonis,

nis, in quo illud erat vulgatum: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitiverit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus.* S. Cyprianus legit, (a) *Carbones vivos superinfundes in caput ejus.* Itaq; lateat oportet aliquid in ea metaphora non omnibus obvium, quod nobis investigandum eruendumque relinquatur.

VARIA est Patrum dum tropicam illam loquutionem tractant, expositio. Sed non probanda illa quorundam apud S. Augustinum & Bedam, (b) inimico faciendum benè idcirco, ut dum ille in sua pervicacia, atque improbitate perseverat, acrius apud inferos igne sempiterno crucietur: quasi sermo sit de Carbonibus pœnarum, & incendii infernalis; ac suggeratur modus se ulciscendi de inimico: nimirum, si sit illa causa gravioris supplicii. Non est hic sensus Apostoli, qui subijcit: *vince in bono malum.* Neque consentaneum est Verbo DEI, ut suggeratur benefaciendum inimico, quo per exhibita beneficia perditionis materia subministretur.

Minus malè opinantur, quamvis sequuti Origenem, qui *Carbones ignitos* referunt adustionem illam, quo inimicus aduritur, quando experitur illius beneficentiam ac liberalitatem, cujus iram convitio, vel contumelia provocavit. (c) Verùm, mihi non est dubium, coacervatione *Carbonum* significari beneficii alicuius collationem. At, quod-nam illud? Finge in capite alicuius, ex carbonibus appositis, aut, ut Græca significantius habent, coacervatis, ignem excitari, & caput, diadematis instar imperialis cingere; profectò totus homo ille, non calefiet modò, sed penè in *Carbonem ignitum* mutabitur: secus veniret, si prunæ pedibus solùm apponerentur. Significari igitur videtur, si quis multa beneficiorum

(a) ἀνθρακας πυρὸς. lib. 3. ad Quirin. (b) Serm. 68. de Temp. (c) Prov. 25. (d) S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Epist. ad Rom. Auct. Imperf. hom. 5. in Matth.

genera inimicis impendat, fore, ut is, velut *Carbonibus* acervatim positis, inimicitiâ, tanquam beneficiorum igne consumptâ, totus accendatur in amorem ejus, quem antea vehementer, & pervicaciter oderat.

O præclaram vindictam! inimicum suum hoc modo comburere, vel ferri instar ignire. O beneficium luculentum! hominum ex malo bonum, ex facinoroso studiosum, & scelerato sanctum exemplo suo facere. Quocirca S-S. Hieronymus, Augustinus, & Ambrosius, nec non Eucherius, per *Carbones ignitos* intelligunt caritatis ardorem, quo necessè est inimici animum inflammari, dum ejus, quem læsit ipse beneficentiam, liberalitatemque experitur. Verè dixit Augustinus: *libr. de catechiz. rudib. Nulla est major provocatio ad amandum, quàm prævenire amando: nimis enim durus est animus, qui si ultrò dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere.* Et Hieronymus. Epist. LX. q. 1. *Quando inimicis nostris præbemus beneficia, malitiam eorum nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam, iratumq; animum ad mollitiem & benevolentiam flectimus, atque ita congregamus* Carbones super capita eorum, *de quibus scriptum est:* Sagittæ potentis acutæ cum Carbonibus desolatoriis. *Vt quomodo de altari* Carbo *sublatus Prophetæ labia purgavit, ita & inimicorum nostrorum peccata purgentur, & vincamus in bono malum, & benedicamus maledicentes nos.* S. quoque Augustinus, *Sermone 26. de diver* quærens alicubi, quomodo quispiam diligat quem vult ardere carbonibus? respondet, intelligi de *Carbonibus* quorum est mentio in psalmi CXIX. versiculo 4. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, seu vastatoribus, qui dantur homini adversus linguam dolosam. *Cùm enim quisque*, inquit, *benefecerit inimico, & non victus malo ejus vicerit in bono malum, plerumque illum inimicitiarum suarum pœnitebit, & irascetur sibi, quod tam bonum hominem læserit. Ipsa verò ustio à carbonibus, pœnitentiæ est,*

est, quæ tanquam carbones ignis, inimicitias ejus, malitiasq; consumit.

Hæc si non congruenter metaphoræ dici pronunciem, doctissimis illis Patribus adversabor, quod nollem equidem, cùm ipsorum & commendem pietatem, & laudem acumen, & recipiam interpretationem, ut litteræ convenientem. Sed quoniam non solùm litteralem sensum consector, sed illum etiam, qui spiritualis, mysticus, & accommodatitius vocatur, & suppositosensu litterali, componitur ex variarum rerum analogia, in quo pii cõtemplatoris exercetur ingenium; liceat hoc loco, Salomonis & Apostoli Pauli sententiam de *Carbonibus* in caput inimici cõgerendis, ad Architectonicam Christianam accommodare, modo illo quem supra insinuabam. Velles lucrari proximum, & ex homine perverso ac DEI inimico, bonum, & superis carum reddere. Sis sapiens Architectus, cujus est fundamentũ ponere in solido; quod si non inveniat, sed terra sit paludosa, Carbonibus calcatis eam fulciat, & superædificet. Inimicus tuus turbidis perturbationum undis quatitur & involvitur; itaque carbonibus hic opus: virtutem illi tuã demonstra, benevolentiæ signa exhibe, honore illũ præveni, famentẽ, sitientemq; recrea, quicquid boni exempli quicquid ædificationis est, ostende, & *Carbones* in caput, ideſt, principẽ ejus partem, mentẽ seu animũ coacervabis, præparabisque solum ad fundamentũ virtutum, atque ædificii spiritulis sustinendum. Veniet enim facillimè in memoriam Carbonum, quibus cruciantur impii, ingrati, contumaces, sicque Timorem salutarem concipiet, ne DEO non reconciliato æternis addicatur Carbonum ustulationibus. Hoc salutis est initium: hoc Profundamentum Ædificii spiritualis. Similem fortasse conceptionem habuit, qui confecit Officium de S. Au-

gustino, in quo sic canitur: *Vulneraverat Caritas Christi Cor ejus, & gestabat verba ejus in visceribus, quasi sagittas acutas, & Exempla servorum* DEI, *quos de mortuis vivos fecerat, tanquam* Carbones vastatores. Quo in versu, Exempla eorum, quibus motus Augustinus conversus erat, & fundamentum cœlestis palatii jecerat, dicuntur fuisse *Carbones* in ejus corde. Hos autem se ad stabiliendum in bono animum habuisse causas, scribit ipsemet in octavo suarum Confessionum, ubi fatetur cap. 11. se proborum permotum Exemplis vitam meliorem incepisse: postquam vidisset quodammodo castam dignitatem continentiæ, pias manus ad se extendentem, plenas gregibus bonorum exemplorum, & audire videretur irridentem irrisione exhortatoriâ, *Tu non poteris, quod isti & istæ?*

IDEM S. Augustinus enarratione in Psalmum CXIX. egregiè declarat, quomodo DEUS, ut Sapiens Architectus, ad Ædificii spiritualis Fundamenta ponenda, utatur *Carbonibus Exemplorum bonorum.* Illius autem ut percipiatis sensum, concipite hominem, vel infidelem, vel peccatis immersum, Ædificasse Domum Diabolo, ex vitiis, tanquam straminum manipulis, aut alia, quæ flammam ferre non potest, materia, in solo minimè firmo; advenire deinde Architectum Sapientem DEUM, & immittere in hanc fabricam stramineam, vel fæneam, ei similem, *Carbones desolatorios*, ac *vastatores*, qui prius illud Ædificium absumant, & posteà animæ solum ad suscipiendum *Fundamentum Domus Sapientiæ* firment. *Exempla*, inquit Augustinus, *sunt* Carbones vastatores: *& quare vastatores dicuntur? breviter accipiat Caritas vestra. Quando ad vitia homo pellicitur, & à virtute avocatur, lingua subdola illi dicit:* vide *ne possis implere, multum est à te hoc aggredi. Accepisti tu præceptum Evangelicum: habes sagittam, sed Carbones necdum habes. Timendum est, ne sagitta sola non valeat adversus linguam dolo-*

doloſam: ſunt & Carbones. Vt puta, incipit tibi dicere DEUS. *Tu non potes? quare ille poteſt? quare alter potuit? Numquid tu delicatior es illo Senatore? numquid tu infirmior es illo, aut illo valetudine? numquid tu infirmior es fœminis? fœminæ potuerunt, viri non poſſunt? delicati divites potuerunt, pauperes non poſſunt? Sed ego,* inquis, *multum peccaui, & multum peccator ſum. Numerantur etiam, qui multum peccaverunt, quo plura illis remiſſa »ſunt peccata.* Quomodo dictum eſt in Evangelio? *Cui »modicum dimittitur, modicum diligit.* Cùm ergo iſta fue»rint enumerata, & nominatim dicti fuerint homi»nes, qui potuerunt, ille accepta Sagitta in corde, ac»cedentibus etiam Carbonibus deſolatoriis, cõverti»tur: certè, deſolatur in eo cogitatio terrena, quæ eſt »converſionis initium. Quid eſt autem deſolatur? ad »deſolationem perducitur. Erant autem in illo multa, »quæ malè fronduerant; multæ carnales cogitationes, »ſeculares multi errores. Ipſi uruntur Carbonibus va»ſatoriis, ut fiat purus locus deſolatus: in cujus loci pu»ritate faciat DEUS Ædificium ſuum: quia facta erat ibi »ruina Diaboli, & ædificatur ibi Chriſtus: nam quam »diu manet ibi Diabolus, non poteſt ædificari Chri»ſtus. Accedunt Carbones deſolatorii, & deijciunt, »quod malè fuerat ædificatum; & deſolato loco, acce»dit inſtructor felicitatis perpetuæ.

EXEMPLA ergo multorum iniquorum, qui converſi ſunt ad Dominum, *Carbones* dicuntur, & *Carbones vivi, ardentes, deſolatorii*: nam extincti, carbones mortui dicuntur; ardentes, vivi appellantur. Audis homines mirari, »& dicere: ego illum novi, quàm ebrioſus fuit? quàm »ſceleratus? qualis amator Circi, vel Amphitheatri, qua»lis fraudator? modò quomodo DEO ſervit? quã inno»cens factus? Noli mirari. Carbo eſt. Viuum gaudes, »quem extinctum plangebas. Sed quando laudas viuũ,

» si nosti laudare, adhibe illum mortuo, ut accendatur, »id est, quicumque adhuc piger est, sequi DEUM, adhi» be illum Carbonem, qui erat extinctus. Nimirum, concipiebat Doctor egregius, Animam peccatoris, ut terram palustrem, alga, dumis, & paliuris cogitationum variarum, & peccatorum obsitam, non posse autem in ea ædificium extrui, nisi his exustis, factâque complanatione. Utrumque autem Carbonibus desolatoriis bonorum Exemplorum fieri pronunciat.

ARTICULVS III.

CATECHESIS. CONCIO. EXHORTATIO

Fundamentum Ædificii Spiritualis.

CUM, quod sunt *Pali* in solo humido ac palustri, id in anima hominis infidelis, aut criminosi, sint Catecheses, Conciones Evangelicæ, Exhortationes ferventes, Comminationes acres, Incitationes sæpius repetitæ, ad fidem, virtutem, pietatem, totiusque vitæ emendationem seriam, hæ quoque ad Fundamenti rationem accedunt; sed ut superiora, indirectè, ac dispositivè, quatenus terram ad substructionem fidei ac virtutum suscipiendam præparant. Quotusquisque ad Christianam Religionem adducitur, vel seriò virtutum studio se addicit, quem non aut colloquutiones privatæ de rebus divinis, aut majorum hortamenta domestica, aut conciones publicæ, aut iteratæ amicorum comminitiones commoverint? Hi sunt *Pali*, ac semiusti stipites terræ humidæ peccatricis animæ infodiendi, antequam proximum *Fundamentum Fidei* collocetur. *Verba Sapientum*, inquit

inquit Ecclesiastes *cap.* XII. 11. *sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi*, quæ officium faciunt, quod in Architectonicâ *Pali*, ad humorem ædificationi noxium extundendum.

SERMO XV.

TIMOR DOMINI SERVILIS

Quà Fundamentum, duo extrema vitet.

ARTICULUS I.

CHRISTUS ET DEIPARA

Non habuerunt Timorem Servilem.

QVibus animæ solum non est palustre, id est, qui nullo sunt cupiditatum luto inquinati, aut peccati undis immersi, eo fundandi genere, ad quod *Timor Servilis* requiritur, non indigent, ut altissimum virtutum palatium in se extruant, vel habeant in anima erectum. Quare ille fundandi modus omnibus non est necessarius. Certè, in CHRISTI Domini animam peccati omnis incapacem, infigi non potuerunt, ob plus, quàm ad adamantinã stabilitatem, *Pali Timoris Servilis*, licet *Dono filiali* fuerit præditus, secundum Isaiæ oraculum. DEIPARA quoque Virgo, quoniam terram mentis non habebat, vel luxuriæ sordibus inquinatam, vel concupiscentiâ udam, vel lasci-

lascivia lubricam, vel vanitate fistulosam, vel spongiosam inconstantia, istius modi *Palis* non egebat. Quocirca, ut illam *Timoris casti & filialis* nunquam fuisse expertem, ita nullam *Timoris Servilis* partem habuisse omninò mihi persuadeo.

ARTICVLVS II.

Timor Domini Servilis

Hominibus ceteris plurimum conducit ad inchoandam Ædificationem Domus Spiritualis.

VIRTVTIS hostes jurati, quorum istud unicum est votum: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in eá*, id est, Fundamentum funditus evellite, cùm non nesciant, Spirituale Ædificium in palustri nostro solo substructionem *Timoris Servilis* postulare, id sedulò curant, ut *Timoris* illius, vel *Carbones* calcari, meditationis incumbente machina non valeant, vel *Pali* infigi, considerationis judicii & gehennæ impulsu non possint: nam & meditationem, & considerationem omnem salutarem dissipare conantur. Utitur autem hoc ad perficiendum Cacodæmon fidei Catholicæ adversarius, per quos disseminans Zizania, docet inter alia, malum, Deoque ingratum esse pœnæ timorem, nec fas esse Christiano, pœnam, quamvis gehennalem metuere. Est enim inter absurdissimos sectariorum qui superioris ævi hæresiarcham nominatissimum sequuntur, errores, iste: omnem pœnarum inferni Timorem non modò inutilem esse, sed etiam cum lethali junctum culpa facere hypocritam: atque idcircò pœnitentiam, quæ ex Timore tali nascitur,

haſcitur, non eſſe DEO acceptam: immò, hominem novireatus crimine illi magis inviſum reddere.

QUID poſſet dici ad impediendam ſpiritualem Ædificationem accommodatius? quid in Pietatis negocio pernitioſius? Nam imprimis, cum *Timor Domini*, & ſignatè, *Servilis*, ſit *Initium*, id eſt, *Fundamentum Domus Sapientiæ*, ac plerique omnes metu pœnarum, & ſupplicíorum à flagitioſa vita abſtrahantur, atque ad Virtutis Palatium erigendum incitentur, qui Timorem iſtum è pectoribus ſuis ejicere tentant, *Fundamentum* virtutum omnium evellere nituntur. Deinde, quod de hypocriſi dicitur, blaſphemum eſt, non tam hominum, quàm Cacodæmonum commentum. Neque enim DEUS homines hypocritas, aut peccatores facere poteſt: & tamen ipſe eſt qui *Timoris Palo* cor humanum configit. Quorſum enim tam frequenter, tenebras exteriores, dentium cruciatum, incendia ſempiterna, & alia gehennæ ſupplicia per ſe, perque ſuos ingeminat, & comminatur? reor ſanè, nec aliâ facilè comminiſceris cauſſam probabilẽ, niſi, ut Diaboli in nobis ædificio funditus everſo, nouũ ſolidumque, pro Sapientiæ, ſeu Virtutum, Domo, Fundamentum ponamus. Eccleſia Dei, num filios ſuos hypocritas facere molitur, cum Judicium, tum particulare, tum generale, formidinis, ac horroris pleniſſimum iis toties proponit? Quid de Patribus & Magiſtris Eccleſiæ dicam, viris ſanctiſſimis, in quorum paræneticis nihil occurrit frequentius, quàm commendatio *Timoris Servilis*, non excluſo *Filiali*, & ad illum exſtimulatio? Audiatur S. Baſilius, Commentario in Pſalmum XXXIII. *Timor ſalutaris, qui ad ſanctitatem deducit, & animæ divinitus inſitus eſt, qualis exiſtat, ſi cupis audire, attende. Quando fortè ad aliquod peccatum te videris paratum, illud horribile Chriſti Iudicium cogita. Hoc timore correptus & inſtitutus à pravis concupiſcentiis*

ani-

animum cohibebis. S. Ambrosius ad Virginem lapsam, multis agit cum Virgine corrupta, & exstimulat, ut sibi gehennæ incendia, & tenebras exteriores ante oculos ponat. An fortasse, ut hypocritam faciat? Nec S. Hieronymus erat hypocrita, qui de se ipse scribebat: Ille ego sum, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram. Quid S. Augustinus? nonne initium conversionis suæ *lib.* VI. *Confess.* attribuit Timori, quē semel conceptum in medio libidinum æstu retinuerat? Hoc igitur sit firmum ratumque, Isagogicum ad conversionem, introductorium ad pietatem, fundamentum denique Ædificii spiritualis, & initium Domus Sapientiæ, esse TIMOREM DOMINI, quem vobis enixissimè commendo.

NOTÆ.

BEllarminus *Concione secundâ de Iudicio extr.* Cùm omnes Lutheranorum errores mihi & absurdi, & pernicioſi videantur, tum illum absurdissimum & pernicioſissimum semper judicavi, quem hominum pectoribus inserere conantur, cùm ajunt: *Timorem illum, qui ex iudiciorum* DEI, *& cruciatuum gehennæ oriri solet,* hominem hypocritam & magis reum reddere: *Legendus idem Lib. de Pœnit. Rossensis Art.* VI. *damnatorum à Leone* X. *Tridentina Synodus sess.* VI. *Canone* VIII. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam DEI de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.

AR-

ARCHITECTVRÆ CHRISTIANÆ PARS III.

PROLOQVIVM

FVNDAMENTO *Domus firmissimè & solidissimè collocato, constituuntur, ex Architecturæ præscripto, Columnarum intervalla, quibus definitis, eriguntur Columnæ, fit Columnatio, subsequuntur cetera. Itaque ordine progredimur, cùm post Fundamenti, & Præfundamentorum tractationem, de Columnis agere incipimus: maximè cùm in eo enunciato, quod tanquam lemmæ commentationibus, Sermonibusqúe istis Architectonicis præfigimus, præcipua Columnarum fiat mentio; quasi ex illis vel solis, vel potissimùm Domus ipsa constituta fuerit.* SAPIENTIA *ædificavit sibi* Domum, *excidit Columnas* septem. Proverbiorum IX. 1. *Regius Codex legit, sustulit Columnas septem: Chaldæus, statuit in ea Columnas septem: quasi dicat: mox, ut ædificare cœpit, posito fundamento, Columnas erexit, quibus tota domus niteretur. Concipiatur igitur Domus Sapientiæ, sicut reverâ est pycnostyles, crebris è Columnis composita.*

OPVS-

OPVSCVLVM V.

COLVMNÆ

Domus Sapientiæ

Seu

Ædificii Spiritualis.

SERMO I.

PRIMA COLVMNATIO

Domus Sapientiæ

ARTICULUS I.

Finitus-ne, an infinitus, indefinitus-ve sit in Domo Sapientiæ Columnarum numerus.

NVMERVM exprimit accuratè Architectricis Sapientiæ amanuensis: *Excidit Columnas septem.* Sed id bifariam exponi potest. *Primò*, ut intelligantur præcisè sex & una impar

impar numerus: *Deinde*, ut Septenarius numerus finitus, certusq; sumatur pro indefinito, ac incerto, & designet multas: quomodo ferè locum illum Proverbiorum accipiunt Interpretes, & Architecturæ Salomonicæ præclarus illustrator Villalpandus. (a) Neque est id in Sacra Scriptura inusitatum, in qua Septem frequenter universitatem significant. Tum quia septem diebus Mundus est conditus: tũ quia partes Septenarii sunt totus impar, scilicet ternarius, & totus par, nempe, quaternarius. Vnde, quod nos legimus in Cantico Annæ matris Samuelis primo Regum secundo cap. *Donec sterilis peperit plurimos*, alii ex Hebræo legunt, *septem*: ita LXX. Interpretes, Divi Chrysostomus (b) & Cyprianus: (c) Iterum libro III. Reg XIX. *De relinquam mihi in Israël septem millia virorum*: quod idem est, ac quàm plurimos. Eodem sensu profani, Ter & Quater usurpãt: *O terque quaterque beati!* *Septies in die cadit justus*; id est, sæpius, Proverb. XXIV. *Septuagies septies* condonandum proximo delinquenti, dicitur apud Matthæum & Lucam. (d) *Si septies in die*, (e) id est, frequenter, *peccavit in te, & septies in die conversus fuerit dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Hoc modo si accipiantur *Columnæ septem*, indicant universitatem quandam virtutum. Verùm illas nos solùm Columnas nominabimus, &, ut tales, describemus, quæ peculiarem habent cum Columnis materialibus convenientiam; ac proinde Columnarum symbolo solent denotari; in sacro volumine.

(a) Villalp. Tom. 2. lib. 3. cap. 29. (b) in Genes. hom. 19. (c) adver. Hebr. lib 18. (d) Matt. 18. (e) Lucæ 17.

ARTICULUS II.

COLUMNA VIRTUS

Quæ ſpectanda ſint in Columna qualibet; & quæ-nam in virtute, ut ſymbolicè Columna dicatur.

IN Columnis ſingulis hæc attendi debent. *Primum*, materia, quæ initio fuit lignum, deinde lapis, marmor, æs, argentum: in divino Codice ſunt prætereà, ignis, nubes, fumus. *Secundum*, partes integrantes, quas ad tres reduco, confuſionis vitandæ gratia. *Prima* eſt *Baſis* columnæ, ſub quo nomine comprehenditur στερεοβάτης συλυβάτης, τπεῖρα. *Secunda* eſt *Scapus*, pars illa, quæ perpendiculariter baſi inſiſtit. Italis dicitur corpus columnæ, *Tertia* tandem *Epiſtylium*, capitulum, vel catellum, quod ſcapo imponitur: cui adjungi ſolent volutæ, torques, Zophori, encarpæ, ſimiliaque emblemata. *Tertium* verò conſideranda eſt forma, quæ diverſa eſt, uti & Columnarum genera. Quæ Vitruvius tria facit, *Doricum*, *Corinthicum*, *Ionicum*: alii *Tuſculanicum*, & *Italicum* addunt, ut ſint genera quinque. *Quartum* denique, quod ſpectari debet in Columnâ, eſt Figura, & certa conformatio. Siquidem, aliæ ſunt rotundæ, aliæ planæ: aliæ ſtriatæ, ut ſunt in hac baſilicâ, quæ cavitates illas modicas ſeu litas habent: aliæ ex uno aliquo ſaxo, quales nullæ hujus templi, ſi columellas illas, ſive clatros, ante choros penſiles excipias: denique, aliæ ſunt ſtructiles, è pluribus ſaxis conſtructæ, opere cæmentitio, lateritio, aut lapideo.

Ut hæc autem Virtutibus applicentur, Præmitto quod obſervant Philoſophi in præambulis ad Logicam,

dum

dum quærunt, an Logica sit simul practica & speculativa? ac Theologi prima Par. q. 1. art 6. dum disputant, utrum Theologiæ utrumque conveniat? Docui autem ego utroque loco, eandem scientiam esse simul practicam & speculativam: nam etiamsi eæ videantur oppositæ specie differentiæ in aliis quibusdam, tamen in dictis scientiis, præsertim in Theologica conjunguntur absq; ullo incommodo. Siquidem quæ disparata sunt in inferioribus ac dispersa, uniuntur in superioribus. Ita, cum sensus quilibet corporis exterior non possit nisi unum aliquod objectum percipere, sensus communis interior, eoque superior de omnibus sensuum externorum objectis judicat. Sic cùm homo unum aliquod objectum, specie unica, Angelus plurima intelligit per unicam. Simile quid in re nostra contingit. Licet enim in Architectura vulgari, quod est fundamentum, aut paries, non sit Columna: & quod est paries, non sit tectum, quod est fenestra, non habeat rationem portæ, & multo minus sit aula, vel conclave; tamen in Architectura sacra, in qua virtutes sunt ædificii spiritualis partes, ob eminentiam quandam illius disciplinæ, & varias perfectiones in una Virtute contentas, seu delitescentes, Virtus una eademque potest dici fundamentum, columna, aula, paries, ut in harum commentationum progressu palam fiet.

(***)

ARTICULUS III.

COLVMNARVM TERNIO.

In primâ ſerie Columnarum Domus Sapientiæ ſunt Columnæ tres. Quarum ſymbola,

NVBES. FVMVS. IGNIS.
FIDES. SPES. CARITAS.

Tres Virtutes Theologicæ.

PRINCIPIO tres ſeſe offerunt *Columnæ Domus Sapientiæ*, ſine quibus Domus hæc non conſiſtit, *Fides, Spes, Caritas.* Nolim, ut meam hanc credatis eſſe fictionem, cum ſit aſſertio magnorum in arte noſtra Magiſtrorum inter quos S. Thomas Aquinas, qui proœmio commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios explicans illud Pſalmi LXXIV. *Ego confirmavi* Columnas *ejus*, nominat tres *Columnas* in Sacra-Scriptura celebratiſſimas, Columnam *Nubis*, Columnam *Ignis*, & Columnam *Fumi*. De Columna Nubis & Ignis frequens eſt mentio in Exodo. (*a*) Cùm enim populus Hebræus egreſſus ex Ægypto in terram promiſſionis pergeret, circumiens in ſolitudine annis quadraginta, Deus ei viam, qua ingrederetur, præmonſtrabat, die quidem per *Columnam Nubis*, quæ præibat caſtra, noctu verò per *Columnam Ignis*. Scio Rupertum Abbatem, cùm diſputaret ſuper allegorica intelligentia *Columnæ Nubis & Ignis*, docuiſſe, utramque fuiſſe illuſtrem figuram Chriſti. Is enim verè dici poteſt Colum-

(*a*) Exodi 13. 21. Exod. 14. Exod. 40. Num. 9. Num. 14. Deut. 1. Pſal. 77. Pſal. 98. Sap. 10. Sap. 18.

Columna propter rectitudinem & stabilitatem: nec non, quia ipse sustentat Ecclesiam, veluti Domum, & fulcit infirmitates nostras. In eum competit aptissimè, quod scriptum est de Columna Nubea Numeror XII. *Descendit Dominus in Columna*, & Psalmo XCVIII. *In Columna Nubis loquebatur ad eos.* Christus D. rectè comparatur *Nubi*, quà homo; *Igni* quà DEUS. Ipse viam monstrat egredientibus ex Ægypto, & in terram promissionis euntibus: id est, discedentibus à servitute Diaboli, Peccati, ac Mũdi, & in servitutem DEI, ac rerum cœlestium comparationem pergẽtibus. Vera quidem hæc sunt, sed allegoriam spectant, quam excutiemus, cum Architecturæ sacræ partem allegoricam, quæ est de Christo & Ecclesia, pertractabimus: nunc Tropologiam sectamur, & Virtutum ædificium erigimus, cujus partes non nisi homogeneæ, id est, Virtutes esse possunt.

ARTICVLVS IV.

FIDES

Columna Nubis.

EXISTIMAT S. Thomas *Columnam Nubis* significare primam Virtutum Theologicarum, *Fidem*, analogia desumpta, à materia, ejusque conditionibus, & Columnæ illius officiis, quæ perbellè Fidei accommodari possunt. I. IMPRIMIS, erat *Columna Nubis* obscura. Exodi XIV. vocatur tenebrosa. Et cap. XL. dicitur operuisse Tabernaculum testimonii instar umbraculi defendentis ab æstu. Psalmo CIV. canit David, *Expandit Nubem in protectionem eorum.* Et ad idem referũt nonnulli illud Psalmi

cxx. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël. Dominus protectio tua: per diem sol non uret:* quia scilicet Columna tenebrosa *Nubis* operiet. Hoc ipsum habet *Columna Fidei*, quæ est inevidens & obscura. Siquidem *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, ad Hebræ. xi. Quæ enim apparent, ut inquit S. Gregorius, (*a*) jam fidem non habent, sed agnitionem. Unde est illud Augustini sæpius repetitum, (*b*) *Quid est Fides, nisi credere, quod non vides?* Ob quam causam Apostolus Paulus dicit, nos, qui fidem habemus, *videre per speculum & in ænigmate*, 1. ad Corint. xiii. ubi observat S. Anselmus, Speculi nomine significari imaginem, & vocabulo ænigmatis, obscuram similitudinem, atque ad discernendum difficilem. Quæ verba desumpta sunt ex S. Augustino, qui de illa Pauli sententia fusè disputat lib. xv. de Trinitate capite 9.

II. Præterea, *Columna Nubis* monstrabat viam, vel potius Dominus in illa ad Terram promissionis: nam sic dicitur Exodi xviii. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in Columna Nubis.* Hoc quoque officium est Fidei, quæ ostendit viam rectissimam, eamque compendiosissimam perveniendi ad patriam. Sine manuductione Fidei nemo non in solitudine hujus peregrinationis aberrat: hac duce, & manuductrice pervenerũt ad patriam electi. Agnovit hoc munus fidei Eusebius Emissenus scribens in symbolum homilia ubi multas ejus qualitates, seu dotes conjungit, *Fides*, inquiens, *religionis Catholicæ, lumen est animæ.* (Sed lumen obscurum, & veluti nubis in lucerna inclusum, ut insinuat Petrus Apostolus Epist. 2. cap. 1. fidem comparans *Lucernæ lucenti in caliginoso loco*) pergit Eusebius, *Hanc nobis velut magnam lampadem, Christus adveniens, errantibus viam monstraturus exhi-*

(*a*) Hom. 26. in Euang. S. Thom. 22. q. 1. art. 4. & 5. (*b*) Tract. 9 in Joann. Hom. 32. & 50.

exhibuit, per quam posſit DEUS *ignotus requiri, quæsitus, creditus, inveniri.*

III. ADHÆC, *Columna Nubis* nunquam defuit populo DEI, quoad attigit fines Terræ sibi promissæ, ex quo profectionem instituit ex Ægypto. Ita dicitur Exodi XIII. *Nunquam defuit Columna nubis per diem.* Hinc refellitur Hebræorum opinatio, existimantium Columnam illam defeciſſe post mortem Aaron, antequam populus ad promissionis terram perveniret: sed nullâ nituntur vel probabili conjectura. Nunquam defecit, neque unquam deficiet, aut deerit, quàm diu peregrinatur à Domino gens electa, Ecclesiæ Catholicæ filiis, *Columna Fidei*, quæ viam demonstret. Hoc est, quod consensu docent Orthodoxi: in Ecclesia Christi non posse fidem deficere. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus; usque ad consummationem seculi*, ait Christus D. Matthæi XXVIII. Est nobiscum, aliis modis, tum per *Columnam Fidei*. Quid mirum, cùm Ecclesia ipsa sit Columna & firmamentum veritatis?

IV. AT verò, *Columna Nubis* dissoluta est, & evanuit, populo in patrias promissasque sedes perducto. Desinet *Columna Fides*, quam primum ad cœlestem pervenerimus. Nec enim in Beatis manet fides; ut indicat Apostolus, 1. ad Corinth. XIII. ubi ita disputat: (a) Cùm venerit, quod perfectum est, nempe, status gloriæ, evacuabitur, quod ex parte est, id est, omnis notitia imperfecta, obscura, & caliginosa, qualis est Fidei, abolebitur, ejusque loco dabitur clara atque distincta. Idem videtur clarè definitum à Benedicto XI. in Extravagan. quæ incipit: *Benedictus* DEUS, in quâ definit, quod visio DEI,

(a) *S. Thom. 2. 2. q. 5. art. 2. Valentia, Tom. 2 disp. 5. q. 7. p. 4. Lessius lib. 2. de Jum.* Bono *lib. 2, cap. 19. num. 159.*

ejusque fruitio, actum Fidei & Spei in Beatis evacuet, prout Fides ac Spes propriè sunt Theologicæ virtutes.

V. Cum autem populo se videndum dabat *Columna Nubis*, in illa loquebatur Deus ducibus tribuum. Psalmo xcviii. *In Columna Nubis loquebatur eis.* Ob quam causam fortasse Sapientia Thronum suum ajebat esse in *Columna Nubis*, Ecclesiastici xxiv. nimirum, tribunal, aut suggestum, ut sensus sit: loquutum Deum ex Columna erecta & sublimi, velut ex tribunali regio, cathedra, graduque eminente: jus dicens, bonos absolvens, malos condemnans. Est etiam *Columna Fidei*, sedes Sapientiæ, tribunal summi Judicis, Oraculum Dei: è quo & Ecclesiæ supremo Capiti infallibiliter voluntatem suam aperit, & nobis, cùm revelationibus factis loquitur. Felices nos, si dum vocem ejus audimus, non obduremus corda nostra.

VI. Jam verò *Columna* eadem in peregrinatione molesta muniebat Hebræos, umbraculi instar, & à solis æstu tuebatur. Quod satis apertè colligitur ex Divinis paginis, è quibus hæc accipite & perpendite. Numerorum xiv. *Nubes gloriæ tuæ protegit eos, & in Columna Nubis præcedis eos.* Psalmo civ. *Expandit Nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.* Psalmo cxx. *Dominus custodit te: Dominus protectio tua: per diem Sol non uret te neque luna per noctem.* Sapientiæ x. *Deduxit eos in via mirabili: fuit illis in velamento diei & in luce stellarum nocte.* Sapientiæ xviii. *Solem sine læsura boni hospitii præstitisti eis:* hoc est, feciisti, ne Sol eos deformaret, læderetve: atq; ut obumbra-

(a) *Pineda Iob* 38. *Thyræus lib.* 2. *de appar. visib. cap.* 2. *q.* 4. (b) *Iansen. Lerm. Ps.* 98. (c) *Pineda lib.* 3. *de Salom, cap,* 28. (d) *Affirmant Lyran. Exod.* 13. *Hugo ibid. Genebr.* Ps. 104. (e) *Negant Cajet. Ex.* 13. *Abul. q.* 13. (f) An una erat Columna, altera umbraculum? *Ita Pere. Exod.* 13. *disp.* 5.

umbrato per nubem Sole, loca solitudinis, quasi pro bono hospitio illis essent: nimirum, inoffensè per ea loca iter faciebant. Sapientiæ XIX. *Castra obumbrabat nubes.* Quid est autem, quo tanquam umbraculo, à Concupiscentiæ violenter adurentis, magis quàm furentis Sirii æstu, tentationis tempore protegimur? quidnam arcet igneos inimici infernalis omnia circumquaque amburentis radios? quid luxuriæ, lasciviæque tela flammea à capitibus nostris avertit? *Columna Fidei*: verè umbraculum tempore meridiano. Hoc Paulus Apostolus indicat ad Ephesios VI. ubi Columnam hanc vocat Scutum, quod videlicet, urente canicula, capiti imponere solent milites, veluti umbraculum Soli arcendo: & sanè innuit Apostolus, sic sine noxa scintillantes sagittas excipi posse, cum mox extinguantur. *In omnibus*, inquit, *sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissima ignea extinguere*, ad Ephesios VI. Hoc umbraculo protecti veteres illi Heroës à fide commendatissimi, *obduraverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis*, ut ad Hebræos XI. scribit Apostolus. Præclarè Hieronymus: *Ne principium quidem habere poterit inimicus animæ vulnerandæ, si tenuerimus* Scutum fidei, *in quo non solùm venientia tela franguntur, sed etiam telorum ipse ignis extinguũtur.* Putatur autem Doctor Gentium per tela ignea, designasse, præter alia, impuras illas cupiditates, quas Dæmon artificio suo tartareo in animos hominũ, velut ferventes quosdam, ignitosque radios spargere ac vibrare solet, sicque mentem ad fæda inflãmare ardentius. De quibus, sensu S. Hieronymi, loquitur Oseas Propheta cap: VII. *Omnes adulterantes, quasi Clibanus succensus à coquente.* Denique, insinuat Apostolus, nullam esse tentationem nequissimi, Græcè, πονηροῦ, id est, Mali, antonomasticè, & scelesti, quæ est periphrasis Cacodæmonis, cujus vis omnis, Fidei *umbraculo*

sed veræ ac vivæ, non possit averti, aut infringi.

VII. Illud quoque in *Columna Nubis* considerandum, quod fuerit altitudinis tantæ, ut in ejus cono perspiciendo oculi caligarent, licet minimè debiles. Altissima etiam est *Columna Fidei*: elevata supra terram, transcendens omnes regionis aëris, nubes penetrans, cœlorum sublimitatem pervadens. *Fides*, inquit Bernardus, ser. 76. III. in Cant. *attingit inaccessa, deprehendit ignota, cõprehendit immensa, apprehendit novissima: ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu circumcludit. Fidenter dixerim, æternam, beatamque Trinitatem, quamvis non intelligo, credo. & fide teneo, quæ sana capio mente.* Cur autem tam altà fuerit *Columna Nubis* facilè est conijcere, quoniam videri debebat è longinquo à maxima hominum multitudine. Et sanè cernebant ei Hebræi ex omnibus suis tentoriis, ac mansionibus. Castra autem eorum cùm continerent propè tricies centena millia hominum, amplissimam haud dubiè locum occupabant: non minorem certè quàm decem vel duodecim milliarium. Hoc autem multo magis competit *Columnæ Fidei*, quæ idcirco tanta est sublimitatis, quia à mari usque ad mare, & à terminis orbis terrarum aspicientibus in oculos incurrere debet, & viam demonstrare.

VIII. Porro, *Columna* illa, quamvis diceretur *Nubis* seu *Nubea*, quoniam similis erat Nubi, quantum ad colorem; candida ac lucida; & quantum ad qualitatem materiæ: talis enim videbatur esse materiæ, qualem habet Nubes; tamen plurimùm differebat à Nube naturali. Haud secus, licet *Columna Fidei* dicatur Fides, quia est assensus intellectus obscurus, pendens ab auctoritate dicentis, seu credulitas quædã, tum quia ejus esse videtur qualitatis, cujus est fides naturalis, plurimùm tamen *Columna Fidei*, quæ est Divinæ, differt ab humana

vel naturali; ita tamen, ut inter discrimina Columnæ Nubis ac Nubē, & differentias Columnæ Fidei, ac Fidē naturalem magna sit affinitas. Imprimis enim, erat Columna Nubis purior & lucidior, quàm soleat esse Nubes. Et Columna Fidei divinæ sine admistione ullius falsitatis purissima, & certitudine multo, quam humana fides, lucidior. Deinde, densior erit Columna Nubes, & solidior nube. Fides humana est tenuissimæ substantiæ, subsistentiæ nullius, & evanida, si cum solidissima fide divina comparetur. Ad hæc, Nubes non eandem perpetuò figuram servant, sed subinde, pro varietate ventorum, quibus aguntur, vel accessione vaporum è terra variè figurantur. At Columna eandem semper figuram retinebat. Simili modo, variatur fides humana, secundum diversitatem dicentium, prout est major vel minor in uno, quàm alio auctoritas: nec enim omnibus eadem firmitate fidem adhibemus. Sed Columna Fidei semper ejusdem est figuræ, quia nititur auctoritate divina, cui nulla potest fieri accessio, nulla etiam decretio, cum non sit mutationis capax. Denique, Nubes sunt res naturales, ex causis naturalibus, naturali modo effectæ. Columna Nubis erat à DEO præter naturalem rerum ordinem, & cursum facta: nec modo naturali conservabatur, aut movebatur. Est quid simile in *Columna Fidei* divinæ, quæ non potest, nisi vi transnaturali in anima effici: non movemur ad fidem, neque illa in nobis, nisi supernaturaliter constituitur.

ARTICULUS V.

SPES

Columna Fumi.

ALTERA *Columna* in Sacris nostris celebrata est *Columna Fumi*: de qua Judicum xx. Cùm enim filii

Israël

Israël pugnarent contra Beniamitas, viderunt *quasi Columnam Fumi*, inquit Scriptura *de civitate conscendere*. Hanc cum Doctore Angelico dicimus esse symbolum *Spei*. Est itaque secunda Columna in primo Columnarum ordine Domus Sapientiæ SPES. Quæ Columnam refert. I. PRIMO quidem *Rectitudine* ac *stabilitate*: rectà enim in DEUM tendit, & in Altissimum erigitur. Est etiam stabilis, & stabilitatem iis, quibus supponitur, tribuit, & sustentat. Spes *in æternitatem animum erigit*, ait S. Gregorius *lib.* VI. *Moral. cap.* 16. *& idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, sentit.* Atque iterum lib. 2. in Ezechiel. hom. 17. II. *Spes cœlestium mentem solidat ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum.* III. Præterea, *Spes* in altum conscendit, ut *Columna Fumi*: nã futura bona spectat. Notat id S. Chrysostomus, qui Sermone de Fide, Spe, & Caritate Spem definit per ascensum: *Spes*, inquiens, *est futuræ pollicitationis assensus religiosus, promissæ gloriæ devota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum.* IV. Ad hæc, *Spes*, ut *Fumus* ex igne terreno, ita ex Caritate, quæ est cœlestis ignis, provenit. *Ex Caritate Spes*, inquit S. Ambrosius in c. 17. Lucæ *& rursum in se sancto quodam circumvoluntur.* V. Tandem desinit in fine *Spes*, sicuti *Fumus*. Postquam enim mens evolavit ex corpore, & quæ speravit, rata fuerunt, possidet, Spes desinit: est enim Spes solum futurorum. Quocirca Apostolus *Rom.* VIII. *Spes*, inquit, *quæ videtur, non est Spes: nam quod videt quidquid sperat?* Spes *est boni adquirendi expectatio*, ait Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. & consentiunt Philosophi ac Theologi.

AR-

ARTICVLVS VI.

BASIS COLUMNÆ SPEI

Promißio Dei.

BASIS Columnæ quæ SPES dicitur est *Promißio divina*, quæ planè infallibilis; cui substernitur pro fulcimento, tanquam *Stylobata, Iusiurãdum*, quod immobile; ut nõ sit periculũ, ne unquã ea corruat. Desumitur id ex Paulo Apostòlo, qui ad Hebræos VI. agens de firmitate Spei, tanquam Columnæ altissimæ, hunc in modum scribit: *Volens* DEUS *ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit Iusiurandũ, ut per duas res immobiles, quibus impoßibile est mentiri* DEUM, *fortißimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoßitam Spem.* Ubi asserit, idcircò jurasse DEUM, ut Spei Columna firma esset, & minimè dubio, aut stabili in fundamento, vel basi insisteret. Quamvis autem duas res nominet Paulus, intelligenda tamen est nostri respectu tantum illa dualitas: nam in DEO Promissio & Jusiurandum nulla ratione, quod attinet ad rem, sed tantummodò ratione concipiendi & loquendi nostrâ distinguuuntur.

ARTICULUS VII.

CARITAS

Columna Ignis.

TERTIA *Columna* est *Ignea*, in qua DEUS præcedebat Hebræos ad regionem promissionis properantes.

Hæc.

Hæc, sensu Aquinatis, est typus tertiæ virtutis Theologicæ, cui vulgatissimum, amabilissimumque nomen, CARITAS, quam virtutum omnium Columnã vocat B. Ephrem. Doctrina de humilitate. Et quoniam duplex est Caritas, DEI & Proximi; ideoque duo Dilectionis præcepta, in lege veteri à DEO tradita, & in Nova à Christo repetita, duas quoque Columnas Caritatis statuit D. Gregorius Nyssenus. Qui explicans illa Canticorũ v. c. *Crura illius Columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, ostendit quemlibet fidelium posse corporis mystici, quod est Ecclesia Crura fieri. Fundamentum quidem Ecclesiæ, *nemo potest*, ut ait Apostolus I. Corinth. 3. *aliud ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus*. Christus autem, ut differit Nyssenus, *Veritas est, in quâ Crura fundantur*. Multæ quidẽ sunt *Columnæ*, sine gulæ videlicet virtutes Lege ac Prophetis comprehensæ; sed tamen duæ Columnæ huic ædificio sustinendo sufficiunt: Illæ nempe, à quibus ipse sponsus dixit, Legem & Prophetas pendere, quæ sunt Caritas DEI & Caritas proximi. Perinde enim est dicere, aliquid ab alio sustineri, atque aliquid ab alio dependere: Sponsa autem indicat ab iisdem illa sustentari. Confirmari potest ex Paulo Apostolo, qui Timotheum illum summe dilectum, velut Domum Sapientiæ, erigere & firmare cupiens, duas in illo Columnas constituit, dum monet Epist. 1. c. 1. ut habeat Fidẽ & Conscientiam bonam; per Fidem intelligens primum illud præceptum magnum Dilectionem DEI, per Conscientiam, alterum illi simile, Dilectionem proximi.

HÆC Columna bipartita meritò dicitur *Columna Ignis*: est enim Ignis Caritatis symbolum. Quo usus Christus, interpretatione Euthymii, Lucæ XII. dicebat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et lam-

habet

habet Caritas, ut Ignis, subtilitatem, quâ fulguris etiam instar, res durissimas penetrat, & in mollitiem vertit: habet lucem, qua mentem illustrat: habet calorem, quo inflammat, ut scitè incendium amoris dixerit Gregorius Papa: habet levitatem, qua ad superna tendit, & omnia pervadit. Ignis consumit paleas: Caritas concupiscentias. Addit S. Thomas. *Præf comm. ad Ephes.* sicut ignis illuminat diaphanâ, examinat metalla, exterminat cremabilia: ita Caritas illuminat opera, examinat intentionem, omnia vitia exterminat.

SUNT etiam nonnulla Caritati, cum *Columna* illa *Ignis*, quæ Israëlitis noctu præbebat lumen communia. I. Imprimis data erat peregrinantibus, ad dispellendas noctis tenebras. Quis autem nescit, tenebras palpabiles esse peccata, quæ miseriarum noctem efficiunt? Has dispellit Columna ignis, Caritas, quæ, ut lux in tenebris lucet. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*, dicitur Lucæ 1. de peccatoribus. *Abiiciamus opera tenebrarum*, monet Apostolus, ad Romanos XIII. *Tenebris obscuratum habentes cor*, pronunciat idem de iniquis, ad Ephesios IV. Hinc Caritate dicuntur operiri peccata, 1. Petri IV. Proverb. x. id est, aboleri, effugari, dispelli. II. Præterea, erat tanta similitudo inter Columnam illam *Ignis* & *Ignem* naturalem, quo communiter utimur; ac multo etiam magis inter eam, & *Ignem perpendicularem*, qui Columnæ instar in aëre conspici solet, quando materia benè cohærens, & oblonga accendi solet, atque inter ignita meteora numeratur, ut discrimen inter illa, non nisi ratione colligi possit; & etiamnum existiment aliqui, illam fuisse verum ignem. In libro tamen Numerorum cap. IX. bis appellatur, *Quasi species Ignis*; quæ loquutio satis innuit, non fuisse ignem verum, qualis nobis est in usu, sed specie diversum. Siquidem tres numerari solent

Ignis

Ignis ſpecies, niſi modos dicere malis. Eſt enim *Ignis*, ut carbo, & ferrum ignitum, vel quodcumq; aliud corpus denſum ignem continens: quod multum quidem urit, ſed parum lucet. Eſt alius *Ignis* per modum flammæ, non minus lucens, quàm urens. Denique eſt *Ignis*, quaſi lux Solis, & ſtellarum, nihil per ſe urens, plurimum autem lucens. Sic Sidera vocantur Ignes cœleſtes. Sumitur hæc diviſio ex Platone in Timæo, & Ariſtotele in Topicis. Ad ultimam autē illam ſpeciem revocare licet *Columnam Ignis*, quæ uſque adeò ſplendebat, & longè, lateque illuminabat, ut cuncta Hebræorum caſtra illuſtrarent; & quidem adeò, ut lumine lucernarum haud indigerent, ſed clarè viderent omnia, ut claro die.

SIMILE quid animadvertimus in *Columnâ Caritatis*, ſeu Caritate Theologica, ſive Divina, quæ Columna eſt in Domo Sapientiæ, ſi cum Caritate naturali comparetur. Nam diſcrimen illarum non niſi ab intellectu divinitus illuſtrato rectè poteſt perſpici. Et quam plurimi falluntur, qui putant Columnam illam lucentiſſimam Caritatis animæ ſuæ inhærere, cùm non niſi naturalem quendam erga DEUM, & proximum amorem, eumque minimè conſtantem ac ſolidum habeant: quippe, qui non niſi materiæ utilitatis propriæ inſiſtat, & pabulo jucunditatis temporaneæ ac corporalis alatur: quo ſubtracto, confeſtim interit. Profectò, ut *Columna Nubis*, & multo magis altera *Ignis*, non niſi vi quadam tranſnaturali excitari, & conſervari potuit; ita Caritatis Columna non niſi viribus, quæ naturæ potentiam ſuperant, poteſt conſtitui. Quod adeò verum, perſuaſumque ſemper fuit Theologis, ut reperti ſint, qui exiſtimaverint, Caritatem, qua DEUM, & proximum diligimus, eſſe ipſum Spiritum ſanctum: quod tamen nulla ratione ad-

(a) Magiſter ſent. in 1. diſt. 17. Vide S. Tho. q. 23. art. 2. ib. Interp.

admittendum est. Sed quemadmodum *Columna Ignis* fuit opus Omnipotentis, in quo tamen ipse quodammodo sedem suam collocarat: dicitur enim Dominus præcessisse populum in Columna ignis, Exodi XIII. haud secus DEUS Caritatem, tanquam Columnam in animo stabilit, in eaque peculiari quadam ratione commoratur. Unde Paulus Apostolus Rom. V. *Caritas* DEI, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi de Caritate DEI est sermo, non illa, qua nos diligit Deus, sed qua nos Deum diligimus: & vocatur Dei, tanquam DEI opus eximium, in quo DEUS ipse quodammodo residet.

ARTICVLVS VIII.

COLUMNA IGNIS ET NUBIS *Caritatis & Fidei, An & Quomodo distinguantur.*

ILLUD autem magna contentione à sacris qnibusdam Divinarum litterarum Interpretibus agitatur, An una eademque numero reipsa fuerit *Columna Nubis*, atque *Columna Ignis*, de die lucens Nubis instar, & diurnum iter Hebræis monstrans, eosque dirigens; eadem verò per noctem splendens, ceu *Ignis*, nocturnas tenebras discutiens, atque illuminans Israëlitas. Et quidem existimat Hugo Victorinus, fuisse unam & eandem. Idem affirmat Episcopus Abulensis, ita tamen ut diversimodè fuerit affecta diverso usu, ac munere prædita. Quod videtur colligi ex cap. IX. libri Numer. ubi dicitur, Nubem, sive Columnam Nubis, non solum die, sed etiam

(a) Hugo cap. 13. Exo. (b) Abul. q. 114. in 13. Exo. Lyran. Exo. 13. Cajet. Exo. 14. Perer. disput. 6. Exo. 13. Torniel. An. 2544. num. 24.

noctu manere solitum supra Tabernaculum Domini; atqui *Columna Ignis* erat, quæ per noctem apparebat Hebræis & castra illorum illuminabat. Probabilissimum est, si adfirmetur, *Columnam* illam Nubis, noctu novam quandam speciem, seu formam accepisse, quæ si solitariè esset, Columnam Ignis constitueret.

Est quidpiam haud multum dissimile in duabus nostris Columnis, *Fide* ac *Caritate*. Fidei Columna distincta est à Columna Caritatis: tamen Caritas velut splendor quidam, dum accedit ad fidem, tribuit illi peculiarem quandam speciem, unde dicitur *Fides Formata*, quasi sit *Columna Ignis*, cùm antea esset *Infernis* & obscura, ut *Columna* aliqua *Nubis*. Non quod Caritas non distinguatur à fide, sed quod tum conjunguntur, in unum aliquod velut compositum coalescant.

Spectatur Columna Ignis & Columna Nubis pulchrè sculpta in symbolis heroicis Silvestri Petra-Sancta libro IX. cum hoc lemmate, Este Duces.

ARTICULUS IX.

Basis Columnæ Caritatis

Bonitas Dei.

Cui insistit Caritatis Columna? Bonitati: amamus enim quempiam, quia est bonus: Deum quia bonus in se est, proximum quia de hac rate divinâ participat. *Ob duplicem causam*, scitè quit Bernardus, *Tract de dilig.* Deo. Deum *dixerim* p *seipsum diligendum, sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius potest. Meretur amari* Deus *propter seipsum*, c

infideli, qui etsi nesciat Christũ, sicut tamen seipsum. Clamat nempe intus ei innata, & nõ ignota rationi Iustitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Amemus jugiter DEUM, quia BONUS est: bonus in se, bonus in aliis: bonus in præmiis, bonus in pœnis: bonus in Angelis, bonus in hominibus: bonus in tempore, bonus in æternitate: bonus in Natura, quæ unica; bonus in Personis, quæ tres. Est enim Bonus PATER, Bonus FILIUS, Bonus SPIRITUS-SANCTUS; Bona *Vnitas*, Bona *Trinitas*, quæ ut nos bonos faciat, orare non desinamus.

Sunt ergo in primâ Columnatione, seu in prima serie Columnarum (accipio enim Columnationem sicut dicimus Contignationem, ex lignis compositum tabulatum) Columnæ tres, Fides, Columna Nubis, Spes, Fumi; Caritas, Ignis. Columnatio alioquin apud Architectos, est Columnarũ extructio Apule. lib. 3. Flor. Quid super est ad statuæ meæ honorem? pavimento marmoratio? proscenii contabulatio? scenæ columnatio.

SERMO II.

SECVNDA COLVMNATIO

Domus Sapientiæ.

ARTICULUS I.

COLUMNÆ

Iachin & Booz.

LVSTRANTI Domum Sapientiæ offert se, præter hactenus descriptas Columnas, par maximarum & elegantissimarum, quas sumptu

regio, artificio singulari, incredibili magnificentia, no-
bilissimus Architectus Salomon in Basilicæ Ierosolymi-
tanæ porticu collocari mandavit, indito singulis nomi-
ne, quod arcana significatione, Templi firmitatem, dig-
turitatemque continebat, & denotabat. *Statuit*, inquit
Sacer Scriptor, (a) *duas Columnas in porticu templi: cumq;*
statuisset Columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin: *si-*
militer erexit Columnam secundam, & vocavit nomen ejus
Booz. Utrumque nomen Fortitudinem significat; nam
Iachin idem est, quod *confirmet*: at verò *Booz*, *Fortitudo*, *se-*
stabilitas. Verùm, Fortitudo, aliquando est idem, quod
robur, durities, firmitas; interdum respicit tempus, &
significat perseverantiam, perpetuitatem, constantiam.
Illæ itaque Columnæ typi sunt, aut figuræ duarum, quæ
ad Ædificium spirituale, vel fulciendum, vel ornandum
sunt omninò necessariæ. Quæ-nam illæ? Fortitudo, &
Constantia.

(a) Lib. III. Reg. VII. 21. Lib. 2 Para. 3. & 4.

ARTICULUS II.

Fortitudo et Constantia

Quomodo constituant duas Columnas Domus Sapientiæ.

IDut percipiatur commodius, & intelligatur, qua-
tione Columnis assimilentur virtutes illæ: OBSERV
Fortitudinis nomine, aliquando indicari firmitudi-
animi, in quavis virtute exercenda, seu in bono quod
honesto. Siquidem in omni virtute difficultas aliqua
peranda occurrit: nam

----- *Tendit in ardua Virtus.*
Virtus -- dextrum petit ardua collem
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert
Virtutis via. ---

Hoc sensu S. Ambrosius lib. 1. de officiis, *Iure*, inquit, *ea* Fortitudo *vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet nullis illecebris emollitur, atque insl ctitur: non adversis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum, circumfertur mutatione.* Atq; ibidem distinctione adhibita, sic differit: *In duobus generibus, Fortitudo spectatur animi.* Primò, *ut externa corporis pro minimis habeat, & quæ superflua, despicienda magis, quàm expetenda ducat.* Secundò, *ut ea quæ summa sunt, omnesq; res in quibus honestas, & illud πρέπον cernitur, præclara animi intētione, usque ad effectum persequatur.* Itaq; ex mēte S. Ambrosii, *Fortitudo* complectitur contemptum divitiarum, honorum, ac voluptatum, & firmum propositum bono honesto inhærendi, sic, ut nullis malis sinas te ab eo divelli. Deinde verò, *Fortitudo* nonnunquam designat Virtutem quandam peculiarem, quæ una est ex quattuor Cardinalibus, quâ animus rectè se habet in rebus acerbis & adversis, terribilibusque perferendis, aut expugnandis. Qua acceptione definitur à S. Augustino, (*c*) *Considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Ab Aristotele autem, (*d*) *Mediocritas circa metum & audaciam.* A Tullio (*e*) itemque in Tusculanis, *Virtus, cujus munera duo maxima, mortis doloriq; contemptio.* Ab hac dicitur fortis Samson, David, Laurentius, Agnes, ceterique utriusque sexus Martyres. Haud dissimili modo, *Constantia*, aut *Perserantia* bifariam sumitur. Et quidem signatè *Perseverantia* idem aliquando est, quod continuario in virtutum studio, ac DEI gratia usque ad obitum. Quo pacto est proprium *Donum*

(*a*) Ovid. 2. de Pont. (*b*) Litt. Pyth. Virg. (*c*) Lib. 83. quæst. q. 31. (*d*) Lib. 3. Eth. c. 6. (*e*) Cic. lib. 4. Tuscul.

El ctorum : de quo Augustinus lib. de bono, Perseverantiæ. Interdum verò accipitur pro proposito perseverandi in bono opere, quam diu ratio dictabit, ex affectu peculiaris honestatis, quæ in opere illo cernitur. Ut cum quis vult perseverare in jejunio per totã Quadragesimã, sive ut carnẽ domet, sive ut pro peccatis satisfaciat, sive ut obediat Ecclesiæ, aut simili de caussâ. Atq; ita ad quilibet Virtutem spectat: nam virtus omnis ex affectu proprii boni potest velle operis continuationem usque ad finem. Rursum verò, velle perseverare quis statuere apud se potest, præcisè ex affectu ipsius Perseverantiæ & continuationis, quatenus id per se honestum est: & sic Perseverantia est peculiaris virtus, de quà S. Thom. 22. quæst. 137. Ab ea autem parum differt, si quid differt, *Constantia*. Quid enim aliud est perseverare, quàm usque ad finem constantem esse? Sunt autem *Fortitudo* & *Perseverantia*, Virtutes ita connexæ, ut ægrè à se mutuo avelli possint, & tam germanæ ac similes, ut quod de una dicitur, alteri accommodari soleat.

Dico igitur, Fortitvdinem, & Constantiam, siu Perseverantiam, rectè, ut Columnam concipi. Quod primò probare licet ex interpretatione nominum Hebraicorum. *Booz* enim Hebraicè idem est, ꝙ *in eo fortitudo*, vnde Septuaginta vertunt ἰχύς, id est Vis & *Robur*: quomodo ad idem spectet *Iachin*, superius insinuavimus. Et id sentiũt ii Scripturæ Interpretes, qui duas illas Columnas, Fortitudinis, & immobilis permanentiæ, sive Perseverantiæ, aut Constantiæ, fuisse symbolum asserunt. Ita ferè Ribera, Pineda, Viegas, sequuti antiquiores. Deinde, Poëtæ, pictores, sculptores, hieroglyptæ, philologi, quandocumque virtutes quattuor Cardinales exhibent, in carmine, tabula, ligno, marmore, vel chartâ, Fortitudini, similiterque Constantiæ Columnam

lumnam apponunt, vel Columnam solitariè, ut hujus & illius symbolum effingunt. Quod gentium penè omnium usu est receptum, & scutariæ leges in Heraldica disciplina præscribunt, in qua nihil usitatius, quàm in clypeo, vel scutum familiæ Columnam erigere, quæ Fortitudinem, aut Constantiam, vel utramq; designet. Nota sunt Insignia nobilissimę familiæ apud Romanos, solitaria in Scuti area, COLUMNA à quâ etiam nomen Columnensium Principum in Italia, aliisque regionibus, vocabulo, ex Latino in cujusvis gentis patrium mutato, servata tamen constanter significatione symboli, quo Fortitudo stirpis, & majorum prosapiæ exprimitur. Quid fortius in universo, quàm benè constituta Religio, & optimis legibus munita Respublica? Vtramque ut exprimeret imagine symbolica Philologus, qui blandiebatur Carolo IX. Valesio Regi Gallorum Christianissimo, pingi curavit paludatum, duas una manu Columnas inclinatas erigentem, addito versu:

Mira fides! Lapsas renovat manus una COLVMNAS.

Er sanè, in Columnâ spectari possunt conditiones plurimæ, aut proprietates Fortitudinis. *Columna*, si describere eam placet, *est lapis* (quamvis ex alia quoque forma-ri possit materia) *firmus, oblongus*, aut *perpetuus*: vel ut quidâ definit, *Firma perpetuaq; muri pars, excitata ad perpendiculum à solo imo, usque ad summum tecti, ferendi, vel aliûs usus gratiâ.* Itaque in Columna est rectitudo inflexibilis, firmitas, stabilitas, continuatio, sustentatio; quæ sunt Fortitudinis, & Constantiæ qualitates. Utraque est recta, in neutram partem declinans: ideoque inflexibilis. Frangere, ceu Columnam, citius, quàm flectere Fortitudinem poteris. Est stabilis: moveri nescit. Nulla est in ea interruptio: continuatur ab exordio operationis bonæ,

usque ad calcem. Sustentat virtutum compagem, quæ sine hac & Constantia labitur, non secus ac subductis Columnis, tabulatum.

ARTICULUS III.

COLVMNÆ

Sapientia & Prudentia.

PRÆCLARI quidam Sacræ-Scripturæ Interpretes, Venerabilis Beda, Abulensis, Vatablus, & nominati superius recentiores, Ribera, Pineda, Viegas, censent, Salomonem idem significasse duobus illis nominibus, *Iachin* & *Booz*, nimirum, optare se firmitatem & stabilitatem Templi: nam etiam *Iachin*, aliquando significat firmitatem, ac fortitudinem. Secundum quam interpretationem posuimus Columnas haud multum differentes, *Fortitudinem*, & *Constantiam*, seu *Perseverantiam*. Ac quibusdam magis placet, quod docet Cajetanus, duo illa distingui oportere, ac per *Iachin*, quod propriè significat directionem, aut rectitudinem. Vnde Septuaginta Paralipom. 3. vertunt κατόρθωσις, id est, *correctio*, *directio*, *recta affectio*, designari Prudentiam, sive Sapientiam practicam, per *Booz*, fortitudinem & firmitatem: ut indicare voluerit Salomon, per *Iachin* quidem, quod Templi artificio peculiari & sapientia elegantissimè esset ædificatum, per *Booz* vero, quod fortissimè fundatum, munitum & stabilitum; simulque DEUM sit precatus, ut illud in omnibus, per *Iachin* dirigere, & per suum *Booz* roborare dignaretur, & ab hostibus tempestatibusque, omnique periculo eripere. Quare inter Columnas Ædificii Spiritualis in hac Columnatione, nominari

potest

poteſt PRUDENTIA quæ neceſſaria eſt, ut in Anima *Domus Sapientiæ*, id eſt, congeries virtutum, ſit *Templum* DEI: niſi enim Prudentia regantur virtutes, & per *Iachin* dirigantur, diu conſiſtere non poſſunt. Et hæc eſt Columna dextra: non minus autē indiget Columna ſiniſtra, *Booz*, hoc eſt, Fortitudine ad exequendum, quod prudenter eſt decretum.

PRUDENTIA præcedit, velut lux viam Virtutis & Sanctitatis demonſtrans, quare dextram occupat: FORTITUDO ſubſequitur, quaſi ſiniſtra ut conſtanter exequutioni mandet, quod faciendum Prudentia præmonſtravit. Neutra per ſe ſola ſufficit; ſed ſi una alteri ſit connexa, quod libet opus bonum perficit Sapientiæ alumnus; quidlibet ad ſalutem neceſſarium vel utile aggreditur, nec deſinit, niſi ad finem conſtanter perduxerit; quamcumque difficultatem in via ſalutis occurrentem facilè ſuperat: omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, omnibus ſeſe accommodat, ut ab omnibus, quod bonum, addiſcat; quod malum, evitare doceatur. Ad quod opus eſt directione Præſidis Sapientiæ, qui frequenter cogitandus, frequenter advocandus. *In omnibus viis tuis*, monet Salomon (*a*) *cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Vtinam dirigantur viæ meæ*, orabat David, (*b*) *ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* Et iterum (*c*) *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum.* Rurſus (*d*) *Dirige me in ſemitam rectam.* Denique, (*e*) *Opus manuum noſtrarum dirige.* Felix fuit, & victorioſus Joſue, quia addicebat illi hanc directionem, & opitulationem Dominus: (*f*) *Confortare & eſto robuſtus* (ad debellandos adverſarios) *noli metuere, & noli timere, quoniam tecum eſt Dominus* DEUS *tuus in omnibus, ad quæcumque perrexeris.* Similis pollicitatio facta fuit Da-

 vidi,

(*a*) Prov. 3. 6. (*b*) Pſ. 118 5. (*c*) v. 133. (*d*) Pſ. 26, 11. (*e*) Pſ. 89. 17. (*f*) Joſ. 1. 6. 7. 9.

vidi : quanta autem inde bonorum omnium copia? (a) *Manus mea auxiliabitur ei : & brachium meum confortabit eum: Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ipsius inimicos ejus : & odientes eum in fugam convertam. Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.*

(a) Psal. LXXX. VIII.

ARTICVLVS IV.

COLUMNÆ ÆREÆ

Fortitudo & Constantia.

Finxit, Salomon, *duas Columnas æreas*: nomen uni Iachin, alteri *Booz*. Lib. 3. Reg. VII. 15.

MATERIA duarum illarum Columnarum, quas ad Domum Sapientiæ transportavimus fuit Æs, quod est metallum durissimum, & simul sonorum: *æs sonans* ait Apostolus. Utrumque convenit Fortitudini, quæ nihil durius, quæ resistit adversis omnibus, & à nullo superatur: quæ nullos labores metuit, nullo vincitur crimine, nihil reformidat: idque palam edicit sonantissimo. Clamant hac Columna firmi, cum Paulo Apostolo, *Quis nos separabit à Caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persequutio? an gladius?* Ad Romanos VIII. Et, *scio satiari, & esurire: abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat*, ad Philippenses IV. Eorundem sunt voces, quæ fortissimorum Machabæorum, ita Antiochum tyrannum alloquentium apud D. Nazianzenum. Orat. de Machab.

Elec-

» Eleazari, dicite Vos, Christi) discipuli sumus, cujus tu
» fortitudinem perspectam & exploratam habes. Pater
» prior decertavit, decertabunt postea filii. Abscessit
» Sacerdos, sequentur victimæ. Multarum tu quidem
» rerum terribilium metum nobis injicere tentas, ve-
» rùm ad plura parati sumus. Quid autem nobis vir
» superbe, atque insolens, minis istis tuis facies? quos
» cruciatus inferes? nihil his hominibus fortius, qui ad
» quidvis perferendum prompto & alacri sunt animo.
» Quid cunctamini carnifices? quid moras nectitis? ubi
» gladii? ubi vincula? festinationem requiro. Ignis ac-
» cendatur, acriores bestiæ, magisque actuosæ produ-
» cantur, exquisitiora tormenta proferantur. Sint
» omnia regia & magnifica. Agnoverunt hanc mate-
riam, ejusque qualitates in Columna Fortitudinis ho-
mines à fide nostra alieni. Clarè Tullius libro tertio de
Officiis, *Harum*, inquiens, *virtutum* (Magnitudinis animi
& Fortitudinis) *proprium est, nihil extimescere: omnia humana
despicere: nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare.*
Quod sonora sit, æris instar, non tacuit Seneca, epistola
LXII. sic scribens: *Nonne Fortitudo optabilis est? atque pericula
contemnit, & provocat?* altissima nimirum voce. *Pulcherri-
ma pars ejus, maximèque mirabilis illa est, non cedere ignibus, ob-
viam ire vulneribus, interdum tela ne vitare quidem, sed pectore
excipere.* Quos non sonos, fortitudinis æreæ indices, de-
derunt è nostris, Laurentius in craticula, Agnes in lupa-
nari, Sebastianus ad stipitem, Achatius cum decem mil-
libus in Cruce?

Est præterea Æs ejus naturæ, ut rubigine non ob-
ducatur, certè, non consumatur. Ob quam caussam Pa-
pa Grogorius lib. 27. Moral. cap. 25. Virtutibus Angeli-
cis æris proprietatem tribuit, quod nulla jam rubigine
surripientis culpæ mordeantur. Gaudent hac dote Co-

lumnæ

lumnæ Fortitudinis & Constantiæ, quibus nihil vitiosi, quantum sinit humana imbecillitas adhæret, quos rubigo affectionum inordinatarum non exedit, quos nunquam ullius criminis gravioris ærugo consumit. *Fortitudo* enim & *Constantia* omnes animi perturbationes, ac cupidates vi quadam indita retundit. Siquidem, ut docet S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 36. *Iure ea* Fortitudo *vocatur*, *quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur: non adversis perturbatur, non extollitur secundis.* Fortitudine invictus non censetur, qui non potest suis imperare cupiditatibus, qui non refrenat libidines, spernit voluptates, iracundiam continet, coërcet avaritiam, ceteris animi labes repellit, velut rubiginem. Peculiari tamen quadam ratione Rubigo virtutum appellatur *Vana gloria*: & sanè, quod vestibus est blatta, teredo libris, rubigo ferro, id virtuti est, *Vana gloria*, qua multæ corroduntur, & consumuntur aliquæ. Sed huic malo constantius, quàm æs, resistit Fortitudo: quod præclarè probat D. Prosper libello de vita contemplativa cap. xx. ubi cùm dixisset, veram animi fortitudinem non jactare se de sustinetia, non blandiri sibi de favore vulgi, quo prædicatur, non plus gaudere ex eo quod laudetur, quàm ex eo quod habet unde laudetur; subjungit, veram fortitudinem talibus blanditiis repugnare, nec adquiescere mollibus cum adjuvante Domino dura atque aspera superet.

Adhæc, invicta quædam res putatur Æris materia. Hinc, *arcus æreus* Psalmo xviii. *portæ* æreæ, Psalmo cvi. æreа vincula, Danielis iv. Talis est Columna Fortitudo, quæ, ut scribit D. Ambros. *invicta est ad labores, fortis ad periicula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quæ bus aurem deferre nescit.* Et quoniam Æs res est invicta, æternitatem spectare censetur. Ita apud Virgilium, mira

are

ære trabes legimus, ad perennitatem concatenationis significandam. Apud Horatium, *Monumentum ære perennius*, ad memoriæ æternitatem. Huc spectat *Serpens æneus*, de quo Numeror. xxi. & Ioann. iii qui diuturnitatem nunquam finiendam salutis per Christum Servatorem indicabat. S. Augustinus in explanatione Epist. ad Galatas. *Nec propter aliud ille* Serpens Æneus *factus erat, nisi ut permansuræ Passionis Dominicæ fidem significaret. Etiam vulgo dicuntur* Ænea, *quorum numerus manet.* Subjungit paullo post: *Nunc autem tanquam* Ænea *permanet Crucis fides.* Olim quoque *Ærei clavi* cadaveribus infigebantur, quod ne putrescant, vel ut diutissimè serventur, efficiat: ea erat persuasio. Quam confirmet Vegetius, probans æreos clavos compingendis navibus idoneos esse, ac ferreis firmiores, quod hos tempore & humore celeriter rubigo consumat, illi etiam in fluctibus incolumes maneant. Fortitudo & ipsa per se constans est virtus ac perpetua, & quibus jungitur, aut tanquam clauus infigitur, perpetuitatem communicat.

ADDATUR ad encomium Æris, quod in eo auri color rutilet, argenteus sit sonus, ferri firmitas, chalybis acumen, metallorum penè omnium decus dotesque. Idem cernes in Fortitudinis Columnâ, à quâ nunquam absunt aliarum virtutum prærogativæ. Nam, ut disserit S. Ambrosius in 1. Officiorum cap. 35. Nunquam Fortitudo est incomitata, nempe, fide, justitia, ceterisque: alioqui fortitudo sine justitia, iniquitatis materia est. Et præclarè Lactantius, *lib. 1 Inst. cap. 9 Ille solus vir fortis debet judicari, qui temperans est, moderatus & justus.* Est in Fortitudinis Ære aureus Justitiæ splendor. Interrogatus à suis Rex Agesilaus, utra virtus esset præstantior, *Fortitudo*, an *Justitia*? graviter respondit: *Fortitudinis nullum esse usum, nisi adsit Justitia*, ut habet Plutarchus in Apoht. Laconicis.

AR-

ARTICULUS V.

Columnæ Marmoreæ

Fortitudo & Constantia.

Aliam earundem Columnarum materiam invenio in Architecturæ sacræ volumine: nam easdem spiritualis Ædificii Columnas significatur reor symbolicè Tibiis Sponsi, quas Dilecta Columnas vocat marmoreas, *Canticorum* v. 15. *Crura*, inquit, *illius, Columnæ marmoreæ super bases aureas*. Mysticè, Crura Sponsi, sunt, ut Cantici Salomonici Interpretes, Theodoretus, Hailgrinus, & illos sequuti recentiores exponunt, *Fortitudo* ejus, & *Perseverantia*, seu ad finem usque *Constantia*: quemadmodum Tibiæ totam corporis molem, & Columnæ ædificii machinam, sic dictæ Virtutes spiritualis Ædificii corpus sustinent. Certè, Fortitudinem invictam nunquam non exhibuit Sponsus Christus in seipso Diabolum ac Mundum vincendo; & nobis quotidie exhibet, ingeminando ad quemlibet inimici insultum, *Confidite, quia ego vici mundum*. Joann. XVI. 33. Constantem perseverantia ostendit continuis vitæ totius laboribus, molestiis, injuriis, contumeliis, animo æquissimo, usque ad Crucem perferendis, & in ea mortem oppetendo, & descensum in ea constantissimè, quamvis irritaretur, provocaretur, exstimularetur, negando. Fuit hæc constans *Foritudo*, ut marmor, dura, rigida, inflexibilis: qualis requiritur, vel optatur in Alumno Sapientiæ.

Cum autem varia sint marmorum genera, quæ accurate

accuratè recenſet Plinius (*a*) in naturali hiſtoria. Et quoddam quidem album, quod Parium dicitur, & ſplendet egregiè: hinc illud Lyrici (*b*)

Splendenti Pario marmore purius.

aliud viride, quod Laconicum appellant; aliud maculoſum in Serpentis modum, aliud rubrum, candidis punctis interſtinctum, exiſtimatur Sponſa conferre Cruta ſua Dilecti, vel cum alabaſtrite, vel cum illo, quod in Paro inſula provenit; unde Aquila & Symmachus vertunt Pariæ,

Cæduntur Pariis qualia ſaxa jugis.

Marmor verò qualecumque, quia lapis eſt duriſſimus ac ſolidiſſimus, qui in precio ubique habetur, per illud eadem indicantur, quæ per æs, ſi duo adjungas, quæ mirificè Fortitudini, & in ea Perſeverantiæ conveniunt. Unum eſt candor, qui Fortitudinis ſinceritatem, & omni nudam hypocriſi, & ſimulatione, doloque malo repræſentat. Non eſt Fortitudinis fingere, ſimulare, hypocritam agere; lucem veritatis fugere, ore jurare, mentem injuratam gerere: eſt hoc timidorum, quibus tantum non eſt animi, ut ſeſe adverſitatibus opponant. Quare Sapienter M. Tullius primo de Officiis removet à fortitudine vafriciem & calliditatem minus ingenuam, illiq; deſignat Candorem Parii marmoris ſplendentem. *Probè*, inquit, *definitur à Stoicis fortitudo, cùm eam virtutem eſſe dicunt pugnantem pro æquitate.* Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſequutus eſt, inſidiis & malitia laudem eſt adeptus: nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod luſtitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud: *Scientia, quæ eſt remota à juſtitea, calliditas potius, quàm Sapientia eſt appellanda.* Alterum, quod à Marmore, immò & ab ære indicatur, eſt pretium: in pretio eſt utrumque,

& non

(*a*) Plin. lib. 36, cap. 3. (*b*) Horat. 1. Carm.

& nõ mediocri comparatur pretio. Nullus inter omnes Ædificii spiritualis lapides, videtur esse majoris pretii, quàm *Fortitudo* & *Perseverantia*, pro quibus solis merces persolvitur. Et quare in pretio est Nobilitas? quia à Fortitudine ducit initium. Qui-nam maximis stipendiis & honoribus conducuntur ad militandum pro Republica? Viri fortes, & constantes. Quibus præmium promittitur pretii inæstimabilis? perseverantibus. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum*, Psal. cxv. 15. id est, perseverantia. Denique, quæ fortitudine peculiari quadam ratione, pretium conjungit Sapiens Prover. xxxi. 10. *Mulierem*, nempe, animam *fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.*

ARTICVLVS VI.

Columnarum Marmorearum

Situs, Aequalitas, Altitudo, Crassities, Circumferentia, Canitus, Capitella, Ornamenta, ad Tropologiam accommodata.

AD Situm quod spectat, *statuit* princeps Architectus Salomon duas illas firmissimas Columnas *in Porticu Templi*, (a) ut dicitur libro III. Reg. cap. VII. Quæ Porticus erat Templi vestibulum; ita una Columna uni portæ Porticus, altera alteri adstaret: nimirum, ad utroque latere Portæ Aulæ Sanctæ, ad dextram unam, ad sinistram alteram. Qui Situs significat, Columnam Fortitudinis ac Constantiæ, seu Perseverantiæ adesse debere, tum in prosperis; quæ per dextram denotantur, tum

(a) Ribera lib. 2. de Temp. c. 12. Vilalpan. lib. 5. c. 5. Salian. Torniel. Adrichom. Pineda lib. 5. Salomon. c. 5. Viegas Apocal. 1. c. 6. 3. Sect.

tum in adversis, quæ per sinistrum. Semper & ubique in DEO & virtutum studio firmiter est consistendum, nunquam à bono & honesto, nunquam à pietate recedendum. Ita stationem suam servabat Paulus Apostolus, cujus hoc decretum: secundo ad Corinth. 6. *Per arma justitiæ à dexteris, per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam.* Quicumque Domum Sapientiæ incolere statuit, sciat tam se fortem constantemque esse oportere, ut nec adversis dejiciatur, nec prosperis extollatur, sed in utraque firmiter persistat immobilis. Erant autem binæ illæ Columnæ ÆQUALES, & ejusdem operis, ac omninò similes, quoniam *Æqualis* esse debet in utroque statu, miseriæ & felicitatis *Fortitudo* ac *Constantia.* Nec vacat arcano intellectu, quod fuerint ante fores Templi in vestibulo: nimirum, ad ingressum, immò, ante ingressum in Domum Sapientiæ firmandus est animus ad fortunam utramque.

ALTITUDINEM habebat quælibet Columna decem & octò cubitos. Omitto altercationem Interpretum de sensu litterali secundum Architectonicam vulgarem: secundum Mysticam, quam hic tractamus, rectè dixeris, ea mensura indicari, dum in hac vita versatur Sapientiæ discipulus, non in fide tantùm, aut in operibuus bonis solùm fortiter perseverandum esse, sed simul in fide, & in operibus: quia fides sine operibus mortua est in semetipsa. Hoc autem arcanum in iis numeris latere Beda & Angelomus sic declarant. Tria fidem innuunt, propter sanctissimam Trinitatem, præcipuum fidei Christianæ mysterium: sex operationem omnem bonam denotant, quod sex fuerint dies, in quibus mundus sit conditus. Tria autem per sex multiplicantur, quando justus, qui ex fide vivit, cognitionem piæ credulitatis, exequu-

(*) Abulens. Lyran. Caieta. Vatabl.

tione bonæ actionis accumulat. Jam verò, ter seni, decem & octo faciunt.

PORRO, Columna utraque, ut Ieremias prodit, capite LII. *intrinsecus cava erat*. Ergo in tam vastis, firmisque machinis erat etiam sua vacuitas & inanitas. Quid hic mysterii ad Fortitudinis & Constantiæ Columnas? id est, virtutes hominis ad Sapientiæ culmen, ac perfectionis apicem aspirantis? Nimirum, quantumvis virtutibus, tanquam splendidum æs fulgeat, quantumvis in observatione non mandatorum tantùm verum etiam consiliorum desudet, quantumvis sit animo in cœlum erecto, non erit tamen ejus *Fortitudo* & *Constantia* omnino integra ac solida, quamdiu mortalis inter mortales aget: nam & remittet interdum de intensione illa sua vehementi, & non laborabit semper æquè fortiter, & cui dabit aliquādo aliquid carni & sanguini, & cōmittet interdum peccata aliqua, levia quidem illa, & venialia peccata tamen, & quidem quotidiana: nam justus septies in die cadit. An non hæc magna est in Columnis æreis vacuitas?

ADDIT Propheta Ieremias, Columnas istas intrinsecus quidem cavas fuisse, ita tamen, ut CRASSITUDO sive, ut vertit Interpres Vulgatus, *Grossitudo* æris extrinsecus fuerit quattuor digitorum in circuitu. Quas mensuras justa proportione librans Vilalpandus, judicat singulas Columnas ponderasse quinque talentorum millia, vtramque verò decem talentorum millia. Addit Eupolemus apud Eusebium, Salomonem totas Columnas vestisse auro ad crassitudinem digiti unius. Ex quo colligit idem Vilalpandus, in Columnis istis duabus auro vestiēdis expensos fuisse 95. milliones. O Columnas ponderosas, & pretiosas! Sed nos Grossitudinem quattuor digitorum æris consideramus, & iis indicari dicimus,

mus, sensu spirituali & mystico, ad morum informationem accommodato, quod, qui fortitet, ac constanter perseveraturus sit in Domo Sapientiæ, sive in custodia præceptorum divinorum, multa ex Evangelicis Cõsiliis adhibere debeat, quæ si contemnat, præcepta non rarò violabit. Id, ut intelligatur, moneo, mensuram quattuor digitorum in arcano sermone indicare opera perfectionis, seu Cõsiliorum Evangelicorum: nam digiti symbolicè significãt, quæ excellentiora sunt in iis quæ efficiuntur. Cùm enim manibus quælibet fiant, tunc solent digiti nominari, quando in opere aliquo potentia quæpiam singularis, præstantia, aut nobilitas commendatur. Sic Magi Phataonis potentiam Dei admirati in iis, quæ patrabat Moses, exclamaverunt: *Digitus Dei est hic*, Exodi VIII. & Dominus Lucæ XI. *Porro, si in digito* DEI *ejcio Dæmonia, profectò pervenit in Vos regnum Dei.* Sic lætus cantabat Psaltes, Psal. VIII. cùm admiraretur cœlorum architecturam: *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Jam verò, perfectio operum Christianorum, quattuor Evangeliorum libris continentur, in quibus, præter Mandata DEI, Consilia etiam Servatoris docentur, quæ nobilitate excellunt, & in iis divina potentia magis eluceat.

CIRCVMFERENTIAM, quam aliqui crassitudinem vocant, Josephus historicus lib. VIII. antiq. cap. 2. scribit fuisse singularum illarum Columnarum, duodecim cubitorum; ita intelligens, quod habetur lib. Regum tertio cap. VII. *Et linea duodecim cubitorum ambiebat Columnam utramque.* Hebraicè. *Et filum duodecim cubitorum circuibat Columnam secundam.* Si secundam, inquit Cornelius, ergo & primam: erant enim duæ illæ Columnæ omninò æquales & pares. Per *Lineam*, vel, ut est in Hebræo, *Filum* intelligenda est mensura, filo enim mensuratur rerum

crassitiesjut sit sensus,Columnæ istæ in ambitu & crassitie habebant mensuram duodecim cubitorum, lineâ designante peripheriam sive circumferentiam.Hocautem non de duabus Columnis simul, ut existimant Vilalpandus,Salianus,& alii nonnulli, sed de singulis accipiendum esse , certum videtur ex Ieremiâ capite LII. ubi Columnas istas à Chaldæis Ierusalem vastantibus abductas describens, ait, *Decem & octo cubiti altitudinis erant in Columna una: & funiculus duodecim cubitorum circumibat eam*,scilicet Columnam unam. Ita Abulensis, Caietanus,Pagninus,Vatablus,Sanchez. Quid hoc designat mysticè ad nostram instructionem ? Linea duodecim cubitorum in Fortitudinis & Constantiæ Columna,est Norma Apostolicæ institutionis. Quare tunc Columnam Fortitudinis,Constantiæ seu Perseverantiæ censetur cingere,quando constans,ac perseverans Fortitudo est ad regulam institutionis Apostolicæ. Quicumque igitur fortem se constantemque exhibere contendit in iis , quæ non sunt consentanea doctrinæ ab Apostolis traditæ, in eo potius pervicacia,contumaciaque, quàm *Fortitudo*,aut *Perseverantia* locum habere dicetur.

Denique,Columnis istis imposita erant Capitella,quæ variis ornabantur florum fructuumque, signatè,malogranatorum sculpturis.Et quidem Vitruvius,ex quo tanquam magistro,Architecti posteriores,Columnis triplex imponunt *Capitellum*: & primum vocant *Epistylium*, quod proximè Stylo, sive Scabo Columnæ imponitur:secundum,*Zophorum*, quod inter epystilium & Coronicem interponitur, ac pulvinatis figuris , ornamentisque diversis instructum plerumque visitur: tertium,*Coronicem* appellant ipsam Capitelli Coronidem. Omnia ista Capitella fuisse in duabus iis Templi Columnis docet accuratè Vilalpandus,& alii Architecturæ

sacræ

sacræ periti, ac librorum, tertii Regum, & secundi Paralipom. interpretes, quibus accedit Josephus historicus.

Nos ex his moralitatis aliquid exsculpamus. Columna utraque, Fortitudo, & Constantia suum debet habere Capitellum, quod imponendum est ab Architecto spirituali, qui illud facit, si constanter perseveret usque ad finem. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (b) *Qui legitimè certaverit, coronabitur.* (c) *Qui certat in agone non coronatur nisi legitimè certaverit.* Corona Capitellum est, idque triplex, mysterium sanctissimæ Trinitatis, & fidem trium Personarum Divinarum innuens. Capitelli triplicis altitudo erat quinque cubitorum: quoniam Corona pro quinque sensuum voluptatibus fortiter constanterque superatis redditur: & tunc optimè finis operi imponitur, quando de quinque sensuum illecebris triumphus deportatur. Species catenarum, & similitudo retis in Capitellis, innuit varietatem virtutum operumque spiritualium in quibus fortiter constanterque persistendum est. Malogranata ducenta in circuitu Capitelli, fortitudini, constantiæq; magnam & multiplicem conjungendam caritatem, concordiam, zelũ insinuant. Tandem, liliata erant Capitella, inquit Josepnus, id est, desinebant in Lilium, florem fragantissimum. Quid autem per Lilium, nisi æternitatis fælicitas, & immortalitatis floribus redolens amœnitas designatur? in quam perducta ad vitæ finem *Fortitudo* bonorum desinit. ita ferè V. Beda & Angelomus. Ne autem desideres in patria felicitatis, ubi DEI visio est beatitudo essentialis, accessoriam, quam Theologi accidentalem vocant, memineris, quod in descriptione harum Columnarum adjungit textus sacer, & clarius dicit Josephus. Capitella

(a) v. *Beda lib. 3. Reg.* (b) *Matt. x. 22.* (c) *2. Timoth. 2.*

fuisse cincta fasciis æneis in modum retis sive catenarum, quæ per intervalla aperturas, quasi annulos & cancellos, per quos capitellorũ liliatorum elegãtia appareret. Hæ fasciæ septies circuibant Capitella singula, ita, ut quasi septem fasciarũ versus, sive ordines, & gyros efficerẽt. Quibus optimè designatur Beatitudo accidentalis, quæ ex multis rebus, septenario numero indicari solitis, oritur. Siquidem multæ sunt causſæ gaudendi iis, qui in hac vitâ fortes in agendo; & constantes in patiendo, perseverantiæ præmium, in altera, intrando in gaudium Domini sui, percipiunt.

ARTICULUS VII.

Columnæ Rotundæ

Fortitudo & Perseverantia.

De Figura duarum illarum Columnarum posset fortasse lis moveri; videntur enim nonnulli eas quadratas facere, uti sunt pilæ structiles illæ, quæ dimidiatas Columnas in hoc templo adpactas habẽt. Immò quidam existimant, non tam fuisse Columnas ad symmetriam & proportionem architectonicam Columnarum fabricatas, quàm moles, & turres, vel arces quasdam ingentes æneas ad templi magnificentiam, & minimen erectas, qui rotunditatem illis demunt, & facium angulares. (a) Idem posset quis asserere de Fortitudine, & in ea quattuor latera, & totidem angulos concipere. Quod feciſſe videtur Clemens Alexandrinus lib. VI Stromatum, Fortitudini virtutes quattuor, veluti partes adscri-

(a) *Cornelius à Lap. 3. Reg. VII. 16.*

adscribens: nimirum *Tolerantiam, Magnitudinem animi, Liberalitatem, & Magnificentiam.* Paulò aliter S. Augustinus lib LXXXIII quæstionum, in trigesima secundâ. Fortitudinis partes sunt, *Magnificentia, Fidentia, Patientia, Perseverantia.* Magnificentia *est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio, atque administratio.* Fidentia *est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ cũ certâ spe collocat.* Patientia *est utilitatis aut honestatis caussa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio.* Perseverantia *est in ratione benè considerata stabilis ac perpetua permansio.* Inter recentiores, Jovinianus Pontanus lib. I. de fortitudine bellica & heroica, *In virtutibus quæ Fortitudini famulantur,* inquit, *est* Tolerantia, *quæ est æqua laborum ac molestiarum perpessio. Item,* Duritia, *imbecillitatis, & mollitiei expultrix. Item* Patientia, *stabilis & firma perpessio eorum omnium, quæ dura, aspera, difficilia, gravia, ærumnosa contingere unquam possunt.* Firmitas *quoque, quæ periculosis atque adversis nullo modo succumbendum esse docet,* & possessori suo persuadet. An non hæc tibi videntur Columnæ unius quadratæ latera? Non nemo fortasse ingeniosius probaret, binas illas Columnas sex laterum esse, & sex angulos. Nam, quod est Canticorum V. *Crura ejus Columnæ marmoreæ,* Hebraicè legitur Columnæ *Ses,* cũ gemmo ש. quod Delrius ibi suspicatur significare album vel candidum, Interpretem autem Latinum, rei candidæ applicasse, de qua agebatur vertendo, *marmor* aut *marmoreæ*; cum idem illud Genesis XLI. & Proverbior. 32. vertat *byssum.* At Georgius Venetus Tomo V. problemat. sequutus Zoar. docet, significare *Ses,* marmor & senarium, & designari posse extremitates quasdam, vel latera.

Verum communis est sacrorum Interpretum persuasio, quam Pictura templi bibliaca confirmat, utramque

que Columnam in Porticu fuisse rotundam, quam figuram duabus in Domo Sapientiæ iis respondentibus, Fortitudini & Perseverantiæ adsigno. Rotunda figura est reliquarum complementum & decus, capacissima & ornatissima, & potest esse peripheriæ maximæ, ut turri comparetur vel una. Quales videntur Romæ duæ, Trajani & Antonini, tantæ vastitatis, ut unam plures viri expansis brachiis in circuitu complecti nequeant. Amplior est rotunditas ac capacitas Fortitudinis, & Perseverantiæ, quæ ambit omnia operum bonorum genera, omnia tempora, circumstantias, & conditiones omnes, nihilq; à suo complexu excludit. Nõ est satis ad Studiosi Sapientiæ, & perfectionis spiritualis titulũ obtinendum aut conservandũ, esse fortẽ in tolerandis injuriis verbalibus: irritari verbere & vindictam expetere: constantem se gerere in ærumnis externis, in internis verò occumbere: perseverare in jejunio, non continuare orationem debitam: initio fervere, paullò post tepere, tandem frigere. Porrò, quattuor virtutes illæ superius nominatæ non tam sunt latera vel anguli Columnarum principalium, quàm Columellæ quædam circumstantes: nunquam enim Fortitudo, Constantia, & Perseverantia reperiuntur solitariæ. Quod de una scripsit Senecâ, epist. 67. omnibus convenit: *Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur fortasse, quamvis una promptu sit, & appareat* Patientia. *Ceterùm, illic est* Fortitudo, *cujus* Patientia *&* Perpessio, *& maximè* Tolerantia *rami sunt: illic est* Prudentia, sine quâ nullum initur consilium, quæ suadet, quod effugere non possis, quàm fortissimè ferre: *illic est* Constantia, *quæ dejici loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit: illic est individuus ille comitatus virtutum.*

Quod autem ad numerum Senarium attinet, is rectè

Colum-

Columnis istis Domus Sapientiæ, non demendo iis quicquam de rotunditate adscribi potest. Si quidem denotet sex positionum differentias in loco, ad quas se Fortitudo & ejus comites extendunt: videlicet, *Summum & Imum, Ante & Retrò, Dextrum & Sinistrum.* De quibus Paulus Apost. ad Ephesios tertio: *Vt posßitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo,* in dextrum videlicet, & sinistrum; *Longitudo,* in ante & retrò; *Sublimitas & profundum.* Secundum quas dimensiones, dicit Christum habitare in cordibus nostris, cujus Virtus, nimirum, *Fortitudo, Constantia & Perseverantia,* in omnes partes extenditur.

ARTICVLVS VIII.

Columnæ Striatæ

Fortitudo & Perseverantia.

CVm Columnarum aliæ sint in superficie leves ac planæ, aliæ striatæ, id est, striis, seu canaliculis quibusdam, & quasi sulcis, secundum scapi longitudinem, excavatæ, atq; distinctæ, ut in hac basilica videtis plurimas; ex harum genere erant Columnæ binæ Fortitudinis & Perseverantiæ symbola. Quid autem sulcus, stria, vel, ut in te rusticâ Latim dicunt, Lira, in Schola arcanæ Sapientiæ indicant? Mortificationem inquiunt vitæ spiritualis Magistri, qua pravæ appetitiones coërcentur, & corpus per macerationem carnis extenuatur, ut promptius spiritui obediat. Cui est in optatis resistere fortiter insultibus inimicorum spiritualium saluti suæ insidian-

tium, & constanter permanere usque ad finem vitæ in observatione divinorum mandatorum, sine qua perseverantia nemo salvabitur, illi frequenter negandum est quidpiam, quod caro & sanguis postulat, quod sensualitas appetit, in quod mollis ac depravata natura inclinat. Qui in cibo & potu non vult excedere, quod præscribit lex Temperantiæ, sæpenumero non solùm à vetitis & supervacaneis, sed à licitis etiam ac commodis, & palatum irritantibus, mortificando sensum, abstinere debet. Qui castitatem illibatam, ut decet adolescentem studiosum, conservare desiderat; non tantùm oculos à vanitate avertat, dum malarum cogitationum est discrimen proximum, verùm etiam pangat fœdus cùm oculis suis, dum ne quidem videtur remotum: quod mortificatio suadet. Eadem impellente, manus contineat ab omni mollitie, pedibus, ne quocumque allubescit, vagentur, compedes sponte injiciat, denique, bellum sensualitati indicat. Existimare purum & immaculatum vivere hominem in hac naturæ ad malum pronitate, & corruptela, qui omnia sensualitati indulget, opipare semper comedit, generosa bibit, molliter vestitur; quæ videt & videtur, in plateis, foro, templis, theatris, diversoriis; visitat & visitatur, annuit, ludit, nugatur, procax quamvis fortasse sit Clericus, id est opinari, quempiam in flammis illæsum consistere; picem tangere, necinquinari; plumbum in aquam cadere, & non subsidere: quæ sine miraculo posse contingere negant Sapientes, & quis ambigat? Itaque ut in Virtutum studio perfectionem amans perseveret, opus est mortificatione; quam Fortitudinis & Perseverantiæ *Columna striata* designat.

In Striis etiam, seu sulcis illis contemplor decus Patientiæ, & rerum adversarum longam Tolerantiam. Est enim *Sulcus*, velut ab aratro inductus gravissimæ pa-

patien-

patienter toleratæ sacra nota. Psalmo CXXVIII, ubi nos legimus: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*: quod Christo D. crudeliter virgis cæso accommodatur à commentatoribus sacris, S. Hieronymus habet in versione suâ, *Super cervicem meam araverunt arantes*: Chaldæus, *Super corpus meum araverunt*. Quo loco aratio figuratè dicitur de multitudine, acerbitate & profunditate flagellorum, quibus in humero utroque, in dorso, in tergo, immò in toto corpore ducti, ac inciſi quodammodo per longitudinem fuerint ſulci. & de patientiâ perferentis, quæ cum marmoris, aut telluris liras excipientis ſufferentia conferri poterat. Genebrardus nobilis Interpres Psalmorum, arationem illam refert, poſt Theodoretum, ad ungulas & fidiculas Martyrum, quibus illorum corpora à carnifice ſulcabantur, ſed convenientius exponitur de Vulneribus Chriſti D. quæ velut ſtriæ, à flagellis erant producta.

ITAQUE *Striata, Sulcataque* eſt Columna Fortitudinis & Perſeverantiæ, id eſt, Patientiæ notis in longum protractis, & longanimitatis relictis ſignis, tanquam emblematis exornata. Non me falli teſtabitur magnus inter Architectos Chriſtianos Ambroſius Antiſtes, (*a*) qui cenſet, Fortitudinem in patienter tolerando, quàm inſtrenuè aggrediendo vel ſuperando potius conſiſtere. Quod docuerat antea Ariſtoteles, (*b*) in Ethicis. Utriuſque ſententiam laudat S. Thomas, (*c*) & tribus luculentiſſimis roborat rationibus. Primò enim toleramus valentiores: invadimus autem illos, quos putamus imbecilliores. Deinde verò, tolerando mala præſentia experimur; aggrediendo, futura operimur. Denique, punctulo temporis aggredi poſſumus, ſuſtinemus autem ali-

(*a*) S. Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 45. (*b*) Ariſt. 3. Ethicor. cap. 9. (*c*) S. Thom. 2. 2. q 123.

aliquo temporis intervallo, & sæpe tempore in longum protracto. Accedit, quòd ex Beatitudinibus Christi doctrina celebratis una sit, *Pati persequutionem propter justitiã*, quæ inter præcipuas habetur, & glorioſiſſimos facit Martyres. Exemplis idem confirmat D. Ambroſius, Machabæorum, Stephani, Agnetis, Laurentii, Xiſti Pontificis. Nec abnuit Seneca, probans cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus illum uti virtutibus: ſententiam ſuperius integram recitavimus.

ARTICULUS IX.

Columnæ Fusiles

Fortitudo & Perſeverantia.

Vtraque Columna, cujus nos contemplatio & explicatio ſat diu detinuit, fuit Fuſilis; quo fingendi artificio (nam, ut habet ſacer textus, *finxit*, Salomon (*duas Columnas æreas*) brevi tempore fieri poſſunt, quamvis altiſſimæ. In eo autem latet ingens quoddam ſecretum modò eruendum. Poſſunt-ne noſtris tantùm laboribus binæ iſtæ Columnæ, Fortitudo & Perſeverantia parari atque erigi in anima Sapientiæ Domicilio, ac Templo Dei? Non poſſunt, licet dies noctibus jungerentur, & annorum aliquot centuriis laboraremus ſtrenuè. Quomodo ergo haberi poſſunt, quod neceſſarium, cum abſque iis non ſubſiſtat Domus Sapientiæ? Dicam categoricè. Si fundãtur à ſummo Architecto: ſunt enim Dei Dona, ac beneficia gratuita, quæ à Theologis vocantur *Virtutes infuſæ*: nimirum, funduntur in anima, ut æreæ quædam Columnæ ad ædificii ſpiritualis ſuperiorem

rem partem sustinendam. Docuit id de Fortitudine egregiè B. Prosper, (a) qui nominatis quattuor virtutibus principalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine & Temperantia, attexit dogma Theologicum: *Verumtamen hoc imprimis nosse & tenere debemus, quod istæ quattuor virtutes, vel omnes, quæ ex illis existunt Dona sint* DEI, *&, quod nullus eas habet, habuit, vel habebit, nisi* DEUS, *qui est omnium virtutum origo, contulerit. Quoniam quicumque quocumque tempore, in quacumque gente, in* DEUM *credentes ex fide vixerunt, illius dono, temperantes, ac prudentes, justi ac fortes fieri utique potuerunt.*

PORRO, Columnam illam, quæ dicitur Perseverantia, sive accipiatur, pro continua quadam in bono consistentia, quæ in eo est sita, ut post acceptam semel gratiam sanctificantem, nunquam amplius pecces mortaliter, sed sine interruptione persistas in statu gratiæ, cum decreto animi firmissimo persistendi in bono; sive pro finali perseverantia, quæ in eo consistit, ut vitam finias in gratia Dei, quicquid sit factum toto tempore antecedenti, constat tale esse beneficium, ut nullis nostris meritis illud infallibiter à DEO possimus obtinere, ex justitia (de condigno ajunt Theologi) Quamvis enim homo justus ac Deo carus queat mereri præsidia, quibus possit perseverare, si velit, quæ est D. Thomæ sententia à multis probata; (b) non tamen potest ea mereri auxilia cõgrua, quibus infallibiliter perseveret: quod plurimum differt à membro anteriori. Aliud enim est, posse perseverare si velis, aliud, actu perseverare: sicut aliud, posse Columnam erigere; aliud, illam ipsam erigere. Actu autem perseverare, à quo pendet salus, speciale Dei Donum est, quod non cadit sub meritum, sed assiduè per preces cum metu & timore à Deo postulandum

(a) *S. Prosp. de vita contemplativa cap.* 18. (b) *Bellarmin. de lib. 2. de grat. cap.* 12. *Suarez lib.* 3. *de Auxil. c.* 11. *Becan. Tract. de merito Catholicor. cap.* 5.

dum est, ut monent, cum S. Thoma, Theologi.(a) Quò spectat illud ex Oratione dominica: *Ne nos inducas in tentationem*: id est, fundas in nobis Columnam Fortitudinis & Perseverantiæ. Quod quotidie jubemur orare. Et si id firma fide ac spe faciamus, impetrabimus. Verè enim scripsit Augustin. lib. de bono perseverantiæ cap. XVII, *Restat in his bonis usque ad finem perseverantia, qua frustra à* DEO *quotidie poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationem exaudit, operatur.* Nimirum, FUSILIS est COLUMNA, quæ non nisi supremi Architecti opera potest fieri & stabiliri.

(a) S. Thom. 1. 2. q 114. art. 9 ad 1.

SERMO III.

BASES COLVMNARVM

Fortitudo & Constantia.

Crura illius Columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super Bases aureas. Cantic. V. 15.

EXORDIVM.

COLUMNAS has in Domo Sapientiæ, seu Ædificio spiritus Virtutum, quæ Columnæ habent se, ut Crura Corporis mystici, ex Virtutibus, velut membris compositi, diximus, probatumque esse Fortitudinem & Constantiam, seu Perseverantiam Columnas marmoreas & æreas: Columnas Iachin, & Boaz rectitudinis & roboris: Columnas rotundas, cavas, striatas, fusiles, Colum-

Colũnas altißimas, craßißimas, firmißimas. Quare Baſes quibus innitũtur habẽt hauddubiè proportione ſibi reſpondentes. Sed de iis nõ videtur eſſe una Architecturæ ſpiritualis Magiſtrorum ſentẽtia.

ARTICULUS I.

BASIS

Fortitudinis & Conſtantiæ

DEUS

ITA ſenſiſſe videtur magnanimus Rex David, qui ſingulari DEI munere fuſas in animæ ſuæ fundo Columnas illas, tanquam Ædificii ſpiritualis fulcra conſervabat, & frequenter reſpiciebat. Illius, ut quorumlibet fortium ſunt illa cantica. *In* DEO *ſperavi: non timebo quid faciat mihi caro.* Pſalmo LV. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtunt adverſum me caſtra, non timebit cor meum,* Pſal. XXVI. *Fortitudinem meam ad Te cuſtodiã, quia ſuſceptor meus es;* Pſal. LVIII. Accinit Iſaias Propheta in Cantico laudis, & gratiarum actionis, pro liberatione & beneficiis Servatoris, quod eſt capite duodecimo. *Ecce* DEUS *Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia Fortitudo mea,* nempe, in quo eſt, tanquam in Baſi, fortitudo mea, *& laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.*

IDEM frequenter inculcat S. Auguſt. Et quidem Concione in Pſ. XXXII. *Spes tua* DEUS *ſit*, inquit, *Fortitudo tua* DEUS *ſit: Firmitas tua*, id eſt, Baſis, cui inſiſtat Columna Fortitudinis & Perſeverãtiæ, DEUS ſit: *exoratio tua ipſe ſit: laus tua ipſe ſit: finis, in quo requieſcas ipſe ſit: adjutorium, cùm laboras, ipſe ſit.* Et in illa verba Pſal. CXVII. *Fortitudo mea & laus*

laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, probat, qui *Basim* istam firmiter collocarit, illi non esse metuendum, ne Columna unquam vacillet, & multo minus, ne concidat. *Cujus*, ait, *laudatio, & Fortitudo est Dominus, tam non cadit, quàm non cadit Dominus: & ideò eis factus est in salutem.* Ob eandem causſam, & demonstrat S. Ambrosius, nunquam inclinata fuit Columna Fortitudinis in Rege David, viro fortissimo, quia DEUM ut *Basim*, supposuerat, *David*, inquit, *nunquam nisi consulto Domino, bellum adorsus ideò in omnibus victor præliis, usque ad summam senectam manu promptus, bellicosis miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incurioſus Salutis.*

ARTICVLVS II.

BASIS
Fortitudinis & Constantiæ
PROVISIO

QVo nomine designo *Sapientiam, Prudentiam, Consilium, Rationis rectæ judicium*, & quæ hisce sunt affinia: sine his enim facillimè contingit, ut Fortitudinis Columna ruat. Id insinuat S. Gregorius homilia XIX. in Ezechiel. ubi scribit: *Sæpe* Fortitudo *si improvida fuerit; & minus circa vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione in casum ruit. Ascendat ergo ad consilium. Sed esse consilium non potest, si Intellectus desit.* Et lib. secundo Moralium cap. 25. *Cetera virtutes nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.* Consentit Clemens Alexandrinus, qui lib. VII. Stromat. ita disserit. *Nullus citra rationem fortis est cognitione præditus: quia alioqui, pueros, qui formidabilia sustinent, propter eorum quæ sunt gravia ignorationem, & feras, quæ in hastas incurrunt,*

incurrunt, virtute præditas possemus dicere. Deinde subijcit, Martyres pro fide Christianâ verè fortes fuisse. Tum quia secundum rectam rationem se composuerunt. Tum quia cùm DEUS vocaret, prompto & alacri animo se tradiderunt, nullumque alium scopum, nisi ut DEO placerent, sibi proponebant. Quid quod Aristoteles in Ethicis lib. 3. cap. 1. *Fortem* vocat, qui pro dignitate, ut ipsa ratio jubet, tam patitur, quàm agit?

ARTICULVS III.

BASIS

Fortitudinis & Constantiæ

TIMOR DOMINI.

NON desunt è primis disciplinæ spiritualis Doctoribus, qui nominare videntur utriusque illius Columnæ BASIM, *Timorem Domini.* Certè, D. Ambrosius Sermone V. in Psal. CXVIII. ubi *Crura Sponsi* exponit, & interpretatur esse præcipua doctrinæ Christianæ fulcra; Columnas autem Ecclesiæ ejus, fotissimos Principes Apostolos, *Bases* verò sanctum DEI *Timorem*, in quo fundati illi erant. Quod fuerint Columnæ habetur testimonio Pauli, qui Petrum, Joannem, Jacobum nominat Columnas, scribens ad Galatas cap. 2. Et idem titulus convenit viris Apostolicis, ac vitæ spiritualis sectatoribus, qui sunt *Marmoreæ*, aut *Aeneæ*, propter firmitatem in benè cæptis; *Erectæ*, per intentionem; *Altæ* per contemplationem; *Striatæ* per mortificationem; *Excavatæ*, per humilitatem. Quicumq; hoc seculum vicerit, eum fieri

Columnam DEI ne dubites, quam confirmat, qui dicit: *Ego confirmavi Columnas ejus* Psal. cx. Basim autem auream esse Timorem disciplinæ, qui initium *est Sapientiæ* satis insinuat Psalmista & eleganter, ac ingeniosè demonstrat ibidem S. Ambrosius. Cui mirificè consentit

GREGORIUS Papa, qui lib. IV. Moral. cap. XIII. ubi hoc ipsum dogma expendit, profert objectionem, quã argutulus aliquis formare posset: Quomodo *Timor sit Basis* Fortitudinis, cúm eã attactu suo vitiet, immò, penitus dejiciat? Quis enim tã est rudis in Ethices disciplina, ut nesciat, Timorẽ, seu Timiditatẽ, esse oppositũ vitiũ Fortitudini? & officiũ fortitudinis esse reprimere timorẽ? Audiatur sanctissimus Pontifex, dũ exponit acrem illam exprobrationẽ, qua Jobum Eliphaz invadebat. *Vbi est* Timor *tuus*, Fortitudo *tua*, Patientia *tua*, *&* Perfectio *viarum tuarum.* Job IV. 6. *Quattuor,* inquit, *gradibus vitam B. Iob, virtutes enumerando distinxit, dum & Timori Fortitudinẽ, & Fortitudini Patientiã, & Patientiæ Perfectionem junxit. In vita etenim Dei à Timore incipitur, ut ad Fortitudinem veniatur. Nam sicut in via seculi, Audacia Fortitudinem; ita in via Dei, Audacia Debilitatem parit. Et sicut in via seculi, Timor Debilitatem; ita in via Dei, Timor Fortitudinem gignit, Salomone attestante, qui ait:* Proverb. XIV. In Timore Domini fiducia Fortitudinis. *Tum quippe, Timori Domini inesse fiducia Fortitudinis dicitur; quia mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quantum se auctori earundem veracius per formidinem subdit. Quæ in Timore Domini constituta non invenit extra quod metuat: quia dum recto metu Conditori omnium jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur.*

SAPIENTER Gregorius & Theologicè. Si quis tamen Architecturæ morali intentus quattuor illas virtutes perpenderet, & Timori Fortitudinem, Fortitudini Patientiam, Patientiæ Perfectionem junctam animadverteret,

verteret, concipere posset Columnam Domus Sapientiæ coronatam, cujus Basis sit Timor Scapus Fortitudo, Epistylium Patientia, Corona Perfectio. Aliam verò, præter dictas, *Basim* nominat D. Gregorius Nyssenus, Commentario in Cantica, qui *Basim auream* Columnarum marmorearum, *Fidem* esse dicit, cui, tanquam fundamento, innitantur.

ARTICVLVS IV.

BASES IV.

Fortitudinis & Constantiæ.

SENTENTIARUM ista diversitas Architectonica una speculatione optimè conciliabitur. Observandum igitur ex Architectura vulgari, quod habet Vitruvius, lib. 3. cap. 3. & clarius explicat ejus Commentator Gulielmus Philander: Fundamentis Domus ad areæ planitiem coæquatis, ad Columnam deinde erigendam primùm superstrui debere *Murulum*, quem *Pulumar* vocant quidam, alii *Abacum*. Hæc est prima *Basis*, quadra quasi lamina, Columnæ subjecta, sessioni habilis. Huic superponitur alia, quæ Græcis dicitur στυλοβάτης, & Columnæ quoque substernitur pro fulcimento. Stylobatæ imponitur *Spira*, torques teretior. Itaque antequam corpus Columnæ erigatur, quattuor fulcra consideranda sunt. *Primum* infra terram totius, ad planitiem areæ perductus. *Secundum*, murulus quadratus. *Tertium*, arula altior. *Quartum*, torques aut Spira multiplex.

Philan. Digressio de Columnationum, & habitationis ratione universa.

Qvi ergo DEUM nominant Columnarum, Fortitudinis & Perseverantiæ, Basim, respiciunt infimam. cui non solùm Columnæ, sed & reliqua fulcra innixa sunt. DEUM autem dum appellãt, ipsius Protectionem, Gratiamque intelligunt, bonorum omnium *Basim* firmissimam. Quare S. Augustinus Fortitudinem ait fundari in DEO, & quicumque sunt fortes, id est, Columnæ, habere pro fundamento DEUM. Sic enim scribit ad Fratres in eremo. *Est & alia Fortitudo, qua boni quotidie certant usque ad mortem. Tales sunt fundati in* DEO: *& ideò nec verba, nec impiorum verbera timent.* Jam verò, Divinæ Protectionis seu Gratiæ, tanquam primo fulcimento, imponitur *Timor Domini*: & hæc est *Basis* secunda, quæ substernitur. Murulus, providæ Sapientiæ, sive ea vocetur Prudentia, sive consilium rectum, sive rationis fide illustratæ judicium, ut superius diximus: nam illorum omnium *Timor Domini* est initium, quatenus est principium Sapientiæ. Sunt ergo ista, per modũ unius tertia Basis, sita in Columna marmorea, Arula illa altior, antea designata. Denique imponitur ei suprema *Basis*, veluti Torques, sive Spira, & est Fides, Christiana; Catholica, Viva.

FIRMATIS hunc in modum Basibus adsurgit perpendiculariter *Scapus*, id est, corpus rectum Columnæ utriusque, nimirum Fortitudo & Perseverantia, sive Constantia; utriusque partes, formam, figuramque in superioribus delineavimus. Monemus autem pro complemento, considerandam in qualibet esse altitudinem illam octodecim cubitorum, qua significari mysticè diximus, extendi debere, tàm unam quàm alteram, non ad fidem tantùm, sed etiam ad opera. Contrà quàm à multis animadvertitur, qui Columnam Constantiæ non erigunt, sed absque justa altitudine, quare non est, quæ ea deberet esse decor, quia non est Symmetria, Mu-

for-

fortes sunt in fide, quam aliqui ore jactant, utinam non vanè & medaciter: firmiter eandem animo conceptam retinent plurimi, vellent ensem potius & ignes sustinere, & in minutal concidi, quàm fidem deserere, aut ei contrarium quidpiam, per infidelitatem committere. Sed fidei consentaneos mores non induunt, non viuũt, ut fides præscribit, manus ad operandum non extendunt. Sunt superbi, avari, leves, iracundi: inebriantur, lasciviunt, blasphemant, peierant: DEUM ore, & corde confitentur, factis negant. Hi fortes, constantesq; sunt in fide, non in bonis operibus: non est in iis tam alta, quàm deberet esse Columna Fortitudinis & Constantiæ: nam non attingit in cubitos XVIII. quem numerum designare mysterium, quod exposuimus, superius est demonstratum.

SERMO IV.

COMPARATIO

Columnarum Domus Sapientiæ cum celeberrimis totius Orbis terrarum Columnis.

PRÆFATIO.

ILLUSTRABITUR *magis tota Columnarũ istarum in Domus Sapientiæ fabrica, & usus, si cum variis, quæ celebrari solent ab Architecturæ, & antiquitatis peritis, diversorum artificum Columnis eas comparaverimus. quod nunc facere aggredimur.*

ARTICULUS I.

Columnæ Herculis.

QVÆSIVERUNT solicitè nonnulli ex Philologis, quidnam essent *Columnæ Herculis*, quibus symboli vice, adscribi solet epigraphe, NIHIL VLTRA. Responderunt quidam Cosmographiæ dediti, esse duos montes Hispaniæ, *Calpen* & *Abylam*. Est sanè in eâ regione mons dictus *Calpe*, neque circuitu magnus, neque altitudine ingens, oppositus monti Africæ, cui nomen *Abylon*: quomodo etiam vocatur Insula in occasu post Gades, angusta discreta freto, vulgo *Mons Gibaltar*. Confutarunt hoc unanimi consensu Poetæ, & pertinaciter asserunt: æreas esse Columnas geminas, fixas in mari, aut ejus littore, tanquam limites maneris & continentis: quasi ulteriora omnia sint mare, neque ire detur. Strabo de Columnis Gaditanis scribens, postquam de Herculis Columnis diversas aliorum sententias retulisset, extremam, quam Possidonius maximè probabilem censebat, approbat: videlicet, fuisse æneas octo cubitorum Columnas, quibus inscriptus legebatur sumptus in templi ædificationem factus, quam navigatione absolutâ sacris Herculi factis, dedicaverunt. Nam, vetusti, inquit Strabo, moris fuit hujusmodi ponere limites, id est, Columnas erigere pro limite Imperii. Aliquo ex his persuasionibus imbutus Carolus V. Imperator, symbolum sibi sumpsit, Columnas binas in fluctibus erectas Coronâ singulas insignitas, & Imperatorio diademate simul coronatas, cum hac inscriptione,

ne, PLUS ULTRA. (a) Nimirum, Columbus Ligur, vir magnanimus, regnante avo materno Caroli, Ferdinando, orbem nouum felici navigatione ultra Columnas aperuerat, deinde, Caroli auſpiciis, plura detexerat, & occupaverat Hiſpanus Itaque falsò olim Columnis inſcriptum, NIHIL ULTRA. quam tamen veriſſimam eſſe epigraphen contendunt Sapientes.

CAROLUM eundem adhuc juvenem cum ingeniosus fictor Hercule vel Sampſone fortiorem repreſentare vellet Sampſonis formâ Herculem pingi curavit, qui binas Columnas decuſſatas in collo deferebat, cum inſcriptione: *Major erit Hercule.* Quocirca Theologi quidam, Symbolicæ ſacræ addicti, cenſebant Columnas Herculis ſacratius quid occulere, quàm vulgò ſit perſuaſum, & ad Domum Sapientiæ, ſeu Ædificii ſpiritualis conſtitutionem poſſe referri, ut ſint *Columnæ Fortitudinis & Perſeverantiæ*, quæ ſunt æneæ, & ob incorruptionem, æternæ, quibus convenit epigraphe: NIHIL ULTRA. Quid enim eſt ultra conſtantem Perſeverantiam? ultra quam ſi quid eſt aliud, non eſt perſeverans Conſtantia, nec conſtans Perſeverantia. Hæc ſemper eſt coronata. Nam Finis, & Perſeverantia coronat opus. Ultra has ne Hercules quidem proceſſit: nec procedet ullus Hercule licet fortior & fortunatior.

QUOD ne videatur fortaſſe alicui minus accommodate dici in re ſacrâ; ſciat, antiquiſſimos Theologos, qui carminibus ſacra velare erant ſoliti, ſumpta occaſione à neſcio quo Alcmenæ filio, qui ob invictam Fortitudinem, & in heroicis facinoribus Conſtantiam, inter Divos relatus putabatur, Virum quemlibet *Fortitudine & Conſtantia* inclytum appellaſſe Herculem. Qua nomen latura Varro XLIV. Hercules exprimit. Et Macrobius in

(a) Typotius Strada Sadeler in Symb. Imper.

Saturnalibus ſuis, lib. 1. cap. 20. nihil aliud eſſe Herculem arbitratur, quàm Solem: videlicet, nihil hoc univerſum fortius, nihil magis invictum & conſtans habet, quàm luminis illum fontem: duodecim autem labores, qui Hercule adſcribuntur, ut fortitudinis inſuperabilis argumenta, quid aliud ſunt, quàm XII. ſigna Zodiaci, quæ Sol ſingulis annis conficit? Sic ille, quæ explicat fuſiſſimè. Itaque, Columnæ ab Hercule, id eſt, Homine inſigni robore animi, & excellentiſſima quadam virtute prædito ſtabilitæ, ſunt *Fortitudo & Perſeverantia*, quibus inſcribi poteſt NIHIL ULTRA. Neque ullus tamen ſanus, qui illas ſibi ut Inſignia, vel Symbola adſumat, inſculpatque PLUS ULTRA. Hæc Theologi eſt diſſertatio, à reprehenſione juſta immunis: à Calumnia fortaſſe non æquè: ſed lappas extimam veſtem carpentes. Sapientes levi motu excutiunt facile. Ab iis Columnis incipit longiſſima illa navigatiò in orbem alterum, & deſinit iter hujus orbis: quare limites ſunt itinerum & exordia, termini æquè, à quibus, &, ad quos. Quæ conſideratio ducit nos ad alterius Columnæ contemplationem.

ARTICULUS II.

COLUMNA

Milliarium aureum.

IN mentem vobis veniat Columna apud Romanos celebratiſſima, quæ in Urbis foro ad hoc poſita erat, ut ab eo iter menſuram acciperet, & milliaria numerarentur: atque idcirco nominabatur ipſa Columna *Milliarium*

liarium aureum, quod aurata esset: auctor Plinius. (a) In ea nobiles omnes Italiæ vias inciſas fuiſſe teſtatur Plutarchus. Sub æde Saturni fuiſſe poſitam tradit Tacitus, ubi agit de Othone; idipſum etiam habet Suetonius in Othone. Ab Auguſto autem fuiſſe erectum *Milliarium aureum* ſcribit Dio in hiſtoria lib. 54. Quare dum paſſim apud hiſtoricos legimus, ſecundo, tertio, quarto ab Urbe milliario, non de Urbis Romanæ portis intelligendum id eſt, ſed de Columna in foro poſita, ut in Urbis umbilicæ, nunc in areâ Capitolina viſitur. A Columna Fortitudinis, & Cōſtantiæ iter Æternitatis nobis incipiendum eſt, in eadem iter Mortalitatis finiendum. In ea ſunt inciſæ omnes ad cælum tendendi viæ regiæ, quas fruſtra alibi inquirimus. Qui *Fortis* & *Conſtans* perſeveraverit uſque ad finem, eò perveniet.

(a) *Plin. lib. 3. cap. 5. Tac. lib. 17. Sueton. in Otho. Plutar. in Galba.*

ARTICVLVS III.

COLUMNÆ STYLITARUM.

ORBEM univerſum nominis ſui celebritate impleverunt nonnulli, qui, quod in Columna habitationem, ſedemque ſibi conſtituiſſent Stylitæ ſunt cognominati. Inter quos notiſſimus fuit *Simeon* monachus Senior, qui in Columnâ ſtans multos annos vixit, fuitque ſtupori omnibus ipſum adeuntibus, & ſpectantibus: tandem, centenario major iter æternitatis eſt ingreſſus. Alius fuit junior *Simeon* Stylita, ut auctor eſt Euagrius lib. 6. cap. 26. qui eo utebatur familiariter. Et ejus extant litteræ ſcriptæ ad Imperatorem Iuſtinum, quæ recitatæ

fuerunt in Actione V. Nicenæ ſecundæ Synodi, ubi dicitur Stylita admirandi montis; ſicque vocatur etiam à D. Ioanne Damaſceno in Oratione de Imaginibus: quoniam vivebat ſeorſim in Columna monti altiſſimo ſuperpoſita, ut tradit Euagrius lib. 6. cap. 22. Tam autem Senior, quàm junior fuit in Syria. Præter quos tertius Simeon vixit in Cilicia quadraginta ferè milliaribus ab Ægis civitate, cujus eſt mentio in Prato ſpirituali Sophronii cap. 57. Celebratur quoque Daniel Stylita, & quidam alii Eremicolæ: de quibus ago in Hiſtoriis Staurophilorum. Ante hos autem, ſuper unam Columnam cellulam ex tabulis conſtruere primus omnium docuit C. Mœnius Romanus, qui cùm ad ædificandam baſilicam domum ſuam venderet, excepit ſibi jus unius Columnæ, ſuper quam tectum proijceret compactum ex tabulis, unde ipſe & ejus poſteri munus gladiatorum ſpectare poſſent, quod tunc edebatur in foro. Ab eo deinde Mœnio dicta eſt ſtructura Mœniana, quam poſtea multi uſurparunt.

Quorsum hæc tam abrupto aut longè petito principio? dicam quidpiam, quod admirabuntur initio plerique, & habebunt, ut incredibile, audita tamen ejus commoda explicatione, probabunt, ut reor, univerſi. Magnum verbum proloquor: Nemo ſalutem æternam conſequutus eſt unquã, nemo conſequetur in poſterum, niſi Stylita, id eſt, niſi is, qui in Columna domicilium ſuum fixamque ſedem habuit, aut habebit. Inopinata loqueris, fortaſſe ſubmurmurant nonnulli, & planiſſimè paradoxa. Ergo nemo ex nobis inter Cælites erit aliquando, niſi prius in Syriam, aut Ciliciam profectus inter Stylitæ alicujus aſſeclas fuerit adſcriptus? In quo hoc perſcriptum eſt Evangelio? quis tam duram ad ſalutem conſequendam conditionem poſuit? Dico id ite-

iterum, iterumq; repeto, Nemo hominũ ſalvabitur niſi Stylita. I nunc, & Simeonem Stylitam obſtupeſce, ac inimitabilem judica. Non muto ſententiam: Nemo ſalvabitur, niſi ſit Stylita. Explico & probo. *Columna* ædificii ſpiritualis, è quo migrandum ad Superos, eſt *Fortitudo, Conſtantia, Perſeverantia*: in hac niſi zeam tuam locaveris, niſi cellulam tuam conſtitueris, niſi ex hac moriens emigraveris, nunquam, ita me Deus amet, & omnes Superi, beatitudinem conſequeris. Nullus hactenus niſi ex Columnâ nominata cœlum petiit. Itaque præter Stylitas nemò ſaluus fuit. *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſaluus erit.* Matthæi x.

ARTICULUS V.

Columnæ Stemmatum.

Binas iilas Columnas Domus Sapientiæ, Fortitudinem & Perſeverantiam diligentius inſpicienti occurrunt animo, Columnæ, quæ ſolent erigi, ut in iis familiarum, vel Reipublicæ Stemmata appendantur, vel collocentur. Qui Venetias vel è longinquo ſalutarunt, ignorare non poſſunt, in capite fori, quod littus maris ſpectat erectas è ſolido marmore Phrygio duas Columnas altiſſimas, è mari venientibus nautis à longè conſpicuas, in quarum una D. Marci Venetorum, nempe, Leonis alati Inſignia inaurata viſuntur: in altera D. Theodori ſtatua ſimiliter inaurata poſita eſt. In ipſo autem intercolumnio de noxiis condemnatis ſumuntur ſupplicia. Ferunt allatas ſimul tres ejuſdem magnitudinis navibus onerariis è Græcia, ante annos amplius, quàm quadringentos, earumque unam vi ponderis, dum è

navi-

navibus extraherentur in terram, ruptis architectorum instrumentis, in aquas decidisse, & in fundo adhuc conspici: alias duas ad caput fori Marciani modico intervallo erectus, ingenio Longobardi cujusdam Architecti, validis rudentibus novis è sublimi demissis, & aqua made factis: qui dum sese cõtraherent, & pondus vi suâ sublevarent, alios siccos breviore semper spacio subjectos, & aquis item irrigatos fuisse, eoque modo paucis diebus opus continuando, moles illas extractas firmatasque. Addunt, non aliud Architectum industriæ præmium postulasse à Repub. quàm ut aleatoribus in eo intercolumnio ludendi impunè libertas semper esset. An verum sit ignoro: hoc constat, scholam nebulonum aleatoriam sub iis Columnis assiduam & frequentem videri. Hæc παρέργως hoc ego dicere volebam.

QUEMADMODUM in iis, similibusque Columnis Insignia visuntur gentis, aut Reipublicæ, ita totius Religionis Christianæ, in Columnis Fortitudinis & Perseverantiæ esse conspicua. Quæ sunt Insignia? quæ stemmata? quæ tesseræ gentilitiæ Reipublicæ Christianæ: Ut familiarum & urbium sumi solent à præclaris majorum ac fundatorũ suorum facinoribus, in quibus & fortitudo maximè enituit; ita Eccclesia ab Heroum suorum generosis conflictibus, & Fortitudinis masculæ elegit, quæ ostentaret: nimirum, *Crucem, Gladium, Ignem, Catastam, Furcam, Laqueum*. & similia sexcenta, quæ artificiosissimè in Columna utraque, Fortitudinis & Perseverantiæ expressa sunt, & vim ad excitandum æmulandi affectum inspectantibus habent. Quæ dum perpendo offert se mihi alius Columnarum usus, qui ducibus illis nostris est valdè conveniens.

(***)

ARTI-

ARTICVLVS V.

COLUMNÆ HISTORICÆ.

Traiani Coclis.

Duilli Roſtrata.

VOco hiſtoricas, in quibus ſculpi & effingi ſolent artificis periti manu, res domi militiæque cum inſigni roboris & conſtantiæ laude geſtæ à clariſſimis belli Ducibus, & Imperatoribus; quales multæ etiam-num ſuperſunt in diverſis orbis terrarum partibus. Unam alteramque adferamus in medium. Fuit olim Romæ Forum Traianum, inter Capitolium, Quirinalem montem, & Auguſti forum: erat autem illud Traianum cinctum porticu magnifica, ingentibus Columnis fulta, Apollodoro Architecto, adjunctus erat Arcus triumphalis; quorum hodie ne veſtigium quidem extat, appareret tamen, omnium inſtar, ingens *Columna Coclis*, quæ Traiani dicitur, & Imperatoris majeſtatem, ac populi Romani magnificentiã oſtentat. Alta eſt pedes CXXVIII. cum baſi verò CXL. lapidibus ſtructa XXIV. tantæ vaſtitatis, ut opus videatur, non ab hominibus, quales ſunt modò, ſed à Gigantibus profectum. Singuli lapides gradus octo continent: per hos aſcenditur. Lumen præbent feneſtellæ XLIV. Cælatæ autem ſunt in Columnâ per gyrum, res geſtæ Cæſaris Traiani bello Dacico, aliisque militaribus expeditionibus. Nihil unquam terrarum admirabilius, nihil magnificentius videri cenſent Antiquarii, qui merces ſuas, ſupra omnem fidem, ut vendãt,

ſolent

ſolent extollere. Similem uſum obſervo in *Columnâ*, quæ hodieque ſupereſt Romæ, in palatio conſervatorum, & *Roſtrata* dicitur, habetque priſci ſeculi inſcriptionem C. Duilli, cui de Carthaginienſibus bello Punico Victori poſita fuit.

Ad geminum uſum in Domo Sapientiæ, & Ædificio ſpirituali Virtutum ſtatuitur *Columna Fortitudinis* ab uno latere, & ad alterum *Perſeverantiæ*. Præterquam enim, quod ſuperiorem Domus partem ſuſtollant, ac ſuſtentent, ſunt Monumenta, in quibus artificioſius, quam in Traianâ, Millium Chriſti fortiſſimorum, & invictiſſimorum Imperatorum certamina cælata exhibentur. In his Columnis legetur ſculptura, ſcalptura-ve, aut inciſione expreſſum, quomodo non quidem rabidum Leonem, cum Hercule, aprum-ve immanem ſuperaveris, aut mactaveris Hydrum ſepticipitem, ſed violentiam in teipſo incluſam, feramque deviceris iracundiam. Quomodo non aves ſagittis dejeceris, ſed cupiditates avidiſſimas, ut rapaciſſimas volucres, repreſſeris. Quomodo non Amazonem bellatricem fugaveris, ſed pudoris famæque debellatricem libidinem abegeris. Quomodo non Regium Augiæ ſtabulum perpurgaveris, ſed vitia de corde proprio eo perniciofiora, quo magis domeſtica & propria egeſſeris. Quomodo iram continueris, omnes animi motus rationi ſubegeris, cuncta carnis deſideria ſpiritus virtute frenaveris: proprias voluntates abjeceris contemptis viſibilibus, ea quæ non videntur, generoſo mentis impetu, appetieris, amaveris, inſequutus fueris. Hæc ſimiliaque Chriſtianis Heroibus digna facinora in Columnis Fortitudinis & Perſeverantiæ, non in aliis leguntur.

(***)

ARTI-

ARTICULUS VI.

Columnæ Sepulcrales.

IN Columnis, vel ſepultos aliquos, vel in iis reconditos demortuorum cineres reperio. Certè, Traianus detẽtus bello Parthico, Columnã ſibi erectã non vidit. Nam rediens victor fluxu ſanguinis extinctus Seleuciæ Syriæ, viuus Romam non eſt ingreſſus, ſed cadavere in urbem delato, oſſa, cineresque in pila aurea ſunt recondita & in Columna collocata. Quærunt ſibi multi, & conſtituunt anxiè quietis poſt mortem locum, vivi de ſepulchro ſunt per quam ſoliciti, ignari, quænam ſit, & ubi optima quieſcendi regio. Ubi-nam? quæris: breviſſimè dicam, in Columna. Niſi quis in Columna Perſeverantiæ exuvias depoſuerit, tantundem eſt, ſive ſub furcâ, ſive in aureo mauſolæo putreſcat. Nã, ut ſuperius eſt demonſtratum: nemo ad æternam felicitatem evehitur, niſi qui in Columna vixerit; ita nunc addo, nemini idem continget, niſi in eadem ſpiritum reddiderit, & quicquid reliquum fuerit, depoſuerit. *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſaluus erit.*

APPENDIX

Deſignatio variarum Columnarum ad Domum Sapientiæ ſpectantium.

QVINQUE conſtituimus ordines Columnarum, ſive Columnationes, quibus exornatur, & fulcitur Domus Sapientiæ, ſeu Ædificium ſpirituale ex Virtutibus com-

compositum. Harum aliquas, per otium, fusius explicavimus: aliarum nomina tantùm edemus: tum quod de iis actum sit loco suo satis accommodatè, ut putamus; tum quod, quæ virtutes, Columnæ hic vocantur symbolicè, alibi, per alias Domus partes figuratè significentur, ubi commodius naturam ac proprietates singularum explicamus. In PRIMA Columnatione, tres sunt Columnæ: *Fides*, quæ est Columna Nubis: *Spes*, quæ Fumi: *Caritas*, quæ Ignis. Legendi Interpretes in Pentateuchium. Signatè Benedictus Pererius Exodi XIII. à dispu. 1. usque ad IX. & Cornelius. S. Thomas proœm. in Epist. S. Pauli ad Ephes. In SECUNDA constituuntur duæ, *Fortitudo* & *Perseverantia*: utraque tam ænea, quam marmorea. Sufficerent binæ istæ Columnæ ut totum Ædificium spirituale sustinerent: ideoque comparari possunt cum duabus illis, quibus Dagonis palatium sive Templum sustētabatur, quod Samson, quassatis columnis, everti Historia habetur Iudic. XVI. Legendus ibi Nicolaus Serarius quæst. 24. Et, de *Fortitudine* ac *Prudentia*. S. Thom. 2. 2. ibidemque Commentatores: Lessius lib. 3. de Justitia & Jure. Busæus in Viridario. Delrius Cantico. v. Catechismus historicus, è quo cap. 7. §. 40. exempla desumi possunt, & sermonibus inseri. In TERTIA spectantur VII. Columnæ, septem Dona Spiritus-sancti I. *Sapientia*. 2. *Intellectus*. 3. *Consilium*. 4. *Scientia*. 5. *Fortitudo*. 6. *Pietas*. 7. *Timor Domini*. Legendi, S. Thomas 1. 2. q. 68. ibidemque Valentia, Salas, Vasquez, & 2. 2. var. quæst. Catechismus historicus Dauroltii, in quo p. singulis exempla. In QUARTA statuuntur Columnæ IV. Virtutes quattuor Cardinales. Cantic. tertio: *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani, Columnas ejus fecit argenteas.* Honorius Columnas argenteas interpretatur quattuor illas virtutes, quæ animæ robur

ut

ut ligna fulciunt. Addit Delrius tres virtutes Theologicas, ut sint Columnæ VII. Idem Honorius accommodans Ferculum DEIPARÆ, scribit Columnas ejus esse quattuor Evangelia, quæ de DEIPARA testimonium perhibent: esse argenteas, veritate nitidas, prædicatione sonoras. In QVINTA Columnatione sunt Virtutes VII. quas S. Bernardus Sermone 3. de Adventu, cujus titulus: De triplici Domini Adventu, & septem Columnis, numerat, quas in nobis videlicet erigere debemus. Recurre ad librum secundum, in quo secundum varios sensus Domus Sapientiæ, variè Columnas accommodavimus, Sermone III. IV. V. & sequentibus.

VARIA *de Columnis suppeditat Theatrum Vitæ humanæ, hisce Titulis.* I. *Erectæ in monumentum rei memorandæ: aut, Ad memoriam alicujus.* II. *Columnæ in templis collocatæ. ubi de Columnis* Panthei *& aliis Romanis:* Rostrata, Traiana, Mœnia, Julia, Antonii Pii, Milliana. *De quibus Bartholomæus Marlianus in Topographia urbis Romanæ, & Franciscus Scothus in Itinerario Italiæ.*

(**)

ARCHITECTVRÆ CHRISTIANÆ PARS IV.

FRÆFATIVNCVLA.

VIDISTIS-ne, *Auditores, unquam, Domum integram, sine Muris, aut Parietibus? non reor equidem. Nam ad integritatem Domus spectant Parietes haud minùs, quàm ad integritatem corporis humani membra principalia, quæ ad compositionem illius conveniunt. Istiusmodi autem in Domo minimùm sunt tria,* Fundamentum, Tectum, Parietes. *Itaqúe cùm Fundamenta Domus Sapientiæ Sermonibus aliquot sacris explanaverimus: illisq; Columnas, ceterarum partium fulcra, esse superimposita sit demonstratum: de Parietibus seu Muris ejusdem augustißimi Palatii erit deinceps agendum ex instituto. Parietes nomino, vel Muros: nam licet in Architectonica vulgari profana distinguantur;* Muros *enim à muniendo dictus, propriè est urbis ambitus,* Paries *domorum; tamen in sacris, nullum est eorum discrimen, nisi forte consideratione inductum. Quod in hac nostra materia potißimum habet locum. Siquidem,* Domus Sapientiæ *propter suam amplitudinem, est etiam* Civitas: *de qua canitur,* Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI. *Et sanè, si Roma Domus Neronis, quia Palatino & Cælio montibus, usq; ad Esquilias porrigebatur, urbis speciem referre existimabatur; & etiam-num Vaticanum Pontificis Maximi palatium, oppidum potius ab adventantibus videtur, quàm Domus, adeò est amplum, quid de illa existimandum, quæ protenditur de mari usq; ad mare, & usque ad fines orbis terrarum*

OPVS-

OPVSCVLVM VI.

MVRI. PARIETES. TECTVM

Domus Sapientiæ.

Seu

Aedificii Spiritualis.

SERMO I.

PARIES

Domus Sapientiæ.

SPES.

In nominando Parietum septo sequor sententiam Magni Patris Augustini, qui Sermone XXII. *de verbis Apost.* DOMUS DEI, *inquit*, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. *Existimavit igitur, ut Fundamentum est Fides, ita Parietum rationem habere Spem. Sed illud muneris est Architectonicæ Christianæ, ut declaretur, quænam sit analogia inter Spem ac Domus Parietes? ex quanam sint hi Muri materia? cujus crassitiei? quàm alti? qua incrustatione obducti? & similia, quæ ad Parietum constructionem ex Architecturæ præceptis pertinent.*

ARTICULUS I.

ANALOGIA I.

Inter Spem & Parietem.

QVEMADMODUM in domo parietes è fundamento surgunt, ita Spes ex Fide, quæ est fundamentum ædificii spiritualis, nascitur. Docet id S. Thomas scholasticè, secunda-secúdæ quæst. XVII. art. VII. ubi ad quæsitum: *Vtrum Spes præcedat fidem?* Respondet probatque, Fidem priorem esse origine, quàm sit Spes: ex fide autem oriri Spem. Rectè enim Augustinus in Enchiridio cap. VIII. *Quid sperari potest, quod non creditur?* Et adfert S. Thomas illud Matthæi 1. *Abraham genuit Isaac*, id est, Fides *Spem*, ut inibi Glossa exponit. Per fidem enim innotescit quid sperare possimus. Et universè dictum est à Paulo Apostolo, *Accedentem ad* DEUM *oportet credere.* Itaque primò jacitur fundamentum, quod est fides, ex hac que Spes exsurgit, ut ex illo paries. Quando ad Religionem Christianam aspirans, nondum sacris nostris initiatus, paullatim, post catechesin, DEUM esse, & liberatorem hominum esse, & gloriam sempiternam diligentibus se paravisse, credit; mox sperare incipit, ejus benignitate, & misericordia, se aliquando, si baptizatus fuerit, & præcepta DEI servaverit, per opera bona, veluti per gradus quosdam ad eam gloriam perventurum. Idem, jam Christianus factus, si fide firmiter credat, DEUM ex nihilo homines ad imaginem suam creasse, non ut damnaret, sed ut salvaret, & gloriæ suæ participes faceret. Præterea, DEUM homine in peccatum lapso, Filium è sinu

suo

ſuo unicum miſiſſe, ut natura humana adſumta, hominem redimeret, pro eo ſatis faceret, ut amicum ac filium, & conſequenter, hæredem regni cœleſtis conſtitueret. Denique, ſi credat, DEUM ita peccatores diligere, ut pro iis voluerit in humana carne, mortem, poſt crudeliſſima tormenta, pati, & animam pro iis ponere. DEUM velle omnes homines ſalvos fieri: omnibus, quotquot ſunt, erunt, fuerunt, hominibus, certa ad conſequendam ſalutem, eaque ſufficientia media dediſſe. Miſericordiam DEI & merita Chriſti Salvatoris eſſe infinities majora, quàm ſit gravitas peccatorum totius mundi: immò, hominum omnium enormia & graviſſima ſcelera ad miſericordiam DEI, & merita Redemptoris, eſſe inſtar guttulæ decidentis aquæ ad immenſum ignem: quocirca quàm facilè immenſus ignis abſumit tantillum aquæ, tam facile miſericordiam Dei abſumere omnia peccata mundi, Chriſti Paſſione & Morte interveniente, dummodò homines ex parte ſua cum divina gratia ſe diſponant & de peccatis ſuis doleant.

ITAque ponatur, unum aliquem è numero fidelium reperiri, qui ſolus tam multa, tamque gravia crimina perpetraverit, quàm omnes ſimul homines à mundo condito, ad finem uſque commiſerunt, & committent; istamen, ſi ex animo doleret de commiſſis, quod divinam Majeſtatem, ſuum ſummum bonum, per illa offendiſſet, & firmiter ſtatueret in poſterum ab iis abſtinere, ſtatim per Chriſti Domini merirum delerentur omnia, & filius DEI adoptiuus, ac regni cœleſtis hæres efficeretur, eatenus inimicus, & excluſiſſimus. Hæc qui credit, & fide divina, cui non poteſt ſubeſſe falſum. credit, nonne illicò Spē concipit gratiæ, remiſſionis peccatorum, filiationis, tandemque futuræ gloriæ? Ex Fide igitur, ut ex fundamento, paries Spei, ac murus fiduciæ

exsurgit, ut docet S. Augustinus. A quo id acceperunt Doctores Scholastici, (a) inter quos S. Bonaventura, qui cum cæteris adfirmat, Fidem esse similem fundamento reliquam molem sustentanti in ædificio spirituali, Spem Parieti exsurgenti & erigenti, Caritatem Tecto contegenti & consummanti.

(a) S. Thomas 2.2. q. 17. Valentia disp. 2. q. 1. p. 2. Malderus art. 7. & 8.

ARTICVLVS II.

Analogia II.

Inter Spem & Parietem.

Est etiam similis Muro, aut Parieti Spes, quod illa ædificium cingit, & à malorum incursu tuetur: unde Poëtis pro tutelâ ponitur. decantatum est illud Senecæ

Tu præsidium Phrygibus fuisti.
Tu Murus eras.

Id verò etiam facit Spes, quæ virtutes, nempe alias Domus Sapientiæ partes suo ambitu complectitur, & adversariorũ impetum repellit. Agnovit hoc Spei officium Ioannes Cassianus, qui ex sententia Abbatis Chæremonis ita differit: (a) Tria sunt, quæ faciunt homines à vitiis temperare: scilicet, aut Metus gehennæ sive præsentium legum; aut Spes, atque desiderium regni cœlorum; aut Affectus boni ipsius, amorque virtutum. Nam Timor ita mali contagium legitur execrari: Timor Domini odit malitiam. Spes vitiorum omnium excludit incursum: nimirum, quia veluti paries ambit sperantem.

Non

(a) Collat. 11. cap. 6.

Non delinquent omnes, qui sperant in eo, inquit Propheta. (a)

(a) *Psal.* 33 23.

ARTICULUS III.

Analogia III.

Inter Spem & Parietem.

Paries est Septum, quod in utroque ædium latere, domum unam ab altera dirimit. Id quoque præstat suo modo Spes. Quod ut intelligatur, & utilitatis aliquid inde hauriatur. Observo. Aliam esse Domum in hac vita degentium, aliam ex hac vita ad alteram translatorum. Illa dicitur *Domus Viatorum*, de qua disputamus: hæc in termino consistentium, tum *Beatorum*, tum *Damnatorum*. Quis paries utramque hanc domum distermināt? Non Fides: nam in inferno *Dæmones* etiam *credunt & contremiscunt*. (a) Non Caritas: nam in Beatis est Caritas perfectissima. Murus dividens est Spes: hoc enim solùm est in iis, qui nondum ad vitæ terminum pervenerunt. Imprimis enim Beati ævo felici fruentes non habent amplius Spem. (b) Siquidem Spes versatur circa bonum, quod futurum est, & haberi debet cum aliqua difficultate. At beatitudinem jam possident ad cœlum admissi, neque est illis ardua. *Spes, quæ videtur*, inquit Paulus Apostolus, *non est Spes: nam quod videt quis quid sperat?* ad Rom. VIII. Sensus est, quando Spes videtur, id est, res sperata olim, possidetur per visionem Dei, naturali quadam sequela Spes evacuatur, ut jam sperari desinat,

quod habetur. Siquidem Spei nomine Apostolus rem ipsam, quæ speratur intelligit. Simili modo ad Titum secundo, eodem vocabulo utitur *Expectantes beatam Spem*, inquiens.

Subiungit autem ad Romanos quidpiam, quod Spei naturam optimè declarat, si benè intelligatur: *Nam quod videt quis quid sperat?* Hoc si vniversè accipiatur, fallere videtur: nam qui in stadio currunt, propositum vident bravium, & tamen sperant. Sed Apostolus præcipuè loquitur de Spe Theologica, quæ tendit in Deum, quem qui clarè videt, quod fit per visionem beatificam, tenet, ac possidet, atque ita sperare nullo modo potest. Quod si lubet dicere, S. Paulum universim loqui de Spe, cujus ea sit ratio, ut possessionem excludat eorum, quæ sperantur, non refragor: cùm verissimus sit sensus: quod quis jam possidet ac tenet, quid sperat? Quod adeò verum existimavit S. Thomas, ut docuerit l. c. ad 4. ut docuerit animas jam beatas ne sperare quidem sui corporis immortalitatem & gloriam, quod eam jure sibi debitam certa expectatione quodammodo possideant.

A quo non dissentirent Philosophi, ita Spem definientes, ut illam non nisi ad futura, & quæ difficultatem aliquam adjunctam habent, extendant. Gregorius Nyssenus (*a*) in Philosophicis instructissimus: *Spes*, inquit, *id quod non adest dumtaxat adhibetur*. Aristoteles verò, (*b*) *Spem* dicit esse, cùm *rerum salutarium cogitatione, quando propè adsunt, neque terrorem adferunt, vel certè longè absunt*. Hinc fit, ut quia Deo nihil est expectandũ, nec quicquã ei est arduum, aut difficile, Spes ei convenire non possit. Denique, Benedictus XI. Põtifex Extravag. Cõstitutione, quæ incipit, *Benedictus*, expressè definit: Visione Dei, ejusque fructu, actum fidei & Spei, quatenus quidem sunt

(*a*) lib. de anima, & resur. (*b*) lib. 2 ad Theodect. cap. 5.

sunt virtutes Theologicæ, evacuari. Porro, quomodo, vel habitus Spei, vel actus secundarii illius maneant in Beatis in Exercitationibus Theologicis examinavimus.

Jam verò, idem Spei septum distinguit domum viatorum à damnatorum habitaculo: nullam enim Spem Salvatoris habent damnati, quibus non est amplius possibilis adquisitio beatitudinia: & ad gravitatem miseriæ ac pœnæ ipsorum spectat, ut intelligant, se nulla ratione posse pervenire. Quemadmodum securitatis Beatorum est, intelligere, quod non possit Beatitudo semel parta amitti: & ubi ceciderit lignum, ibi sit mansurum, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ut inquit Ecclesiastes cap. xi.

Et quoniam Animæ in purgatricibus flammis cum viatoribus quadamtenus commorari videntur, quia ad metam nondum pervenerunt, idcirco communis est ijs Spei sub eodē tecto paries. Existimo enim animas illas, quamvis in igne acerrimi doloris detentas, certas esse de sua salute, certitudine tali, quæ timorem quidem omnem, quo nobis hic viventibus sunt feliciores, non tamen omnem spem excludat. Siquidem Beatitudo est iis futura, non præsens, ac proindè non tollit expectationem: est etiam ardua, quoniam per gravissimas pœnas ad eam pervenient: atque idcirco illorum ibi commorantium expectatio dicitur Spes; licet non sit contingens, sed necessaria, quia non possunt amplius ab ea excidere: & ideò tollit omnem timorem. Hoc planè insinuare videtur Ecclesia, dum per sacrificantem orat in Canone Missæ: *Memento Domine, famulorum famularumque tuarum, quæ nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Profectò, quæ dormire dicuntur, & placidè dormire, non sunt tam anxiæ ut desperent, sed

habent admixtam cum ſummis cruciatibus conſolationem inexplicabilem propter certam Spem ſalutis.

SERMO II.

Materia Parietis, qui eſt SPES.

ARTICULUS I.

Parietes varii generis, diverſitate à Materiâ deſumptâ.

VT declaretur ex quâ-nam ſit materia Parietis ſeu Murus Domus Sapientiæ, qui Spes dicitur, ſumo ex Architecturâ Vitruvii, non unius generis eſſe Parietes, quoad materiam. Alii enim, & antiquiſſimi, ſunt lateritii, ſtructi ex lateribus crudis, ſole tantùm coctis & duratis. Eſt enim apud Vitruvium, later alius crudus, alius coctus, idemque testaceus, rigens & ſonans, velut teſta videlicet. Crudi duriſſimæ ſoliditatis, & ad diuturnitatẽ ædificiorum egregiè præſtare uſus exiſtimantur. Lateritia autem ſtructura publicis, privatis, regalibus etiam ædificiis utebantur olim: quod enumeratione copioſa demõſtrat Vitruvius, & ex eo totidẽ penè verbis, ſuppreſſo nomine, Plinius: ne quis miretur ſimilia è recentioribus fieri, *Græci, inquit, pra-*

(a) *Vitruvius lib. 2. cap. 8.* (b) *Plin. lib. 35. cap. 14.*

præterquam ubi è silice fieri poterat structura, parietes lateritios præstulêre: sunt enim æterni, si ad perpendiculum fiant, ideo & in publica opera, & regias domos adduntur. Sic struxerunt murum Athenis, qui ad montem Hymettum spectat. Sic Patris ædes Iovis & Herculis: quamvis lapideas Columnas, & epistylia circumdarant. Domum Trallibus regiam Attali. Item Sardibus Crœsi, quam geruſiam fecere. Halicarnassi Mausoli, quæ etiam nunc durant. Lacedæmone quidem excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis inclusum Romam deportavere in ædilitate ad comitium exornandum Muræna & Varro Quod opus cum per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur. Addit Plinius, Romæ non fieri ædificia istiusmodi, quòd sesquipedalis paries, non plus quàm unam contignationem toleret, cautumque sit, ne communis crassior fiat, nec intergerinorum ratio patiatur. Quod fortasse antiquitus fuit receptum: mutatum posteà, nam lego Augustum Cæsarem, Romam ex lateritiâ marmoream reddidisse. Nunc verò, Romæ ædes tum sacræ, tum profanæ, eæque amplissimæ sunt lateritiæ, inter ceteras, Ædes Iesv Salvatori erecta Societatis nostræ, qua vix ulla extat Urbe tota postquam à D. Petri discesseris, augustior.

Parietes alii cõstituuntur ex duro lapide, silice vel marmore quadrato, aut alterius figuræ. Est & Paries formaceus, qui duabus tabulis circumdatus, tanquã in formam infercitur: Isidoro dicitur *formatus*, seu *formatius*. De Hamamensibus populis retulit Plinius, domos sale montibus suis exciso, ceu lapide, construere. Pygmæos autem suas casulas luto, pennis, ovorumque putaminibus condere. O muros ferreos! Est quidam *Parius* dictus *Cratitius*, qui nempe, ad similitudinem Cratis, exarrectis transversisque cannis, arundinibus, aut perticis, lignis-ve componitur, & velut contexitur. *Cratitii velim,*

inquit

inquit Vitruvius, *ne inventi quidem essent; quantum enim celeritate, & loci laxamento prosunt, tanto majori, & communiunt calamitati, quantum ad incendia, ut faces sint parati.* Pluribus eosdem vituperat idem Architectus libro secundo, cap. VIII. Ex quâ verò materiâ constet Paries Spei innotescet, si quomodo in altum educatur documus.

ARTICULUS II.

PARIES -- SPES

Quomodo exsurgat, & firmetur.

UT Spei Paries erigatur, requiritur imprimis fundamentum, sive fulcrum Fidei: hæc nisi primò firmetur, nunquam Spes consurget & stabilietur. De Mystica civitatis illius, quam vidit Joannes Apostol. Apocalyps. xxi. & Ædificium spirituale, præter Jerosolymam cœlestem, denotabat, scribit veridicus inspector: *Erat structura* Muri *illius ex lapide Iaspide.* Ubi, cùm exprimatur unus lapidem, reor de fundamentali loquutum. Iaspidem, gemma semper virens, magnæ firmitatis Fidei designat, ejusque inconcussam constantiam, quæ nostro Spei substernenda est. *Fides*, inquit Paulus Apostol. *Ad Hebr.* xi, 1. *est sperandarum substantia*, seu fundamentum *rerum*: Fides docet Christum venisse, ut peccatores salvos faceret. Hinc prima salutis Spes. Ex eo colligunt Theologi, in hæreticis, vel ob hanc caussam, non posse esse Ædificium spirituale virtutum, quod in eis Spei Paries non possit extrui. Carent enim Fide divinitus infusâ, à quâ omninò, ut à fundamento Paries Spei pendet.

pendet. Rectè enim, atque orthodoxè S. Augustinus in Enchiridio cap. VII. æquè Spem atque Caritatem negat posse consistere sine fide. *Fides*, inquit, *credit. Spes & Caritas orant, sed sine fide esse non possunt.* Et cap. VIII. *Neque amor*, ait, *sine Spe est, nec sine amore Spes: neque utrumque sine fide.* Quocirca, ut illa, quæ putantur credere, & dicunt se credere hæretici, non credunt per supernaturalem & & Christianam fidem, quæ est virtus divinitus infusa, sed per naturalem quandam & adquisitam; ita neque ea, quæ sperant, si modò sperent aliquid, sperant per virtutē Spei Christianam, & supernaturalem, sed per Spem quandam in se verè desperabundam: certè, naturalem duntaxat, & usu quodam adquisitam: à qua, utpote infirma & debili, facilè decidunt in desperationē. Quamobrem non est existimandum, Spem transnaturalem solum corrumpi per contrariam desperationem, aut subjecti corruptionem, sed etiam everso fundamento suo, quod est fides supernaturalis; aut Deo desinente conservare; aut quando bonum, quod sperabatur, non apprehenditur, ut possibile ad obtinendum per verum Dei auxilium, sed per phantasticum, aut imaginarium, voluntate humana excogitatum. Quod, secūdum nostram Theologiam, est sperare in homine. Quare, non tantùm Pelagiani, qui propriis, seu naturæ viribus sperabant salvari; sed Lutherani quoque, qui absque meritis sperant salvari per solam Fidem suam specialem, dicendi sunt sperare in creatura, vel homine, atque idcirco in vanum.

Fidei ergo Christianæ jacto fundamento, reor equidem, Parietem-Spem omnes optimorum Parietum habere qualitates. Et imprimis, partim esse *æneum*, partim *lapideum*, ex marmore, partim *lateritium*. Declaro. Primæ partes & imæ Parities Spei sunt ex ære. Animadver-

madvertistis, fortasse in magnis quibusdam palatiis fundamẽto collocari solitos majores lapides coronæ modum, quibus ceteri superponuntur. Simile quid fir ædificio spirituali Virtutum Christianarum. Fide divi in anima firmata prima pars parietis est instar Coron æreæ Duobus enim nititur Spes, quæ Æris symbolo e primuntur: nempe, Promissione DEI, & Iure-iurand hæc enim lapidibus omnibus aliis supponuntur, & quic quid est superius locatum sustentant, faciuntque ut fir missimus sit *Paries-Spes* paries, & maximè longæuus utrumque est ære perennius. Ita docuit nos Apostol Architecturæ sacræ optimus magister. *Ad Hebræ.* VI. *Volens*, inquit ille, *ostendere* Pollicitationis *heredibus imm bilitatem consilii sui, interposuit* Ius-iurandum, *ut per duas immobiles, quibus impossibile est mentiri* DEUM *fortissimum latium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam* Ex quibus deducitur, Spem Christianam niti prim quidem Promissioni divinæ, quæ infallibilis est: dein Iureiurando DEI, quo utitur DEUS aliquando: sive humanæ imbecillitati consulat, siquidem homines sperant firmiter, nisi quod iureiurando est confirm tum; sive, ut suam in genus humanum propensissima voluntatem magis, magisque declaret; denique, ut consilii immutabilem rationem manifestet, sicq; Spe mortalium firmiorem faciat. Quis enim vacillet in illius rei, quam intelligit non tantùm pollicitatione divina, sed sanctissimo quoque juramento ab immutabili DEO addictam sibi?

ARTI-

ARTICULVS III.

MISERICORDIA DEI

Quomodo se habeat ad Spem, quà Parietem.

QVONIAM pollicitus est hominibus DEUS, quod minimè illis debebat, ex Misericordiâ, idcircò hæc meritò concipitur, ut *Nexus* ærei illius fundamenti, quod Coronæ instar, imam Parietis Spei partem ambit. Quare plurimum debet Spes Misericordiæ, qua subtracta paries ille facillimè corruit. Hinc S. Bernardus Sermone LXI. in Cant. ubi disserit de divitiis Divinæ Misericordiæ in foraminibus Vulnerum Christi, *Meum*, inquit, *meritum*, id est, initium, basis, fulcrum confidentiæ, Spei, meritorum, est *miseratio Domini. Non planè sum merita inops, quàm diu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum.* Et præclarè S. Hilarius in Psalmum LI. *Non enim illa ipsa Iustitiæ opera sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi Misericordia* DEI *etiam in hac Iustitiæ voluntate humanarum demutationum, & motuum non reputaret vitia.* Spes igitur in misericordia DEI in seculum seculi. Nimirum, admiscētur bonis fidelium operibus multæ imperfectiones, defectus, peccata, quamvis venialia, quæ indigent misericordia Domini, DEIque indulgentia & remissione, ut beatam nostram Spem assequamur & salvemur.

Hvc spectat in genua illa confessio S. Augustini libro tertio contra Cresconium *cap.* VIII. *Ad existimationem magnum magna testium, qui me noverunt suppetit copia: ad* DEI *verò conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cùm intrepidam geram; non me tamen sub oculis*

Omnipo-

Omnipotentis justificare audeo, magisq; ab illo affluentem misericordiæ largitatem, quam Iudicis summum examen expectio. Ex illud S. Ambrosiii, qui in extremo vitæ suæ ita circumstantes alloquebatur, ut refert in ejus vita Paulinus: *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: nec mòri timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quæ verba S. Augustinus, ut narrat Possidonius, & admirabatur & laudabat, dicebatque ab Ambrosio prolata, ne præfidens crederetur de tam purgatissimis moribus præsumere: Spem enim suam maximè in Misericordiæ divinæ fundamento locandam non ignorabat. Est etiam S. Bernardi illa observanda doctrina: Epist. XLII. Utilissimum esse coram Deo non justitiam prætendere, sed misericordiam postulare. Didicerat scilicet orandi formulam Domino gratissimam, quam usurpabat Propheta Daniel cap. IX. *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

ARTICVLVS IV.

MERITA CHRISTI

Sunt Lapides Parietis Spei.

CORONÆ hactenus descriptio imponuntur firmissimi Lapides, & saxo quolibet quadrato fortiores. ita vocor. MERITA CHRISTI Salvatoris Nostri, ex quibus *Spes-Paries*, tanquam lapidibus, construitur. De his lapidibus accipio illud Tobiæ XIII. deprædicantis pulchritudinem spiritualis Ierusalem: *Ex lapide precioso omnes circuitus murorum ejus.* Quid precioſius sudore, Sanguine, meritis Christi? Ob hanc causſam CHRISTUS dicitur

SPES

Spes nostra. Ad Colossenses primo cap. *Christus in vobis Spes gloriæ, quem nos annunciamus*: id est, Christus suis laboribus, doctrina, sudore, passione, meritis, *Parietem Spei* in vobis erigit. Et 1. ad Timoth. 1. *Paulus Apostolus secundum imperium* Dei, *& Salvatoris nostri, &* Iesv *Christi* Spei *Nostræ*. Quomodo Christus dicitur *Spes Nostra*? Primò quidem, quia est causa Spei nostræ, tum objectiva, & materialis, ut loquuntur Theologi: siquidem speramus Christi visione & fruitione beari: tum effectiva & meritoria: speramus enim per Christum, ejus gratia, passione, ac Meritis salutem nos consequuturos: tum finalis, quoniam finis Spei nostræ ac patientiæ, & omnis virtutis est Christus. Deinde verò, quia Meritis Salvatoris erigitur in nobis *Murus Spei* inexpugnabilis inimicorum insultibus. In Christo & per Christum bona omnia sperantur. Animosè S. Bernardus in conflictu verbali, seu alteratione cum Diabolo, dixisse fertur: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis obtinere regnum cœlorum. Cetertùm Dominus meus duplici jure illud possidens, hęreditate Patris, & Merito Passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat. Fidebat ergo maximè in Meritis Christi.

Quod etiam faciebat S. Catharina Senensis, quam cùm Dæmon ad desperationem deducere conaretur, increpando de vita pessimè acta, illa liberè professa est: Vera sunt, quæ dicis, & ego me peccatricẽ fateor. Verũ Domini Vulnerum recordor, in quibus Omnem Spem meam reposui. *In Domini Vulneribus abscondar: & ejus pretioso sanguine abluam animam meam, & omnia peccata mea delebo.* Confuderunt tam generosi pectoris verba adversarium, immò velut totidem saxa in fugam egerunt. Iisdem armis cum hoste confligere assuetus S. Bernardus, frequenter suos admonet, ut omnem suam fiduciam

constituant in Meritis Passionis & Vulnerum Crucifixi: & dicant confidenter: Merita mea Vulnera tua Domine. Tua merita mea sunt: in illis SPERO, in illis confido: in illis ego ex me pauperrimus, ditissimus sum. *Serm.* XI. *in Cant. Ego fidenter, quod ex me mihi deest, assumo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant.* Foderunt manus ejus & pedes, Latusque lancea foraverunt. *Et per has rimas licet mihi sugere mel de Petra, oleumque de saxo durissimo:* id est, gustare, *& videre quam suavis est Dominus. Copiosa redemptio apud eum est nobis in Vulneribus* JESU CHRISTI, *Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ ac perfectio Virtutum.* Sic igitur MERITA CHRISTI D. veluti lapides, ex quibus construitur PARIES-SPES, considero.

ARTICVLVS V.

OPERA BONA
Seu Merita fidelium proborum sunt, veluti Lateres ad Spem, quà Parietem.

LAPIDIBUS istis innectuntur LATERES. Sic appello Opera bona fidelium, facta in Christo, quæ sunt Merita vitæ æternæ: ex quibus Murum Spei lateritium componi mihi persuadeo. Spes enim Christiana, [illegible] posita fide, & misericordia ac pollicitatione DEI, [illegible] Meritis Salvatoris, operibus etiam bonis fidelium nitatur. Cujus contrarium pessimi in Architecturâ sacrâ dascali, hæretici nostri temporis profitentur. Qui docent, hominem Christianum non debere ullo modo Spem salutis collocare in bonis suis operibus quamvis per gratiam Christi factis. Ita passim asseruit, scripsitque Luther

Lutherus, idemque propugnavit Calvinus lib. tertio Institut, cap. XII. §. 3. & 4. in quibus acriter contendit, nullam in propriis meritis fiduciam esse collocandam. Calvino adhærent assecłæ, & alii hujus ævi sectarii. Sed nos habemus firmiorem quem amplectimur, Propheticum sermonem, quo erudimur, Vitam æternam esse mercedem bonorum operum: præmium cœleste conferri hominibus secundum mensuram & proportionem operum: DEUM, ut justum judicem, regnum cœlorum, velut debitum præmium ex justitiâ Bonis operibus reddere, ex quibus Spes consurgit. *Fiducia magna erit coram* DEO inquiebat Tobias cap. IV. *eleemosyna, omnibus facientibus eam*: Clarissimè Rex David: *Psal.* XVII. 21. 22. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodivi vias Domini, nec impiè gessi à* DEO *meo. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli à me. Si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris*, dicitur Iobi XI. *& non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam, & habebis fiduciam propositæ Spe.*

SED quoniam Opera fidelium Naturam respicere possunt, & Gratiam Christi, quomodo sint, veluti lateres, ad Spei-Parietem idonei, docet Paulus Apostolus ad Corinthios scribens, quos monet, ne insistant operibus, ut sunt naturæ fœtus, sed ut gratiæ. *Fiduciam*, inquit, *talem habemus per Christum ad* DEUM, *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex* DEO *est.* 2. ad Corinth. 3. Quibus disertè explicat, quatenus sive cogitationes bonæ, sive actiones studiosæ ad Spei-Parietem constituendam concurrunt: nempe, nõ ut sunt ex nobis, secluſa à DEI gratiâ, sed, ut sufficientia nostra, & valor actionum ad salutem comparandam ex DEO est. Itaque, prout operationes illæ, sunt

liberalitatis, ac munificentiæ divinæ beneficia, extruunt Murum Spei ac fiduciæ Christianæ, tanquam ejus materia. Nos autē ut cooperatores quidam Architecti supremi, & illius murarii, ejus auspiciis & subsidio, eadem producimus, & ad parietem componendum apponimus. Quo sensu benè dixit S. Basilius: lib. de Spir. S. cap. 24. *Homo ex operibus justitiæ salvatur.*

Neque, nisi ab ignaro omnis bonæ Theologiæ disciplinæ potest, in Christi injuriam cedere (ut objiciunt adversarii, simplicium se ductores, quod sibi persuadeant Christiani, Catholici, Papistæ, Bona opera ad Parietem Spei extruendum adhiberi, quasi non sufficiant Christi Servatoris Merita. Siquidem merita Justorum non opponuntur meritis Christi sed a iis originem suam habent; & quicquid in eis est laudabile redundat in laudem meritorum Domini. *Ipse enim* est *Vitis, nos palmites* Joan. xv. *Et sicut palmes non potest ferre fructum*, nisi manserit in vite, sic & nos nihil possumus sine Christo facere. Quis autem dicat, detrahi de gloria Vitis, si palmites ejus sint fecundissimi, & multum fructū adferant? Ejusdem autē sapientiæ est, asserere, quod detrahatur de gloria Christi, si servi ejus per gratiam ejus, per fidem, ejus dono infusam, per Caritatem, ejus beneficio inspiratā, per spiritum ejus munere in corde diffusam, abundent bonis operibus, quibus debeatur corona justitiæ. Quæ hæc est deliratio?

ARTICULUS VI.

Analogia

Operum bonorum cum Lateribus.

Bona fidelium opera *Lateres* appellamus. Attendatur, quid sint, & quomodo conficiantur, apparebit convenientia. Substantia Lateris est terra, lutum, gleba,

Sole

Sole vel igne coctus duratur, & lapidis instar, fit idoneus ad extruendum parietem. Humana mortalium, quamvis Christianorum fidelium, opera, si in se spectentur, sunt terrea & lutea, nihil habèt præclari, nihil nobilitatis, nihil cœlestis illius venustatis, ac proinde cœlesti gloria non sunt dignæ. Pronunciat id Paulus, & verè, quia divino afflatus spiritu ad Romanos VIII. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: hoc est, si cuncta, quæ in hac vita perferri possunt mala, cum cœlesti Beatorum gloria comparentur, neque ratione substantiæ, neque ratione aliorum, quæ ipsius conjunguntur in eodem genere, illi respondent. Nimirum, actiones humanæ si considerentur, non quà manant à gratia, sed quà ipsæ per se viribus humanis eliciuntur, nihil merentur, nihil adjumenti adferunt ad vitam æternam: immò indignæ sunt ad tale, tantumque præmium. Quo nomine, Pauli illo testimonio nixus, indignas appellat Augustinus diversis locis. (*a*) Et S. Bernardus acutè plura complectens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis* (omnes vitæ præsentes labores & ærumnæ, molestiæ) *ad præteritã culpam, quæ remittitur, ad præsentem consolationẽ gratiæ, quæ immittitur; ad futurã gloriã, quæ promittitur nobis.* Si verò coquantur, tum radiis solaribus divinæ gratiæ, tum in Caritatis fornace, divinæ benevolentiæ flammis succensæ, durantur in Lateres firmissimos Meritorum, & sunt ad Parietem-Spei maximè idonei. Nam sic, id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Siquidem actio hominis fidelis ex gratia, & unita gratiæ meretur vitam æternam. Quanta inde Spes, & quàm magna fiducia? *Sicut oleum*, inquit Auctor Operis imperfecti.

(*a*) lib. 5. de civit. c. 8. lib. 35. q. 85. (*b*) S. Bernard. in ps 50.

fecti. *Hom.* 15. *in Matth, accendit lumen lucernæ; ita bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ.* Hinc ad bona opera alacriter exercenda incitat fideles S. Cyprianus: *Præclara* aiens, *res & divina est, Fratres carissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salutare præsidium, munimentum* SPEI, *tutela fidei, medela peccati.*

ARTICULUS VII.

SIMILITUDO LATERUM

Quibus Operum Bonorum generibus potissimum conveniat.

QVÆ nam, dicat aliquis, sunt illa Opera, quæ, velut Lateres, Parietem-Spei constituunt? Varia reperiri in sacro Codice, sed primum locum obtinet, laborum in DEI caussa susceptorum Tolerantia: aut voluntaria calamitatum perpessio. *Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. tertio. Item, *si compatimur & conglorificabimur* ad Romanos VIII. Quæ ferè semper conjungit *S.* Paulus, ut ostendat tunc demũ *Murum-Spei* in nobis erigendum, cùm quis plurimos labores in patientiæq; lateres divinæ gratiæ nexu copulaverimus. Atque ita colligit ad Romanos VI. eos, qui Christi Patientiam imitantur, fore etiam beatitatis, & ejus glæriæ participes, ac sic firmiter sperare posse. *Si*, inquit, *complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus: Si autem*, paulo post repetit, *mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul vivemus cum Christo.* Et in altera ad Corinthios primo cap. *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Verissimum est illud: *Per multas operationes oportet nos intrare in regnum* DEI. Actorum XIV.

QVA

Qva de causſa cũ in Epiſt ad Hebræos idẽ Apoſtolus primos gẽtis ſuæ fideles collaudaſſet, ꝙ vinctis cõpaſſi eſſent, & rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiſſent, ſubdit *ad Hebr.* x. 35. *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem, ut voluntatem* Dei *facientes, reportetis promiſſionẽ.* Nolite, inquit, amittere confidentiã. Græca vox emphaſim habet, ἀποβάλητε: hoc eſt, ne abijciatis Spem & confidentiam, quam ex rebus fortiter geſtis, & malorum tolerantia: vobis, ut Murum firmiſſimum erexiſtis. Erat enim, ut commentatur S. Chryſoſtomus, magna eorum apud Deum confidentia, Græcè παῤῥησία. Cujus ſpecimen egregium Paulus ipſemet præbuit, quãdo ſcripſit ad Timotheum: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus, ſecundæ ad Timoth.* IV. Tum ſubnectit in epiſtola ad Hebræos: *Patientia vobis neceſſaria eſt*, Græcũ ὑπομονῆς, cujus loco Latinus Interpres ponit *Patientia*, non tantùm malorum tolerantiam ſignificat, ſed patientem expectationem, quando Spe præmii duramus in malis, & nos rebus melioribus ſervamus.

ARTICULUS VIII.

Lateres Patientiæ

Quo-nam Igne coquantur.

Dvm modum exædificandi *Parietem lateritium Spei* exponit, tãquam Sapiens Architectus, Paulus Apoſtolus, præmittit, ſe in rerum adverſarum tolerantia,

seu tribulationibus gloriari potius, quàm fatigari ac frangi, tum ita differit, causſam ejus reddens, ad Roma nos v. *Scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò Spem.* Qua gradatione quæ, meo judicio est accurata admodum, ostendit, quo modo supremus Architectus in hominibus Parietem Spei erigit. Nam primùm operationes humanas vehe terram argillosam igne coquit. Quis ille Ignis? Tribula tio, quam appellari ignem in divinis litteris notissimum est. Sic interpretamur illud: *Transivimus per ignem & aqu & eduxisti nos in refrigerium.* Psal LXV. Et, *Cùm ambulave in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te,* Isaiæ XLIII Illud etiam: *Liberasti me à pressura flammæ, quæ circumde me, & in medio ignis non sum æstuatus,* Ecclesiastici LI. Ha modo Tertullianus libro IV. contra Marcionem expo nit illud Christi D. *Lucæ* XII. 49. *Ignem veni mittere in ter ram, & quid volo, nisi ut accendatur?* ut ignis afflictiones resque adversas significet. Nimirum, præmunire vole Christus Discipulorum animos ad ferendas fortiter per sequutiones, quo animo magis æquo eas ferrent, dicit seipso mittendas esse, id est, suo permissu, & propter *Ignem veni mittere in terram*: nempe, me conscio, & no impediente, quod vobis in bonum cedat, tribulationes obvenient. Id aliis verbis repetit Dominus eodem ca inferius: *Putatis quia veni pacem dare in terram: non dico vob sed separationem.* Et Matthæi X. *Non veni pacem mittere s gladium.* Tam autem separatio, quàm gladius, denotan Tribulationem, cujus sunt symbola.

TRIBULATIO igitur, dum patientiam operatur, u architectonicè loquar, ignis lateres coquit, ad Spei Murum extruendum. Nam tribulationem patientiam operari, non est aliud, quàm patiendi desideria, & animi destinationem ad quidlibet ferendum durare, ac velut

in

in Laterem, qui non frangatur, ignis virtute cœlestis cogere. Et observate hic, quæso vos. Quemadmodum idem ignis lutosam terram indurat, & facit laterem, ceram verò, ac metalla dissolvit & facit mollia; ita Tribulationem eandem à DEO in ossa mortalium immissam, pro diversa conditione hominum, indurare, & mollia efficere: patientiæ & impatientiæ effectricem: bonis robur fortitudinemque addere, malis diffidentiam timiditatemque generare. Notavit hoc discrimen S. Bernardus epistola XXXII. ad Abbatem S. Nicasii, in quâ gradationem gradationi opponens, *sicut Sanctis*, inquit, *& Electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio Spem: Spes autem non confundit; sic, damnandis è contrario, tribulatio parit pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem*: desperatio autem *interimit*.

JAM verò, Patientiæ Lateribus excoctis, dum unum patiendi actum alteri aptè nectit Architectus Christianus, ostendit imprimis, quantum in fidei documentis profecerit, tum demonstrat animi robur ac fortitudinem. Atque ita Patientia dicitur gignere probationem, dum patientia rerumque adversarum tolerantia probitatem, constantiamque viri declarat. Ita ferè V. Beda, (a) qui *Patientia*, inquit, *probationem operatur, quia ille, cujus patientia non vincitur, perfectus est, & probatus*. Rursus, Probatio Patientiam operatur, quia facit fideles per patientiam exerceri & per hoc fides ipsorum quàm sit perfecta probatur. Sic tandem longa patientiæ exercitatione Spei Murus constituitur. Siquidem *probatio operatur Spem*, inquit S. Anselmus, (b) *quia unusquisque ex eo, quod per tribulationes insuperabilis probatus est, incipit habere* Spem, *id est, certitudinem divinæ gloriæ, quæ humanæ rationi vana videtur, sed testimonio virtutis firmatur*.

(a) Tomo V. in fine. (b) S. *Anselm. in c. 5 epist. ad Rom.*

ARTICULUS IX.

LATERES SYMBOLICI

Humilitas, Firmitas, Varietas.

Ad Parietem Spei erigendum adhibendi.

S. BERNARDUS in libello moralium sententiarum tria Laterum genera ad Spei Murum perficiendum congerit: *Spem*, inquiens, *nostrã triplex ratio discutit & roborat.* Humilitas *collatæ Sapientiæ*: Firmitas *constantis patientiæ*: Veritas *inspirationis occultæ*. Ex quibus & similibus, quomodo Spes concipiatur, & roboretur, seu Spei Murus constituatur, multis eleganter deducit. At verò, S. Gregorius exponens officium sedulí in Ecclesia operarii, de quo dici potest, quod est Jobi VII. *Sicut dies Mercenarii dies ejus:* Ita disserit de hoc ipso argumento lib. VIII. Moralium. Electus *quisque vitam suam, quasi* dies Mercenarii *pensans, tanto fidentius Spe tendit, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum. Qui si discursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat: ne à labore vacua transeant vitæ momenta formidat. Adversis gaudet, passione reficitur, mœrore refovetur: quia subsequentis vitæ præmiis, tanto se remuneranti largius conspicis, quanto pro amore illius quotidianis mortibus verius impendit.* Hinc namque est, quod cives supernæ patriæ Conditori ejus Psalmistæ vocibus dicunt: (*a*) *Propter Te mortificamur tota die.* Hinc S. Paulus: (*b*) *Quotidie morimur propter vestram gloriam* Fratres. Hinc iterum dicit: (*c*) *Ob quam caussam hæc patior: sed non confundor: Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare illum*

(*a*) Psal. 43 (*b*) 1. Corint. 15. (*c*) 2. ad Timoth. 1.

illum diem. Sancti igitur Viri, quot labores nunc Veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis pignora inter SPEI CUBICULUM clausa tenent.

ARTICVLVS X.

SPES MVRVS ÆREVS.

Æs bona Conscientia. Æs solidum, durum, incorruptibile.

AD SPEI Parietem erigendum non *Lapides* solùm & *Lateres*, verum etiam *Æs* adhibetur: est enim is parte aliquâ *Æreus*. Qualem Murũ nominat Sacer scriptor Jeremiæ 1. *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & Columnam ferream, & in Murum æreũ.* Quod-nam illud Æs? *Bona Conscientia*, quæ vel ipsa sola Murus æreus dici potest.

Nil conscire sibi. nulla pallescere culpa.
Hic Murus aheneus esto.

Si quid autem est, quod Parietem Spei firmat, est BONA CONSCIENTIA. *Si cor nostrum*, inquit B. Joannes, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad* DEUM. Bona Conscientia cum fiduciâ Murum componit. Unde S. Augustinus præfat. in Psalmum XXXI. *Quomodo mala Conscientia tota in desperatione est, sic* BONA Conscientia *tota in Spe. Et sunt tria hæc, de quibus dixit Apostolus, Fides, Spes, Caritas.* Alibi tria etiam nominat, sed pro Spe Conscientiam Bonam ponit: ille enim sperat, qui Bonam Conscientiam gerit. *Finis enim præcepti est Caritas de corde puro & Conscientia bona.* Quem autem pungit mala conscientia retrahit se à Spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; & ut habeat bonam conscientiam, credat, & operetur: quia quod credit fidei est, quod operatur, caritatis est. Et

quo-

quoniam *Bona Conscientia* nascitur ex bona vita bonisque operibus, postquam B. Joannes dixit, Epist. 1. cap. 3. *Si cor nostrum non reprehendit nos*, fiduciam, παῤῥησίαν, habemus *ad* DEUM; subjungit: *Quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus.* Simili modo Paulus Apostolus Bonæ Conscientiæ bonam vitam copulat, in alterâ ad Corinth. 1. cap. *Gloria nostra hæc est, Testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate, & sinceritate* DEI, *& non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.*

Ex hoc Laterum genere parietem Spei extruxerat Sapiens mulier Susanna apud Danielem, quæ cùm de adulterii crimine castissima accusaretur, Danielis XIII. flens *suspexit in cœlum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.* Et, cùm duceretur ad mortem, exclamavit voce magnâ, & dixit: DEUS *æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant; Tu scis quia falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior.* Sed non deservit sperantem in se Dominus. nota est historia.

ARTICULUS XI.

MURI EX SALE.

Quomodo materia similis ad Parietem Spei adsciscatur.

MUROS alicubi è Sale constrúi à fide dignis auctoribus refertur. Certè, Plinius lib. XXXI. naturalis historiæ cap. VII quod inscribitur, *De generibus Salis*, Carthaginem inquit, *Arabiæ oppido, muros domosque maßis Salis faciunt aqua ferruminantes.* In qua re illud mirum animadvertendum quod cum Sal aqua dissolvatur, in muris illis confirmetur solidius. Quod probat etiam diligens Scriptor Isidorus.

dorus *lib.16.c.2.* De Hamnianiensibus quoque, qui undecim diebus à Syrtibus majoribus incolunt scribit Plinius: Domos sale montibus exciso, seu lapide, construũt: id etiã confirmant alii. Ad Parietem-Spei extruendum massæ salis plurimum conducunt. Sale multa significantur Divinis litteris : hæc præcipuè. I. VERBUM DEI, quod, veluti SAL, rebus corruptibilibus tribuit quandam incorruptionem : quod est condimentum omnis doctrinæ: & quo mens humana suavius, quàm quibuslibet epulis saginatur. Quid autem adeò *Spem* firmat, quàm VERBUM Domini pollicitationibus de æterna nobis vita pleniſſimum ? II. *Sale*, *Gratia* indicatur. Ita Origenes homilia VI. in Ezechiel. Hinc qui gratia sunt præditi, dicuntur sale saliti, quasi gratiosi, Ezechielis XVI. Et proverbialiter etiam apud profanos dicitur salsus, gratiosus: insulsus, qui gratia destitutus. *Sal* Gratiæ divinæ humorem peccati noxium desiccat. *Sine* hoc autem nulla pars Parietis-*Spei* consistit. Refert Albertus M. libro de Aquatilibus, cap. de cocleis, Limacem, *Sale* super eum projecto totum ferè liquescere, & in aquam viscosam converti. Limax hominem terræ affixum, aut luto immersum symbolicè denotat, cœlestia minimè curantem, qui cum Gratia DEI *Sale* divini Verbi, in ejus supremam partem, mentem videlicet, sparso, tenerescit, & in aquam, lacrymis sæpe erumpentibus, quibus DEUS, ut visco capi solet, convertitur. III. *Sal*, Pœnitentiæ, Paupertatis, Humilitatisq; sunt symbola : hæc enim accommodatè per *Sal*em exprimuntur. *Pœnitentia*, quia carni molesta, & acris, incorruptionem caussat. *Paupertas*, quia salem & cuminum pauperes esitant, ex veteri proverbio, & usu communi. Constat etiam sale, salillo, & tenui salino frugalem victum indicari. *Sic* dicitur pauper salem lingere; vel salinum regustatum digito terebrare,

brare, ut lusit Persius. Denique decantatum est illud, περὶ ἅλα καὶ κύμινον, *juxta Salem & cuminum*, quæ pauperti-morum sunt epulæ. *Humilitas*, seu vilitas: ita sal emptum mancipium dicitur, tum ob vilitatem, tum ob contemptibilitatem. Omnia autem hæc mirificè conducunt ad Murum-Spei erigendum. Si mundo sis contemptibilis, si voluntariè humilis, vilisque, si pauper spiritu, si pœnitentiæ deditus, spera in Domino, ipse te enutriet, & ad regnum cœlorum perducet. IV. Sal item Prudentiã denotat, & Discretionem, quam necesse est salire omnia Christianorum opera. *In omni oblatione tua offeres Sal*, inquiebat Deus, Levitici secundo: id est, discretum sit & rationabile obsequium ac sacrificium. Nec displiceat gravissimorum quorumdam auctorum mystica expositio, Statuam salis, in quã mutata fuit uxor Lothi, prudentiæ fuisse figuram, qua ipsa caruit. (a) V. Denique, Sal Christi est imago symbolica. Christus verus est Sal sine quo, seu meritis illius, oblatio omnis Dei est insulsa & insipida. Itaque, haud ineptè dixerit quispiam ex istiusmodi massis Salis, Parietem-Spei adstruere. Si tamen aqua quadam ferruginentur, qua natant illa? Demonstratum est aliàs, Aquam in sacris nostris significare mysticè S. Spiritum, & ejus gratiam: hac salsi isti lapides non consumuntur, sed conglutinantur, firmanturque.

(a) Philo lib. de sacrif. Ruper. in Levit. cap. 10. Gonzalez de Medis tract. de Sale Delrius tom. 1. Adag. 109. Maiolus Colloq. 18.

ARTI-

ARTICULVS XII.

Muri Ex Glacie

A quibus-nam conſtruantur.

DIVERSAM ab hactenus nominata ad Muros materiam Aquilonares adhibent: conſtruunt enim parietes ex glaciei fragmentis, ea ratione formaque cõpactis, quibus marmora componuntur, Olao teſte: ſicut enim, inquit, bello terreſtri foſſæ ac valla fiunt ab iis humo lignis congeſtis, ita glaciei fragmentis mari conſtituuntur. Sed ô futile munimentum! quod ad radiorum ſolarium repercuſſum ignisque odorem liqueſcit. Heu quam multi Aquilonaribus ſimiles Parietem-Spei ſuæ ex glaciei fragmentis cõſtruere conãtur. Nimirũ, qui in operibus omni Caritatis calore deſtitutis & malitiæ frigore congelatis Spẽ fiduciamq; ſuam collocant: qui gloriantur in peccatis, qui gaudent cum malè fecerint, qui exultant in rebus peſſimis. Sed murus iſte ad Solis Juſtitiæ conſpectum, ut glacies liquefit ac diffluit.

(a) *Olaus lib.* 11. cap. 20. & 21.

ARTICULUS XIII.

Paries-Spei Ex Luto

A quibus conſtruatur.

REPERIUNTUR nonnnulli, ſed imperiti planè Architecti, qui ex mero luto, neque ſole neque igne dura-

durato, Parietem-Spei suæ exædificãt. Hirundines quidem naturæ instinctu ac magisterio nidos luto conficere sæpe aspexi, nunquam domum ad inhabitandum luto conflare posse audivi. Videmus & ridemus ociosos adolescentes, hieme, dum densa nix ad cubiti altitudinem adsurrexit, propugnacula ex globis niveis & turriculas extruere, quæ vix sunt diariæ, & Sole lucente, vel tepescente aura, aut imbre cadente dissoluuntur. Hisce similes sunt, qui Spem suam ædificant ex operibus à se tantùm profectis, nullis divinæ Gratiæ radiis, nullo caritatis calore firmatis. Quicquid enim à nobis ita provenit, luteum est, vilius luto & fragilius. Ita ædificabant Pelagiani hæretici, quorum error erat, non indigere hominem transnaturali Gratiæ auxilio ad opera vitæ æternæ meritoria producenda.

Alio titulo eandem imperitiam in ædificando, aut puerilitatem nobis impingunt hujus temporis sectarii. Cùm enim ipsi doceant, Spem fiduciam-ve Christianani in bonis operibus qualibus-cumque constitui non posse; audiant autem Catholicos, quos vocant Papistas, Spei suæ Parietem præcipuè quidem è quadratis Meritorum Christi saxis, tum ex aureis divinæ promissionis laterculis, denique ex bonorum operum lateribus erigere, popello persuadent, nos, Hirundinum instar, imperitè ex luto ædificare. Existimant enim, opera quæ nos dicimus bona, & ut Lateres divinæ Gratiæ ignes coctos ad structuram habemus, nihil esse aliud, quam meras sordes, fimum, lutum aut si quid est vilius. (a) Ita disertè Calvinus hæresiarcha, cujus istud est pronunciatum: Omnis opera hominis, etiam in Dei gratiam receptí, & sanctificati, esse peccata lethifera. Sic enim loquitur libro tertio Instit. (b) *Habemus ne unum à Sanctis exiné*

(a) Bellarm. lib. 5. de Iustif. cap. 7. Valentia 2, 2. disp. 2. q. 1. p. 1. (b) Cap. 14. §. 4.

exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrij mercedem. Putat igitur omnia justorum opera, si secundum naturam suam spectentur, damnationis metcedem mereri: nã mox subdit: *Duobus his fortiter insistẽdum: nullum vnquã extitisse pii hominis opus, quod si severo Dei judicio examinaretur, non esset damnabile. Adhæc, si tale aliquod detur (quod possibile homini non est) peccatis tamen, quibus hominem laborare certum est, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.* Quocirca alibi reprehendens Petrum Lombardum, quem Magistrum sententiarum vocant, quod scripserit, Spem gigni in nobis ex Gratia Dei & meritis præcedentibus: *Quis*, inquit, *non meritò tales bestias execretur?* At quam sit vera Catholicorum de bonis operibus, quam falsus sectariorum de iisdem error propriis locis demonstramus.

(a) *Lib. 3. Inst. cap. 2. §. ult.*

ARTICVLVS XIV.

Ex Pennis Cev Pygmæi

Parietem Spei erigunt Præsumptuosi.

DE Pygmæis mira refert Plinius (*a*) inter cetera, Spithamæos esse, ternas spythamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes haud excedentes, salubri cœlo, semperque vernante in montibus ad Aquilonem oppositis degere. Eos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, insidẽtes arietum caprarumque dorsis, armatos sagittis, veris tempore, agmine composito ad mare descendere & ova pullosque alitum maritima-

(a) *Plin. lib. 7. cap. 2.* (b) *Iuuenal. Saty. 13. Quorum tota cohors pede non est altior uno.*

timarum consumere. Ad Architecturam quod spectat, casas sibi ex luto, pennisque, & ovorum putaminibus construere. Pygmæos imitantur, quibus pennæ seu plumæ sunt materia, è quâ Parietem suum erigunt. Superbiæ vanitatisque meræ illa sunt symbola. Itaque penna ædificant, qui in operibus superbis gloriantur, ac prorsus de se de præclarè gestis jactant, & fiduciam omnem suam in externis quibusdam virtutum officiis, actyphi arrogantiaque vitiatis. Dicunt fastu Pharisaico: Non sum sicut ceteri hominum: jejuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo.

Ille ego qui quondam. ----

ARTICULUS XV.

Ex Ovorvm Pvtaminibvs

Spei-Parietem exstruunt Hypocritæ, Simulatores, Dolosi.

Nonnvlli cum Pygmæis simili utuntur materia, illi nimirum, qui externa quadam pietatis specie fallunt oculos; qui faciunt foris multa, quæ videntur bona, sed intus medullam non habent; cortice pulchri sunt, sed cassa nucleo. Opera exteriora sunt veluti cortex circa fructus, putamen in ovis, quæ, si intus sit vitellus, aut luteum, ut nucleus, alicujus sunt precii; at, desunt ista, sunt mera purgamēta, quisquiliæ, peripsema. Haud secus, orare linguâ, jejunare stomacho, peregrinari pedibus, corpus macerationibus affligere, invitem hospi-

hospitalia; adire carceres, & similia virtutum officia, si cum pietate interna, cum desiderio DEO placendi, cum sincero affectu misericordiæ, Caritatis, & religionis sint conjuncta, atque ex iis proficiscantur, alicujus sunt precii ac emolumenti, perficiunt opera interiora, augent, ornant. At verò, si tantùm sunt exteriora, & corporis quædam functiones, quæ prava intentione exercentur, ac vitiantur, nullius sunt meriti, & velut putamina inferorum sterquiliniis deputantur. Ex iis tamen Spei suæ Casam ædificant, ut ridiculi Pygmæi Hypocritæ, & in iis fiduciam suam ponunt. Æstimate quàm sint tuti, quos Murus ex ovorum putaminibus cingit!

ARTICVLVS XVI.

PARIES CRATITIVS SPEI

Quomodo conficiatur ex Arundinibus à Mundanis.

ITA appellat parietem Architectus ex Vitruvio, (a) qui ad similitudinem cratis, ex arrectis transversisque cannis, arundinibus, aut perticis componitur. Certè, inveniuntur non pauci, qui Spei suæ Murum faciunt Craticium, dum Spem suam omnem ponunt in hominibus, qui sunt arundine cannaque magis mobiles, & fragiliores baculo arundineo. Hos Architectos, ut insipientes habet, ac detestatur DEUS, cujus illud est effatum Jeremiæ XVII. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cùm venerit bonum: sed habitabit cum siccitate in deserto, in terrâ salsuginis, & inhabitabili.*

(a) *Paries Craticius ligneis craticibus, aut canniu, in modum cratis intertiu constat.*

Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas: quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit, cùm venerit æstus. Et erit folium ejus viride: & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

Quod dixit quondam Rabsaces Assyriorum Regis legatus, idem cuilibet ex Architectis accini potest: (a) *In quo confidis, ut audeas rebellare? An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto? Super quem si incubuerit homo conminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam. Sic est Pharao Rex Ægypti* (homo quilibet, quamvis Princeps Regum terræ) *omnibus, qui confidunt in se.* Et quoniam in Ægypto Spes suas collocabant Judæi, minabatur Deus etiam Ægypto Ezechielis xxix. *Pro eo, quod fuisti baculus arundineus Domui Israël, ecce ego adducam super te gladium.* Itaque baculis arundineis & fragilibus cannis Spei Paritem extruunt, qui in hominibus Spem suam collocant. Convenit horũ parietibus, quod de Craticijs censet Vitruvius: *Craticii*, inquit ille, *vellem ne inventi quidem essent* ob rationem superius allatam. Utinam nunquam inventus esset Paries confidentiæ ex fragilibus Spei humanæ arundinibus constans. Celerrimè quidem construitur, & laxissimè se extendit: nam facile quis in divitem magnate, Principe Spem suam collocat? Sed quàm facile etiam invidiæ, iracundiæ, malevolentiæ flammis absumitur? Itaque reiicit, & reprobat hoc parietum genus Architectura sacra, cujus magistri idcirco reprehendunt sperantes in homine, in carne, aut semetipsis, & docent sæpe, in solo Deo esse sperandum.

Libro secundo Paralipom. xvi. *In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asa regem Iuda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino* Deo *tuo, idcirco evasit*

(a) Lib. 4. Reg. 18, 21. Isaiæ 36. 6.

evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Totus est in hoc argumento Rex David Psalmo XLIII. Quàm illa ad rem hanc præclara! *In Te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus nō salvabit me. Exsurge Domine, adjuva nos & redime nos propter nomen tuū.* Et Ps XLVI. *Nō in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum êrit ei.* Quid Ieremiās cap. XVII. ex instinctu Omnipotentis? Maledictum pronunciat, qui confidit in homine: & Benedictum, qui confidit in DEO. Quæ Patres diligenter perpendunt: disertè S. Augustinus epistola quinquagesima secunda, & D. Chrysostomus homil. LVI. in Genesin, & in Psal. CXVII. ubi illud: *Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in in principibus*, dicit non esse accipiendum cōparativè, quasi aliquo modo sit bonū sperare in Principibus; sed Scripturam suo more ad faciliorem rudium captum, significare, simpliciter malum esse, sperare in homine etiam Principe.

ARTICULUS XVII.

SPES IN HOMINE

Aut in Creatura, An, Quando, Quomodo licita.

ERGO, dicis, nullâ ratione sperandum est in homine? nullū ab eo postulādum auxiliū? Conficietur inde, neque ad Cœlites confugiendū in necessitatibus, neque in bonis operibus Spem locandam? Animadvertit hæc obduci posse S. Thomas Aquinas qui respondet. *Vti non licet sperare aliquod bonum, præter* DEUM *& beatitudinem, sicut ultimum finem, sed solùm, sicut id, quod est ad finem beatitudinis ordinatum; ita non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua*

creatura, ſicut de prima Cauſſa movente in beatitudinem. Addit autem, *Licet tamen ſperare de aliquo homine, vel creatura, ſicut de agente ſecundario, & inſtrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona conſequenda in beatitudinem ordinata.* Breviter. Non licet ſperare in homine, aut aliâ creaturâ, tanquam in Prima Cauſſa movente ad beatitudinem, ſed ſolum, tanquam in agente ſecundario, atque inſtrumentali. Ex quo conſequitur, *Primò*: Poſſe juſtum, & fidelem quemcumque in bonis operibus Spem & fiduciam aliquam collocare, modò abſit præſumptio, & ſuperbia. Nam quemadmodum miſericordia DEI, ita & bona operum merita ſunt vera ſalutis cauſſa: licet autem confidere in omni vera cauſſa, quæ ad finem optatum ſperatumque conſequendum noſcitur idonea. Exemplo id patet in rebus corporalibus. Siquidem ægrotus rectè confidit, non ſolùm in arte ac induſtria Medici, ſed etiam in virtute & efficacia medicamentorum. Atque hoc non tam eſt confidere in homine & propria virtute, quàm in eius qui virtutem contulit gratia, & ſumere noſtra, in DEO, cujus munera ſunt bona opera. *Secundò*, licitum eſſe, ut in operibus bonis, ſic in proximorum auxiliis Spem aliquo modo ponere, cum ſubordinatione ad Deum, ut ſalutis cauſſam principem. Ex quo ſequitur. *Tertiò*, fas eſſe, in Sanctis, ſive eorum precibus & interceſſione Spem eadem limitatione ponere. Nàm vera Sancti poſſunt hominibus eſſe auxilio ad conſequendam beatitudinem: poteſt igitur idipſum ab illis poſtulari, poſſunt id homines ſperare.

QVARE poſſunt fideles in neceſſitatibus ſuis ad aliquem Sanctorum ſe convertere, ut eſt Jobi v. capite. Quod conſilium Eliphazi videtur ſequutus Iob ipſe cap. XIX. ubi ſupplex in hæc verba prorumpit: *Miſerimini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* In quæ verba ſcribit

S. Augu-

S.Augustinus,videri Patientem Angelos postulare, ut pro se deprecentur:aut certè Sanctos,ut pro pœnitente orent.Idem Sanctus Doctor Sermone XVIII de Sanctis Reginam Sanctorum omnium ita alloquitur:*Tu es* SPES *unica peccatorum:per Te speramus peccatorum veniam: & in Te, Beatissima,nostrorum est expectatio præmiorum.* Sanè,cùm inter omnes Sanctos emineat DEIPARA, quæ Sanctum-Sanctorum peperit, non dubitavit Ecclesia Catholica in Antiphona *Salve Regina* illi dare titulum, quem quotidie usurpamus SPES *nostra.* Quomodo eam vocat B.Ephræm oratione de laudibus Virginis, & alii Ecclesiæ tum Græcæ,tum Latinæ Patres,idq; sine DEI vel Christi Domini injuria. Quomodo Apostolus absque injuria Christi vocavit Thessalonicenses *Spem suam, Gaudium suum,* Gloriam suam. Injuriam Christo haud quaquam intulit deditissimus Virgini Bernardus, ita de illa scribens:Serm.de Aquæductu. *Filioli,hæc peccatorum* Scala,*hæc mea maxima* Fiducia *est:hæc tota ratio Spei meæ.*

QVOD autem Propheta Ieremias dixit:*Maledictus vir qui sperat in homine,* intelligendũ est de eo,qui potissimam suam Spem in homine collocat,ut in Domino Deo suo nulla ratione confidat. Sic enim subsequitur:*Et à* DEO *recedit cor ejus.* At verò,qui piè,& vt Sancta mater Ecclesia docet,& in Sanctis, ac Sanctorum Regina confidunt,principaliter,directè,ac potissimùm confidunt in DEO. Quare nos meritò cum Ecclesia illi quotidie acclamamus,*Salve* SPES *nostra,* Spes instrumentaria, accidentaria,accessoria:nam primaria,princeps, substantialis est DEUS Pater, Filius, Spiritus-Sanctus DEUS Vnus & Trinus,cui laus,honor,gloria in secula seculorum. AMEN.

(***)

SERMO III.

MENSVRÆ

Parietis Spei.

DIsservimus hactenus de Parietis Spei materia, & extructionis modo, nunc de mensuris ejusdem, aliisq; conditionibus spectantibus pertractandum est.

ARTICULVS I.

ALTITVDO

Parietis Spei.

EAVDANTVR imprimis Parietes, seu Muri ab *Altitudine*. A qua celebratissimi fuerunt apud veteres Muri Babylonii, quorum altitudo erat pedum ducentûm. Superavit hanc Altitudinem murus in substructione templi Jerosolymitani à Salomone erectus; fuit enim altitudin s pedum mille & quadraginta octo. (a) Sed quid hæc ad altitudinem Parietis-Spei, quæ usque ad Altissimum pertingit, usque ad DEUM elevatur? Spes enim in DEUM tendit, & per illam beatitudo attrahitur. Hinc ad Hebræos VI. dicitur *Spes incedere*, id est, elevari & pe-

(a) *Vilalpand. Tom. 2. lib. 5. disp. 4. cap. 61.*

& penetrare *usque ad interiora velaminis*, nimirum, in cœlum beatorum, ubi DEI vultus, nobis tanquam velo obductus, clarè cernitur. Vt explicat ipse Apostolus cap. IX. ejusdem epistolæ. Alibi autem penè semper, Spem cum gloria conjungit. Ad Titum secundo, *Expectantes beatam Spem, & adventum gloriæ magni* DEI. Et cap. tertio, *In Spem vitæ æternæ*. Ad Romanos V. *Gloriamur in Spe gloriæ*; cap. VIII. *Spe salvi facti sumus*. Ad Ephesios I. *Vt sciatis, quæ sit Spes vocationis vestræ, & divitiæ gloriæ hæreditatis.* (a) Unde probant Theologi, Spem esse Virtutem Theologicam, quia immediatè DEUM ipsum attingit. Profectò, altissimus est murus, qui ipsos cœlorum orbes penetrat, & solium Gloriæ DEI attingit.

OB hanc etiam caussam, dicimur, in Domino habere fiduciam: confidendum in Domino: Dominum esse Spem nostrã: quæ omnia indicant, Parietem-Spei rectà ad DEUM Altissimum esse dirigendum. *Dominus*, inquiebat Rex David, *firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus*. DEUS *meus, & Adjutor meus, & sperabo in eum. In Te confidit anima mea*. Idem fuit sensus ejus filii Salomonis, qui ita monebat: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo*. Et Ecclesiastici adhortantis: *Confide in Deo, & mane in loco tuo*. Ieremiæ quoque bene precantis, *Benedictus vir qui confidit in Domino*. Pia est illa S. Bernardi contestatio: *Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus Mihi adhærere* DEO *bonum est: ponere in Domino Deo meo Spem meam.*

(***)

(a) *Spes virtus Theologica. S. Thom. 2, 2. q. 17. alt. 5. ubi Bannez Valentia, Malderus.* (b) *Psal. 17. 3* (c) *Psal. 56. 52* (d) *Prov. 3. 5.* (e) *Ecc. 11. 22.* (f) *Ier. 17. 7.*

ARTICULUS II.

LONGITVDO

Parietis Spei.

ALTERA, Parietem vel Murorum commendatio sumitur à *Longitudine*: oportet autem Spei Murum esse longissimum, cum quo nullus conferri possit nullius terreni ædificii. In historiis quà sacris, quà profanis nominantur muri hoc nomine celeberrimi. *Antiochus* integram regionem Margionem circumduxit muro perpetuo, atque in ejus complexu Antiochiam quoque ædificavit. Erat autem muri ambitus stadiorum mille quingentorum, id est, propè ducentorum millium passuum. (a) *Milciades* Dux Athenienſium alium erexit, qui à Straeva urbe, quam μακρὸν τεῖχον vocabant incipiebat, supra fidem ingens, usque ad sinum Malicum, excludebatque Chersonesum à reliqua Thracia. (b) *Cæsar* in Germania Murum ædificari jussit à Lacu Lemano ad montem Jouram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit. (c) *Adrianus Imperator* in Britannia Murum extruxit per octoginta millia passuum, qui Barbaros Romanosque disterminaret. (d) *Severus* in eadem regione alium murum centum & triginta millium passuum longitudine, à mari scilicet ad mare produxit. (e) His antiquiores *Carthaginienſes* Murum sexaginta stadiorum constituerunt ad urbis tuitionem in Isthmo: nihilominus deleta est ipsa cujus ambitus erat xx passuum millium. (f)

AT

(a) *Strabo* lib. 11. (b) *Lud. Vives lib. 15. de Civit. c. 27.* (c) *lib. 1 de bell. Gall.* (d) *Spartian. in Adr.* (e) *Oſorius* lib. 7. c. 17. (f) Oſor. lib. 4 cap. 21.

Ar ſuperarunt hos omnes & alios quoſcumque Babylonii ac Sinenſes. Et illi quidem inter Orbis miracula recenſentur : habebant autem in longitudine trecenta & octoginta ſtadia:(a) nimirum , milliaria circiter quadraginta octo: tantoperè autem urgebatur opus, ut unũ quotidie ſtaduum abſolveretur, omnia penè intra unius anni circulum. Altitudo erat pedum ducentum : latitudo quinquagenum , ut quadrigæ ſibi occurrentes non offenderentur: ædificati ſcribuntur à trecentis operariorum millibus. *Sinenſes* verò inſanis ſumptibus ſtruxerunt Murum longiſſimum , quo à Tartaris dividerentur. Is etiamnum quingentis leucis eſt oblongus, id eſt, ad duo millia miliarium Italicorũ, latus pedes quatuordecim, ac totidem altus , jungens montes montibus ad Leucas octoginta. Hunc Murum in tantam porrigi longitudinem , ut menſtruo intervallo integro ad illius finem nemo valeat pervenire, ſcribit Malacha Melchior Nunnez; ſicque deprehendatur murus ille unicus propè decies centum millia paſſuum protendi longitudine. Certiora referunt recentes Sinarum hiſtoriographi.(d)

Longi profectò, Latique ſunt hi Muri , & ad ſtuporem Europæorum. Sed non pertingunt ad Longitudigitudinem Latitudinemque Muri illius , quem Spei dicimus. Qui tam eſt longus, ut nemo mortaliũ, quamvis vitæ maximè diuturnæ, & ambulatoriæ ad ejus terminum pervenire debeat. Mundus obambulari poteſt, & quod-nam non, quamvis longiſſimum ſpacium? Murus Spei ſemper ulterius extenditur. Poſtquam in illo tribus , quattuor, decem , immò centum annis paſſus promoveris , infinitum ſemper reſtabit quod perficias. Dicam hoc clarius. Ejus conditionis eſt Spes , ut dum vita

(a) *Diodor. li* 3. *Strab. l.* 16. *Iuſtin. l.* 1. *Herod. l.* 2. *Solin. c.* 60. (b) *Nunnez. de reb. Sinar. To.* 2. (c) *Maiol. Tom.* 1. *Colloq* 23. (d) *Riccius. Trigautius. Iarrus.*

vita supereſt, ſemper meo conſiſtere debeas, nunquam ejus orbitam relinquere : ſemper hoc in Muro currendum eſt Elegans mihi viſum eſt & utile ſymbolum cujuſdam, & ab omnibus uſurpandum: DUM SPIRO SPERO. Quamdiu halitus in ore ſupereſt, tam diu pede Murus Spei calcandus eſt.

ARTICULUS III.

LATITUDO

Parietis Spei.

EA non eſt ſolùm pedum quinquagenûm, ut Muri Babylonici, ſed tanta, ut cum Longitudine certare poſſit. Complectitur enim latitudine, quicquid tandem quam ad æternam vitam conducibile ſperari poteſt, ſive ſit cauſſa, ſive medium, ſive effectus: & quid ſic ſperari non poteſt? Bonum quodlibet creatum, & increatum. Bonum increatum eſt DEUS, & quicquid in illo bonorum omnium Oceano interminato continetur. Objectum enim Spei eſt Beatitudo ſive DEUS: nempe. Summum Bonum viſione & amore poſſidendum. Bona autem creata pertinent ad objectum Spei, quatenus conducunt ad DEI comprehenſionem, aut inde conſequitur; ſive naturalia ſint, ut ſanitas, robur, pulchritudo, eruditio, facultates, amicitiæ; ſive ſupernaturalia, virtutes, gratia, divini Spiritus chariſmata. Porrò, per ſe magis ſperantur ſupernaturaliä, quoniam per ſe conducunt, aut conſequuntur ad beatitudinem ſupernaturalem. Quæ verò ſunt ordinis naturalis, dum ſperãtur, induunt quadamtenus rationem boni ſupernaturalis, quia

boni-

bonitas finis, propter quã experiũtur, ſupernaturalis eſt. Quare rectè præſcribitur in Catechiſmo, *Spes eſt virtus divinitus infuſa, per quam certa cum fiducia, noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ bona expectantur.* Quæcumque enim ad æternam vitam referuntur, ſive ut cauſſa, ſive ut medium, ſive ut effectus, quamvis temporalia ſint, & inter ſublunaria numerentur, æternis jure accenſentur.

ARTICULUS IV.

RECTITUDO

Parietis Spei.

EST illa quoque laus Parietis haud minima, ſi ad normam rectiſſimè adſurgat: quod maximè ſpectandum in ejus conſtructione. Quare obſervet Architectus Chriſtianus, ut Spei ſuæ parietem erigat ad normam, ſitque rectiſſimus. Caveat ne inclinetur ad vana, ne deflectat ad illicita, ne, incurvetur verſus terram. Multi ſunt, qui ſperent, ſed non in Domino: fiduciam ſuam habent in vetitis artibus, commerciis, ſubſidiis: Hi dũ tentationibus oppugnantur, etſi non omninò ſtatim deſperent, tamen deſperabundis ſunt ſimiles; diffidentibus, quàm ſperantibus viciniores. Quod dum animadvertunt hoſtes noſtri capitales Dæmones, facillimè hominem invadunt, & animum, velut propugnaculum cui inhiant, occupant. Quando enim inclinatus eſt paries facillimè corruit, & totum ædificium ſubvertitur. Quo ſenſu Pſalmiſta dicebat: Pſal. LXI. *Quouſque irruitis in hominem, interficitis univerſi vos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ?* Nimirum, facitis ſicut hoſtes, qui, ut parietẽ incli-

inclinatum vident, irruunt, ut totus concidat: dum minatur ruinam Paries, hostibus est opportunum, ut ad terram deijciant: & sanè facile sine magno impulsu ruit. Quare frequens est similitudo apud Poëtas, à pariete, qui ubi facit inclinari, facillimè corruit.

Cùm cœpit quassata Domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit opus.

canebat quidam.

ARTICVLVS V.

FIRMITAS

Parietis Spei.

DEBET Spei Paries esse firmus. Qui sperat in Domino, eiusque auxilio non debet nutare, non vacillare, non moveri in hanc illamve partem, denique, non debet diffidere. Sperantem in Domino exclamare oportet cum Jobo: (a) *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Et cum Davide: (b) *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Et cum Paulo Apostolo. Certus sum, quia neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque creatura alia poterit nos separare à Caritate DEI, quæ est in Christo IESV (c) Ab hac firmitate laudatur, & quis alius credentium Pater Abraham, de quo Apostolus: (d) *Contra Spem in Spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, Non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam* DEI *non hæsitavit diffidentia.*

(a) Job XIII. 15. (b) Psal. XXVI. 3. (c) Rom. VIII. 38 (d) Rom. IV. 18.

dentia. Firmitas autem illa oritur, tum ex fundamentalibus duobus lapidibus, de quibus actum superius, Promissione Dei & Jurejurando divino, quibus nihil potest excogitari firmius: tum ex Nexu indissolubili lapidum, laterum, & æris Parietis ejusdem, de quo modo inquirendum est.

ARTICVLVS VI.

Nexvs
Æris, Lapidum, Laterum
Parietis Spei.

Tametsi in Ædificio *æs*, *lapis*, *lateres* conjungantur, nihilominus nisi interveniat quidpiam, quod firmiter copulet, non constituetur ad tutelam idoneus Paries, vel murus. Vulgo autem lapides lateresque calce nectuntur: olim etiam bitumine jungi solebant. Sed sumptosissimi Muri, maximè si fiant ex quadrato lapide, pro junctura habent ferrum aut plumbum: in quibusdam, quod in stuporem rapit, *Aurum* fuisse adhibitum invenio. De ferro plumboque constat ex Templo Salomonis, in quo maximi lapides parietum ferro fuerunt colligati. Sic enim scribitur 1. Paralipon. XXII. *Ferrum plurimum ad clavos januarum, & ad commissuras, atque vincturas preparavit David.* Quod dicitur, *ad junctura, & commissuras*, simplici voce in originali exprimitur, quam nonnulli, *Catenationem* vertunt, sed revera quamcumque conjuncturam designat, aut colligationem, qualis fuit lapidum in parietibus; qui cum sine ullo medio cæmento

copu-

copulati essent, ferreis vinculis intrinsecus cohærebant: exceptis meridionalibus, quos plumbo nexos, ne ferrũ australi vento corrumperetur suspicatur templi Jerosolymitani illustrator Villalpandus, in architectura profana sacraque versatissimus. De Auro exemplum est in Domo Cyri Persarum Regis, quam inter septem orbis prodigia numeravit Philostratus libro 2. qui *Auream* vocat: Æschilus verò χρυσεσίλβοις, auro fulgentibus compositam. Sed Cassiodorus lib. 15. *Auream* dictam insinuat, quod illigatis auro lapidibus constructa esset: nam Domum eam ait arte prodigâ factam, illigatis auro lapidibus.

Jam verò, Lateres, Lapidesque Parietis Spei, ne quid desit vel ad firmitudinem, vel ornatum, jungit *Ferrum* & *Aurum*: Ferrum Fortitudinis, Aurum Caritatis. De ferro sunt clarissima illa Prophetæ: (a) *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Idem alibi monet universos: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.* (b) Aureum eorundem vinculum esse Caritatem, habemus ex Paulo Apost. qui idcirco *Caritatem* vocat *Vinculum perfectionis*, id est, perfectissimum & nobilissimum. (c) Denique, satis constat, sine hoc nexu, cumulum operum, quantumvis excellentium, non esse, nisi luteam quandam congeriem. Addo, quod antea me dicere memini; Muros è salis compactos aqua ferruminari, & solidissimè necti. Aqua Symbolum est Sancti Spiritus, & Gratiæ ejusdem: hac salis Lapides, qui Parietem-Spei constituunt, conglutinantur, firmanturque.

Legendus Joan. Bap. Villalpandus, Tomo 2. par. 2. lib. 1. disp. 4. cap. 60. *Erant* (inquit) *commissuræ ita latentes, ut vix oculis percipi possent, & unus potius lapis è pluribus, quam plures con-*

(a) Psal. xxvi. 14. (b) Ps. xxx. 25. (c) Ad Coloss. 3. 14.

conjuncti viderentur. Nullum inter eos intercedebat connectendi causſa cæmenti genus: intrinſecus ferreis vinculis (exceptis meridionalibus, ne auſtrali vento ferrum corrumperetur) *conſtringebantur.* Conſulatur idem Scriptor de Menſuris Templi Salomonici, Tomo 2. à pag. 550. Et Pineda *de rebus Salomonis libro quinto* cap. 5. *nec non* Tirinus *in lib. Reg. & Paralip. ibidemqúe* Cornelius de Lap.

SERMO IV.

INCRVSTATIO

Parietis Spei.

CONSTRVCTO *Pariete, ne rudis maneat, Incruſtatione ornari ſolet: & tribus ferè coriis, ſeu cutibus obducitur. Prima parietis ſuperficiem æquat, auferendo ſcabritiem; ac vocatur* Primum Tectorium, *vel* Cruſta: *altera colorem aliquem addit: poſtrema demum pictura polit. Simile quid accidit in Pariete Spei.*

ARTICULUS I.

TECTORIUM

Parietis Spei.

TIMOR DOMINI.

SPEI Paries obducendus eſt, tanquam Tectorio primo, Timore Domini, qui aufert eminentias præſumptionis, & explet inanitates puſillanimitatis.

Certè, à Spe non debere abesse Timorem, docet Salomon Proverbiorum IV, hoc enunciato: *In Timore Domini fiducia fortitudinis: & filiis ejus erit Spes.* Ecclesiasticus etiam cap. XI. timentes nominatim ad sperandum exhortans: *Qui timetis Dominum sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Iterum cap. XV. *Oculi Domini ad timentes eum.* Confirmat idipsum S. Augustinus Sermone XV, ad Fratres in Eremo, ita illos alloquens. *O Spes! tu omnia portare facis dulciter & suaviter. Eia ergo, fratres, hanc amate, hāc tenete, nō tamen sine Timore. Quia qui sperat, nō timet, negligens est: qui autē timet, & nō sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* S. Bernardus quoq; Sermone VII. in Cantica, agens de osculo duorum pedum Domini, docet, Timorē Spei esse copulandum: esse autem etiam periculosum, si sejungantur. Nam *recordatio solius judicii quæ Timorem parit, in barathrum desperationis præcipitat: & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Immò, tam est cognatus Spei Timor, ut præclari in Architecturâ Magistri idcirco ipsum Timorem appellaverint Murum. Disertè S. Chrysostomus homilia XV. ad populum: *Timor nihil est aliud quàm* Murus, *& munimentum, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multæ sunt ubique insidiæ.* Et S. Cyryllus lib. Secundo in Isaiam Prophetam: *Tenendum est, animam Dei Timore velut* Muro *obseptam fortem esse, & quodammodo invictam & vires eorum, qui manus cum ea conserunt, expugnari.*

ARTICULUS II.

CRVSTA

Parietis Spei.

LONGANIMITAS.

ALTERA Incrustatione obducitur Spes-Paries Longanimitate. Spes quæ differtur, affligit animam: ne omni-

omninò deijciat, Longanimitate perficitur. Hanc Crustam Spei appingit S. Cyprianus de bono Patientiæ hunc in modum differens: *Tolerandum & perseverandum est, fratres dilectissimi, ut ad Spem veritatis, & libertatis admissi, ad veritatem & liberalitatem ipsam perveniamus. Quia hoc ipsum, quod Christiani sumus, fidei & Spei res est. Vt autem fides & Spes ad fructum suum possint pervenire Patientia opus est. Cùm enim quod non videmus, speremus, per Patientiam illud ipsum expectamus: propterea, expectatio, quæ Longanimitatis est. & Patientia necessaria est, ut id quod esse cœpimus, impleamus; & quod credimus ac speramus,* DEO *præstante, capiamus.*

ARTICULUS III.

VELVM
Parietis Spei.
HUMILITAS.

PRÆTER *Incrustationem* duplicem, in Principum aulis, templisque vestiuntur parietes, vel picturâ penicillo obducta, vel precioso & exotico ligno, vel peristromatis & aulæis: hæ sunt parietum velamina: quorum loco in Domo Sapientiæ quadruplicem Spei parietem vestit HUMILITAS: quâ nisi is obducatur, & quod in eo adhuc inane, impleatur, vel obveletur, facillimè ventis superbiæ australibus, borealibusque corrumpitur. Notavit id D. Chrysostomus, qui homilia XXI. in Genes. *Oportet quidem,* inquit, *in virtute, & rectè factis Spem salutis habere, non tamen idcirco magnificè te circumspicere, & multum de te sentire; sed tunc magis humilem & modestum esse, cum magnas virtutum diuitias congesserimus. Sic enim & ipsi collectas diuitias custodiemus, & gratiam* DEI

nobis conciliabimus. Enimverò & propter hoc Christus discipulis dicebat: Cùm feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus. Idem S. Pater homilia tertia in illud, *Elatum est Cor Osiæ:* Nihil aut, perinde gignit superbiam, *quam* Bona Conscientia, *nisi advigilemus. Vnde & Christus, sciens, quod post benefacta nos hic morbus adoriatur, dicebat discipulis: Cũ omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus.* Quasi diceret, postquam Spei-Parietes bonorum operum lapidibus extruxeritis, & longanimitate ac Patientia incrustaveritis, Aulæum Humilitatis appendite. Aliud quid suggerit benè observandum homilia tertia in Matthæum sic scribens. *Quando aliqua præclarè fecerimus, habemus eum debitorem ob res benè gestas. Quando verò nihil arbitramur nos operatos egregium, amplius etiam ob talem meremur affectum, quàm propter opera ipsa, quæ fecimus.* Existimat igitur Chrysostomus: Minimum de se sensisse, tam esse magnum, quàm maximas res fecisse. Hoc est Humilitatis meritum.

QVOCIRCA monent seriò sanctissimi Viri, & peristromate oblivonis bene facta nostra velemus, ne illorum aspectu superbiæ affectus insurgat. Præclarè S. Gregorius Papa lib. IX. Moralium cap. 17. *Si scimus bona, quæ agimus, ad elationem discimus: si nescimus, minimè servamus. Quis enim de virtutis suæ conscientia non quantulumcumque superbiat? aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat? Sed contra utraque quid superest? nisi ut recta quæ agimur, sciendo nesciamus: ut hæc & recta æstimemus, & minima; quatenus ad custodiam sanctificet animam scientia rectitudinis, & in rumorem non elevet æstimatio minorationis.* Hic sensus fuit religiosissimi Abbatis Bernardi, qui licet multis annis strenuè laborasset in erigendo Spei-Pariete, cumulatis, colligatisque gratiæ vinculo bonorum operum meritis, tamen epistola CCCX. quam, cùm penè animam ageret, dictavit, ita loquitur: *Orate Salvatorem, ut tempestiuum jam*

exitum

exitum non differat: curate munire votis calcaneum nudum meritis. Idem docet nos in precibus suis Ecclesia, quæ sic orat (a) DEUS, *qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus:* Et, (b) *Vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidiis.* Denique in Canone Missæ: *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte.*

(a) *Dom. Sexag.* (b) Dom. Advent. secreta.

ARTICULUS IV.

SECVRITAS

A Muro Spei.

SPEI Parietem, qui & Murus est, si in anima nostra extruamus, securi ab omni adversariorum incursu prævalente erimus. Quis enim non sit securus, quem cingit vndequaque Murus, exære, lapide, latere ita compactus, ut nullius extranea vi, modò illum inquilinus conservare velit perrumpi possit? Ita meritò exclamauit cantando Psaltes Regius: (a) *In Domino sperans non infirmabor.* Et, (b) *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui.* Hoc est munimentū fidelium. *In silentio & Spe fortitudo vestra,* inquit Propheta. (c) Beati omnes qui expectant Dominum: nimirum, inclusi sunt in loco tutissimo, in quem nulla potest irrumpere adversitas, nulla prædominari hostilitas. Egregiè S. Hieronymus, idcirco quos fidei suæ commissos erudiebat, intra Spei munimentum, ut se

(a) Psal. xxv. (b) Psal. cxxxv. 1. (c) Isaiæ xxx. 15.

includerent, & detinerent hortabatur. Similiter S. Gregorius, cujus est ista præclara sententia hom. XVII. in Ezechielem: *Spes cœlestium mentem solidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum.* De qua & per Paulum dicitur ad Hebr. VI. *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam* Alibi idem Magnus Papa: *Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exterius quæ tolerat, sentit.*

Hoc cincti Muro intrepidè hostes suos proritabant fortissimi Christi pugiles, neque Martyres solùm, sed illi quoque, qui super misericordiæ divinæ fulcimentum, operum bonorum molem, in eremo, & monasteriorum claustris erexerant. Ex iis Paulus Eremitarum primus morti propinquus dicebat, Hieronymo teste, *Peracto cursu superest mihi Corona justitiæ.* Et Hilarion sylvicula, ita semet animabat: *Egredere anima mea, egredere, quid times? Septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times?* Magis animosè Martinus, qui jam jam migraturus magna fiducia dicebat astanti Diabolo. *Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies: Abrahæ me sinus excipiet.* Et pari confidentia vir Seraphicus Franciscus, cujus extrema verba fuisse refert S. Bonaventura: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Me expectant justi, donec retribuas mihi.*

ARTICVLVS V.

ANACEPHALÆOSIS

Architecturam Parietis-Spei ob oculos ponens.

AVDISTIS ad Spei-Parietem construendum convenire DEUM, ut Principem Architectum, homines, ut

ut secundarias operas; *Fidem*, ut fundamentum; *Pactum, Iuramentum*, & *Misericordiam*, Divinam, ut *Coronidem* fundamento impositam & cingentem: Christi Merita, ut *Lapides*; Bona fidelium Opera, tum Patientiam, Misericordiam, Conscientiam, ut *Lateres*: Divinam Gratiam, ut *Calcem*, & *Nexum aureum*: Timorem, Humilitatem, Longanimitatem, ut *Incrustationes*. Quibus ita fidendum, ut præcipuè tamen in DEUM, Christique Servatoris Merita mens figatur, placeatque illud Bernardi epiphonema: *Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus*: Mihi *adhærere* DEO *bonum est*: *Ponere in Domino* DEO SPEM *meam*.

SERMO V.

TECTVM DOMVS SAPIENTIÆ.

PARIETIBVS *ad normam erectis, firmatisq; imponitur summa pars Domus, qua cetera teguntur, ideoq;* TECTVM *dicitur. Quod qualenam sit in Domo Sapientiæ sive Ædificio Spirituali, paucis expediam cum in superioribus sit expressum, & quadamtenus explicatum.*

ARTICULVS I.

TECTVM *Domus Sapientiæ.*

CARITAS.

VT suprema Virtutum, ita partium Domus, quæ Virtutibus constat, est *Caritas*, quâ, tanquam culmine

impoſito, Domus tecta cenſetur. *Domus* DEI, inquit Auguſtinus Serm. XXII. de verb. Apoſt. *credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.* Ita docet Paulus Apoſt. qui ſcribens ad Galatas cap. v. *Nos*, inquit, *ſpiritu ex fide Spem Iuſtitiæ expectamus*: id eſt, ex fide ſperamus vitam æternam, quæ eſt merces juſtitiæ, vel præmium juſtitiæ tum ſubjungit. *Nam in Chriſto* IESV *neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Hoc eſt, Spem non facit, aut lex circumciſionis, aut opera, quibus Gentiles gloriari ſolebant, ſed officia fidei, ſi tamen à Caritate perfecta ſint. Sine Caritate opera, quamvis heroica, non ſunt vitæ æternæ meritoria. *Si habuero omnem fidem*, inquit Apoſtolus, *ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum*, 1. Corint. 3. rectè; nam *qui non diligit, manet in morte.* Quomodo ergo ſperet, cui eſt ablatus vitæ ſpiritus? Quare in Caritate omnia conſtituit S. Auguſtin. lib. de natura & gratia & c. ult. *Caritas*, inquit, *inchoata, inchoata Iuſtitia eſt, caritas provecta, provecta juſtitia eſt, caritas perfecta, perfecta Iuſtitia eſt.* Super omnia hæc Caritatē habete, monet Apoſtolus, quaſi dicat; poſtquã ex meritis Chriſti, & operũ bonorũ lateribus, in fundamento fidei Parietes Spei conſtruxeritis, non erit perfecta meritorum Domus, niſi ſuper omnia, Caritatem, ut Tectum, & ſupremum culmen impoſueritis. Hinc docent Theologi fruſtrà ſperari vitam æternam ſine Caritatis tegumento, quo operationes omnes obuelentur, ut Tecto partes Domus. Eſt autem Caritas Tectum planè aureum, quod idcirco omnibus æreis, quæ plurima olim celebrabantur, præferatur. Cedit huic Tectum Panthei Romani ex tegulis æneis præ grandibus: cedit Tectum inclytum, quod in foro Nervæ omnium trahebat oculos. Cedit denique

tem-

Templi Jerosolymitani, de quo penè incredibilia referunt Templi illius descriptores. (a) Omitto ad comparationem minutiora.

(a) Legendus Vilalpandus, Tom. 2. lib. 5. disp. 4. quæ est de amplitudine & magnificentia Templi pag. 549. cap. 60. tum cap. 61. ubi instituitur comparatio inter Templum & Cariæ Mausolæum, Colossos, Babyloniæ muros, & hortos. cap. 62. Comparatur Templum cum Persarum Domo. cap. 63. cum reliquis mundi miraculis. cap. 64. Cum Romanæ Urbis sumptuosissimis ædificiis. cap. 65. Cum aliis Urbis Admirandis, inter quæ Tectum & Cameratio fori Romani ænea, de quo Pausanias; Romanis forum, quod & magnitudine & apparatu instar miraculi exhibet Tectum & cameration em æneam.

ARTICULUS II.

TECTVM

Domus Sapientiæ.

PERFECTIO CHRISTIANA.

NON aberrant à Scopo, nec sunt arguendi, qui, cùm disquritur de Tecto Domus Sapientiæ, Respondent, esse Perfectionem Christianam; sed nihil docent diversum ab eo, quod nos diximus, esse Caritatem. Siquidem Perfectio Christiana est Perfecta Caritas, DEI & Proximi; Amici & Inimici; denique omnium, quos DEUS amore ac favore dignatur. Unde signatè dictum est à Christo Perfectionis Doctore, & in suis Auctore: *Estote Vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, Matthæi v. & Lucæ vi. Quæ *Perfectio* est culmen Virtu-

tum omnium, & consequenter Tectum Domus Sapientiæ, quæ ex omnibus constructa est. Perfectio igitur Caritatis, quâ diliguntur tam inimici, quàm amici, sicut Pater cœlestis dilectionẽ suam ad omnes extendit. Perfectio benignitatis, mansuetudinis, patientiæ, castitatis, & ceterarum, Tecti rationem habet. Et facit ad Ædificii spiritualis conservationem quicquid vel Tectum imbricatum, seu tegulanæum; vel pectinatum, sive displuuiatum; vel testudineatum, vel scandulare, vel quodlibet generis alterius: avertit pluviam, nivem, grandinem, omnemque aëris injuriam, aut detinet, ne ad ædificium penetrent, & detrimentum adferant: ut pluvia, nix, grando obest fabricæ materiali, ita spirituali incommodat humor luxuriæ, frigus acediæ, concretio malevolentiæ, quæ omnia *Virtutis Perfectio* amolitur. Illud fuit in Tecto Templi Jerosolymitani singulare, quod per illud aves etiam arcerentur: causſam clarè apponit Josephus historicus, quæ inter alia: *Desuper*, inquit, *verubus aureis acutissimis undique horrebat* tectum, *ne desidentibus avibus polluueretur*. Et hunc effectum habet *Tectum Perfectionis* in qualibet virtute: arcet malorum contagia: Dæmonum, tanquam alitum circumvolitantium accessum prohibet: aërearum potestatum infestationem non admittit, ne Domus Sapientiæ sordibus polluatur. Quod facillimè contingere posset, si propius tentatores illi accedere, & instillare, quæ nolunt, sunt, permitterentur.

Ita que, si *Ædificium spirituale*, tantis sumptibus, impensis, ac laboribus à vobis & in vobis ædificatum, velitis conservare diutissimè mundum & integrum, adhibete operam, *Vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes*, quæ sunt verba Jacobi Apostoli: (c) allaborate, ut a omni

(a) *Joseph. lib. 6. belli c. 6* (b) *Vilalpand. Tom. 2. p. 2. lib. 4. c. 25. p. 287.* (c) *Iacobi Epist. cap. 1.*

omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est. Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. Quod monet Petrus Apost. Et Paulus: *De cetero, fratres, gaudete, Perfecti estote.* Conemur, qui alios ad pietatem hortamur, *Vt exhibeamus omnẽ hominem perfectum in Christo* IESV. quod erat votum ejusdem Apostoli. Quilibet sibi dictum à DEO existimet, quod audivit fidelium pater Abraham: *Ambula coram me & esto Perfectus:* ut commendationem mereatur, quam habuit Noë, qui *placuit* DEO, quia *fuit* Perfectus *in generationibus suis, & cum* DEO *ambulavit. In omnibus operibus tuis, præcellens esto,* urget Ecclesiasticus: Præcellens sive *Perfectus* esto in operibus naturæ & gratiæ, in corporalibus & spiritualibus, & exterioribus & interioribus, & quibuscumque aliis, nam, qui *in omnibus* dicit, nullam excipit.

VERVM, præter hanc Perfectionem universalem communem, &, si ita liceat nominare vulgarem, quia cunctis, qui Christiana professione censentur, præscribitur, & est quadamtenus præcepti: nam omnibus mandatur, ut in suo statu, officio, gradu sint exacti, præcellentes, perfecti, observando mandata omnia divina & humana, ad ipsos spectantia; est alia *Perfectio singularis,* propria quorumdam, & egregia, & passim *Evangelicæ,* præcepti universim, sed Consilii, quatenus extendit se ad observationem non solùm præceptorum, sed etiam Consiliorum Evangelicorum: nimirum, quæ per Evangelium, non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti suscipientibus magis expedita, atque utilia, à Christo, non præcipiente quidem sed consulente proponuntur; & principalia sunt tria: videlicet, Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur. Vtraque *Perfectio* est

Tectum

(a) Pet. 1. cap. 1. (b) 2. ad Corint. 13. (c) Ad Coloss. 1. 25. (d) Gen. xv. 1. (e) Gen. vi. (f) Eccl. xxxiii. 23.

Tectum Domus Sapientiæ: utraque suas habet tegulas, sic voco functiones peculiares virtutum ac consiliorum, quæ efficiunt, quod in culmine domus aut templi tegulæ, tum hamatæ, tum foraminosæ: utraque Ædificium tuetur à tempestate ingruente & incommodis. Sed prior illa tegulas habet veluti vulgares & terreas, ut sunt testæ latæ vel rotundæ in civium ædibus; posterior, fortissimas, simulque elegantissimas, tanquam æneas inauratas in Duorum templis: nam tanta & major est differentia inter opera bonorum religiosorum, & secularium, quamvis in suo ordine perfectorum. Sed reverà, *Perfectio* omnis hujus vitæ, Religiosorum etiam, tantùm est inchoata suis permixta imperfectionibus, à quibus non depurabitur, nisi quando, & ubi, *Corruptibile hoc induet corruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem*, 1. Corinth. xv. Quam non nisi in Domo Sapientiæ alterius vitæ consequemini.

NOTÆ.

§. TECTVM *ad usum accommodatum ex Architecturæ præscriptis & gentium diversitate, est varium. Aliquot genera hic apponi. Tectum* planum. *Quale fuit Templi Ierosolymitani, & communiter Palæstinæ & Ægypti. Vilalpand. Tom. 2. lib. 4. cap. 23. pag. 287. Tectum* pectinatium, *Festo, quod in duas partes devexum est, & pectinis instar factum Vitiuvius vocat* Displuviatum, *quod utrimque diversa quodam hinc inde pluviam demittit. Cujusmodi fere sunt hoc tempore Tecta in Europa. Tectum* testudineatum. *Vitru. quod in quattuor partes devexum est. Item, quod fornicatum, concameratum, incuruum, convexum, testudinis more. Tectum* imbricatum, *tegulaneum, quod ex imbricibus & tegulis confectum* Imbrex *autem est canalis vel tegula Curua per quam imber defluit. Itaque quod imbricum figuram refert imbricatum etiam dicitur. Tectum* scandulare. *Apud è ligneis scandulis concinnatum. Idem nomen competit in Tectum, secti-*

ſectilibus è ſaxo laminis conſtans, in quo laminarum ordines mutuo ſe ſcandunt.

§. TEGVLA, *qua tecta ſternuntur, ad pluvias, & alia arcenda: ſic dicta quod domos togat.*

§. PERFECTIO.] *De hoc argumento ſcripſere plurimi. S. Auguſtinus lib de Perfectione Iuſtitiæ tomo 7. Commentatores Evangeliorum, Matthæi* V. *&* XIX. *Hieronymus Platus, Iacobus Alvarez de Paz, Alfonſus Rodericius, titulo Exercitium Perfectionis.*

Vide quæ diximus Opuſculo 3. Sermone 5.

ARCHI-

ARCHITECTVRÆ CHRISTIANÆ PARS V.

PRÆLOQVIVM

Designans utilitates huius tractatus.

ANNVM hunc, quem haud ita prídem, feliciter, uti spero auspicati estis, benè Vobis evenire, benè decurrere, benè ad finem perduci, ac terminari tandē opto, Auditores mihi precari: &, si optatione mea, quod volo, consequi possem (sed id nō est potestatis humanæ) nullus vobis illuxisset annus æquè faustus ac fortunatus, ac iste, quem cum bono auspício inchoastis. Qui ut omnibus vobis, ut ut res cadat, domi foriqúe: sit perquàm felix, dabo singulis ex meo thesauro diu abscondito, & intacto, liberalissimè in Strenam nonnulla, quibus, si quilibet velut Instrumentis utantur, spondeo non vereor, asseveratione certissima adiuncta, fore, ut sit ad felicitatem, quam in hac vita potestis expectare, commodissima. Quænam sunt ista? dicitis ambabus ea amplectemur ulnis. Spondesne tam fidenter hujus anni initio, sive Instrumenta, sive pignora faustitatis continuandæ, in strenā? Equidem spondeo. nec utar ambagibus, ut exprimam & exponam. Sunt Instrumenta illius Artis, quam me tradere velle professus sum & nominatur ARS ÆDIFICATORIA, seu ARCHITECTONICA CHRISTIANA: quæ simul junt Suppellex Architecti Christiani, qua vos donatos dimittam. O lauta & copiosa supellex, quavis eburnea, argentea, aurea, gemmea preciosior!

ITA-

ITAQVE *arripite & accipite à me, quæ liberalíter offero donoque, usui futura ad ædificandum in vobis Donum Sapientiæ, Virtutum Palatium, Domicilium Divinitatis. Accipite.* Regulam, Perpendiculum, Normam, Libellam, Amussim, Calamum, Lineam, Funiculum, Clavos, Malleum, Ciconiam, Tympanum, Trocleam, Trullam cæmentariam. *Quæ omnia sunt Instrumenta Architectonica, ac Suppellectilem conficiunt Architecti. Singulorum verò, vel sub ijsdem nominibus, vel sub geminis, fit mentio in litteris Divinis, cùm agitur de ædificando. Sed usum apud vos vel exiguum, vel nullum planè habebunt, nisi intelligatis per singulorum descriptiones, quid sint, quid in Disciplina Sacra, abditæ, seu mysticæ Scientiæ nostræ, significent; denique, ad quid, cùm de Domo Sapientiæ ædificando agitur, adhiberi debeant. Hoc igitur pertractare incipiamus.*

(o)

OPVSCVLVM VII.

INSTRVMENTA *Architectonicæ Christianæ.*

Seu

SVPELLEX *Architecti Christiani.*

SERMO I.

REGVLA *Architecti Christiani.*

ARTICULUS I.

Nexus cum præcedentibus. Ingressus in subsequentia.

POST descriptum à nobis Architectum, dotibus suis, ut Christianus dici possit, natum, egimus de ejus Ædificio, quod Domus Sapientiæ, circa quam, tanquam obje-

objectum Artis suæ proprium versatur. Quæ sint autem illius Domus fundamenta, & quomodo ea sint jacienda: quæ Columnæ, & qua ratione sint constituendæ: qui Parietes, & quo pacto sint erigendi: denique, quod ac quale sit Tectum, quod iis est imponendum hactenus disservimus. Sed nunquam hæc, & alia ad Domus Sapientiæ integritatem pertinentia secundum artem perficiet quisquam, nisi Instrumentis fuerit instructus idoneis, eorumque usum probè calluerit. Quamobrem de Supellectile Architecti Christiani, & omni instrumentorum genere ad ædificandum necessario, vel accommodato consequenter disputandum est. Et quoniam idem in hâc nostra Disciplinâ est *Architectus & Officinator* quomodo appellat Vitruvius fabros adjuvas Architecti primarii, ut muratios, latomos, cæmentarios, & similes, quibus ille imperat, & facienda præscribit, ita de Supellectile & Instrumentis Architecti disseremus, ut operarum etiam communia complectamur.

Nec ordinem quis arguat, & reprehendat: nam & Vitruvius, summus in Architectura profana Magister, ultimo sui operis libro de machinis & instrumentis disputationem instituit, ac se ita tuetur, Imperatorem alloquens: *Visum mihi est, Imperator, non esse alienum, quoniam de ædificiis in prioribus voluminibus exposui, in hoc, qui finitionem summam corporis habet constitutam, quæ sunt principia machinarum ordinata præceptis explicare.*

ARTICVLVS II.

Regvla

Quod-nam inter Architectonica sit Instrumentum.

Et, An idem, quod Perpendiculum, Norma, Libella, Amussis, Linea, Funiculus lineus.

Inter Instrumenta Architectonica meritò primus locus datur Regvlæ, quam Plato in Phileboinstru-

mentum Architecturæ nominat, quo tum cœmentarii in ædificando, tum Architecti in recognoscenda fabrica utuntur. Ejus officium proprium est, ut applicata parietibus, eorum longitudinem dirigat, & æquet. Quo distinguitur ab aliis quibusdam haud dissimilis figuræ instrumentis: licet sæpe confundantur, & unum ponatur pro alio: ac quodlibet dicatur *Regula*, quæ velut genus cetera complectitur. Sed expedit singulorum descriptiones, quà distinguuntur, tradere.

PERPENDICVLVM est instrumentum, quo plumbo à filo & gnomone pendente rectitudo, aut obliquitas operis perpenditur, seu examinatur. Nam si structura fuerit recta, filum, unde plumbi massula pendet totam descriptam lineam tanget; sin aliqua sit inclinatio, filum à linea discedet. Hinc *Perpendiculare* vocant Geometræ, quod ex superiore loco in inferiorem demittitur, eare-ctitudine, qua plumbum propendet ex perpendiculo. Unde radios solares perpendiculares habere dicuntur, qui Solem habent rectè super caput imminentem. Huic affine instrumentum est

NORMA, ad quam anguli respondentes exiguntur. Sic Plinius lib. XXXVI. cap. 22. Structuram ad normam & libellam fieri dicit; & ad perpendiculum respondere oportere: nostrates *Quadram* vocant. Unde, quæ recta & perfectè dimensa sunt, ad Normam facta dicuntur. Distinguitur ab hoc instrumento apud eruditos architectos, LIBELLA (*apud Budæum* Nivellà) quo plana coæquantur. Haud multum huic absimile est AMVSSIS Filum creta aut rubrica illitum, quo diriguntur saxa aut ligna.

REGVLA, quæ Græcis κανὼν, ut notavit S. Isidorus à Gra-

(a) *Plin.* lib. VII. cap. *56. qui inventorem ibi facit Dædalium.*

à Gratiano relatus in libro decretorum, accipitur genericè pro instrumento, quo rectitudo investigatur, & continet sub se hactenus nominata: Specificè ad longitudinem refertur. Quare Philander (*b*) in Vitruvium ita distinguit. *Longitudines ad* Regulam *&* Lineam: *altitudines ad* Perpendiculum: *anguli ad* Normam: *respondentes exigunt*. Ex quo etiam observo, quod quæ est Regula, dicatur quoque LINEA, tum apud Vitruvium, tum apud Ciceronem, qui ita illud nomẽ usurpat lib. tertio ad Quinct. (*c*) fratrem epist. 1. fortasse, ut eruditi quidam censent, quia primùm è lino, quod facile ac longè ducitur, fieri cœpit Regula, quæ posteà, ut solidior esset, ex ligno, ferro, ære fabricari consuevit, ne usu torqueretur. Immò, in Divinis litteris ita Linea sumitur.

QVOD enim nos ex Latino Interprete legimus Psalmo XVIII. de Apostolis: *In omnem terram exivit sonus eorum*; in Hebræo est קו *Kau*. quod vocabulum redditur ab Aquila κανὼν, & *Lineam* significat, Regulam quoque, & huic affinia, normam, amussim, perpendiculum, perimetrum, funiculum mensorium, directorium, filum. Quæ omnia congruunt Apostolis, qui tanquam Architecti cum instrumentis suis, orbem universum peragrarunt. *In omnem terram exivit sonus eorum*. Sono suo, seu prædicatione, ac doctrinâ Apostoli, velut architectonico instrumento, orbem percurrendo, *exeunte*, ut prædixit Ieremias, cap. 31. 39. *Vltra normam mensura*, Ecclesiam, convertendo infideles ædificaverunt, & structuram suam ad Lineam examinarunt. Sic quoque Ezechielis XL. ubi de Angelo dicitur: *Ecce vir, cujus erat species, quasi species æris, &* funiculus lineus *in manu ejus, & calamus mensuræ in manu ejus*, per *Funiculum lineum*, potest designari

(*a*) Regula κανὼν. Isid. l. 6. Orig. cap. 16. Decr. cap. Canon. dist. 3.
(*b*) *Philan. Vitr. lib. 7. cap. 3. immò ipse ibi Vitruui.*

Regula. Nam instrumentum esse architecturæ Dionysius Areopagita satis indicat, docens in Cœlest. Hierar. cap. 15. vasa quoque (ut loquitur) geometrica atque fabrilia fundandi & construendi Angelis attribui, ad munera ipsorum spiritualia significanda. Quale esset instrumentum exprimunt LXX. qui vertunt, *in manu ejus erat* Funiculus *cæmentariorum*. Ita etiam S. Hieronymus, addens, de quo & in Zacharia cap. 2. scriptum est, quod *Funiculum habuerit geometricum*: in Zacharia sic legitur: In manu ejus *Funiculus mensorum*. Beatus verò Gregorius proprium explicans usum *Funiculi* vel *Fili Cæmentariorum*, sic scribit Homil. XIII. in Ezech. *In* Funiculo cæmentarii *hoc solet, ut cognosci æqualitas, vel rectitudo surgentis parietis debeat, ut si lapis intus est, foras eijciatur, si exterius prominet, interius vocetur*. Quem usum in Ecclesia Catholica quotidie construenda Prædicatoribus Propheta Ezechiel tribuit interpretibus S. Hieronymo ac Gregorio: quos eum imitatorem nominat Vilalpandus, & ante ipsum Martinus Delrio.

(a) *Vilalp. Tom. 2. in Ezech. lib. 3. cap. 8.* (b) *Delr. Tom. 1. Adag. 724.*

ARTICULUS III.

Regvla Est Lex.

In Architectura sacra Tropologica.

LEx est in Architectura sacra, morali, aut spirituali, quam omnes operationes humanæ, totaque Virtutum structura examinari debet, ac proinde merito, Regvla dicitur. Et sanè, Legem esse Regulam hominis studiosi, seu Architecti Moralis, & multo magis Chri-

stiani,

stiani, non solùm ex sacris, sed profanis etiam auctoribus probari facile potest. Imprimis, *Regula* Architectonica & *Canon* idem sunt, ut ex superioribus constat. Lex autem Græcis est *Canon*. Certè, Marcianus Iuris-Consultus l. 2. ff de legibus, ponit Canonem in definitione legis, quæ νόμος Græcis dicitur, sic scribens, Νομὸν esse κανόνα δικαίων, Καὶ ἀδίκων: id est, *Regulam justorum & injustorum*. Deinde, M. Tullius lib. 1. de Legibus, *Lex*, inquit, *& juris & injuriæ Regula*. quod ex Chrysippo sumptum putatur. Denique, Seneca lib. IV. de beneficiis cap. 12. Legem describens, *est*, ait; *justi & injusti Regula*. Idem adfirmant in Religione Christiana Magistri. S. Gregorius Nyssenus Orat. de baptismo, agens de Lege Civili, est, inquit, *certa Regula vitæ hominum*. S. Thomas disputans de Lege æterna sic scribit: (a) *Lex æterna est* Regula *humanorum actuum & voluntatis*. (b) Apud Cassiodorum, Athalaricus Rex gloriatur, Legum suarum usualem Regulam ubique servari. In eadem significatione usurpatur nomen, *Canon*, quod Latinis etiam familiare est pro Regula, & ab Ecclesiasticis Scriptoribus sumitur communiter, pro Lege sacra & Ecclesiastica, quatenus distinguitur contra civilem. Antiquus auctor, cujus nomen celebre fuit ante quingentos & plures annos adhibuit jam tunc illam distinctionem. Fuit is Goffredus Abbas, quī lib. tertio epistolarum in 39. ita habet: *Quod seculi Leges nullaratione fieri permittunt, & sacri Canones omninò, ne fiat, interdicunt, est duellum*. Sic Leges Ecclesiasticæ, quos Gratianus, aliique deinde collegerunt, *Canones* ubique nuncupantur. Unde *Ius Canonicum*. Apud Græcos, Photius opus suum concinnatum ex Legibus, Canonibusque

(a) S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 4. (b) Cassiod. lib. IX. variar. epist. 18. (c) Goffred. Ab. lib. 3. epist. 39. (d) ‖ Jacobus Sirmundus in Notis (e) Gratianus: Isidor. lib. de vir. illust. cap. 27.

Nomocanonem inscripsit ; sicut apud Latinos Fulgentius, benè credendi Canonem, vocavit Regulam veræ fidei, scribens de fide ad Petrum. Denique apud Religiosos usitatum est, ut leges instituti sui & Constitutiones de modo religiosè vivendi, vocent Canones vel Regulas: ut ostendit Iulius Nigronius, Commentans in Regulas Communes Societatis. Haud malè igitur a nobis illud positũ videri debet quod Architecti Christiani Regula sit Lex. Id autem fiet manifestius, si Regulæ architectonicæ proprietates & munus Legi accommodaverimus.

(a) S. Fulgent. lib. de fide ad Petr.

ARTICULUS IV.

Regvla Vt Lex

Recta sic oportet.

PRIMA Regulæ, qua Architectus utitur, proprietas est *Rectitudo*, quæ tam illi est propria, ut nomen accoperit regula ex eo, quod sit recta, sic dicta quasi Rectum & impedimentum non habens, ut scribit Isidorus in Originibus. Et sanè, rectum oportet esse instrumentum quod distortorum parietum ceterarumque rerum longitudinibus tribuit rectitudinem. Eodem ducit originatio, quæ est apud Bedam (b) & Damianum, (c) dicentes Regulam à regendo, id est, dirigendo, & corrigendo, quia quod distortum prauumque corrigit, & antequam sit distortum, dirigit. Hoc sensu sumitur Regula in sacra Codi-

(a) *Isidor. lib. 19. Orig. cap. 18.* (b) *Beda Comm. in Boët. de Trin. Tom. 8.* (c) *Dam. epist. 114. ad Marin.* (d) *Isid. lib. 6. ca. 16.*

Codice, dum agitur de architecturâ Templi Salomonici, quæ fuit Domus Sapientiæ. lib. tertio Regum cap. VI. *Operuit omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.*

REGVLA Architecti effectrix est rectitudinis per applicationem sui. Itaque ipsa imprimis sit recta oportet. *Propter quod unumquodque est tale, illud maximè est tale*, inquit Philosophus. Unde Seneca Epist. LXXI. comparans Virtutem cum Regula, sensu Stoico, secundum extremum rigorem, scribit, nec remitti, nec intendi posse: non magis, quàm Regulam, quâ rectum probari solet. *Quam*, inquit *si flectas, quicquid ex illa mutaveris, injuria est recti. Idem de Virtute dicemus. Hæc recta est, flexuram non recipit: rigida est, amplius intendi nō potest. Hæc de rebus omnibus judicat: de hac nulla.* Simili ferè modo differit, tũ de Virtute, tum de Regula S. Gregorius Nazianzenus Orat. 26. num. 7. & docet corrumpi Regulam, si quid vel addatur, vel subtrahatur, cùm neutrum sine detrimento rectitudinis contingat. Sic quoque S. Chrysostomus. *hom. 12. in epist. ad Ephes. Regula*, inquit, *nec addi sibi quicquam, nec demi sustinet: alioquin hoc ipso, quod regula est, amittit.* Nam regere vel dirigere amplius non potest, fallit artificem, depravat fabricam, & est causa ruinæ, postquam extructum fuerit, ædificio, ut monet Isidorus, loco superius indicato. Complectitur hæc omnia versiculis libro IV. Lucretius Philosophus & Poëta, Architecto morali frequenter repetendis.

Denique, ut in fabrica si prava est Regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est.
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta.
Iam ruere, & quoniam videantur velle ruantque
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

CETERVM, Rectitudo non magis Regulæ convenit quàm Legi: Lex enim omnis, si quidem Lex nominari mereatur, recta est. Considera Legem Æternam, & Naturalem: Divinam & Humanam, in singulis invenies infallibilem, inflexibilemque rectitudinem. Lex Æterna dicitur, vel quævis Regula practica, ac æternæ veritati, ad quam naturaliter obligamur. Ut, DEUM esse colendum: parentes honorandos: nemini faciendam injuriam. Sunt enim istæ Regulæ omninò immutabiles, ac proinde æternæ. Vel vocatur *Lex æterna* Mentis divinæ actus quidam, quo concipit & judicat Regulas illas servandas esse à creatura, cum voluntate eam obligandi. LEX *Naturalis* est *participatio* quædam, ut loquitur S. Thomas, 1.2.q 91.art.2. *Legis æternæ in creatura rationali.* Siquidem Lex æterna extendit se ad omnes creaturas, tam rationales, quàm irrationales, sicut etiam Providentia divina. At Lex naturalis ad solam creaturam rationalem. Et, si hominem spectes, est actus mentis humanæ, qua nos naturali instinctu judicamus Regulam æternam nobis præscriptam observari debere. Continet autem *Lex naturalis* alias plures Regulas, ad quas dirigendæ sunt actiones: duas verò potissimùm, & maximè generales: *Bonum esse prosequēdum: Malum fugiendum.* In his continetur illæ aliæ: DEUM colendum: parentes honorandos: vitam propriam conservandam: justitiam & amicitiam cum proximo colendam. Item, DEUM non blasphemandum: parentes non contemnendos: propriam vitam non prodigendam: non metuendum: non furandum: homicidium, adulterium aliaque peccata non admittenda. Vno verbo, Alteri non faciendum, quod tibi non vis fieri. Denique, eodem spectant omnia præcepta Decalogi, & iis annnexa.

PRÆTER hactenus dictas Leges, est alia, quæ appel-

latur

latur POSITIVA: & est, aut DIVINA aut HUMANA. Divina, vel Instrumenti Veteris, quæ vocatur Mosaica; vel Novi Testamenti, quæ Evangelica: aut *Lex Vetus & Nova*. Vetus illa cum habuerit præcepta Moralia, Ceremonialia, & Judicialia; non est amplius necessaria Regula Architecturæ Christianæ, nisi quoad Moralia, quæ Decalogo continentur, & sunt quoad substantiam, Iuris naturalis. Lex Evangelica à Legislatore Christo lata cõplectitur Præcepta moralia, Sacramentalia, Fidei. Ad eam autem tenentur omnes Christiani structuram suam accommodare, & ædificium virtutum erigere.

LEX *Humana* vel est *Ecclesiastica* constituta à Prælatis Ecclesiæ, quibus est potestas condendi Leges; vel *Politica* vel *Civilis*. Utriusque generis, aliæ sunt Communes pro omnibus, ut plerisque: aliæ uni, vel alteri Provinciæ, Reipublicæ, Communitati propriæ. Immò, nulla est Societas, nullum contubernium benè constitutum, nullus hominum cætus, qui leges suas non habeat. Quælibet autem est Regula Architecti Christiani, ac proinde quælibet recta: nam hæc est prima & potissima Regulæ architectonicæ proprietas. De rectitudine quidem Legis æternæ ac Divinæ ambigere esset impium. Lex autem Humana omnis, si quidem vera Lex sit, tum ad rectam Rationem, tanquam ad Regulam conficitur, tum ad Legem naturalem ac divinam directa conformataque est, unde derivatur, ut ex D. Augustin. (*a*) cũ S. Thoma (*b*) docent Scholastici. Neque affectus ac perturbationes, quæ depravant, & distorquent animum hominis in effectione legis locum habent, ut ostendit Aristoteles: (*c*) quoniam Lex à recta Ratione procedit, & conficitur de rebus futuris, atque universalibus, quæ non commovent affectus, quemadmodum res singulares ac

(a) *lib. de lib. arb. cap. 5. 6.* (b) 1 2. *q. 93. art. 3.* (c) *lib. 1. Reth. cap 2.*

præsentes. Quare ab eodem Philosopho dicta est Lex, *Mens absque appetitu.* Et à Marco Tullio sæpe definitur, *Recta ratio à Numine Deorum tracta, imperans honesta, & prohibens contraria.*

(a) *Cic. lib. 1. de Leg. & Philip. 2.*

ARTICVLVS IV.

Regvla Architectonica

Rectum & Distortum ostendit: haud secus Lex Bonum & Malum demonstrat.

Regvlæ Architectonicæ proprietas altera, priorem consequens, est, ut per eam in rebus aliis, quibus admovetur, rectitudo, aut pravitas. Rectum, & Regula, quæ rectissima esse debet, ut nomen suum tueatur, est judex sui & obliqui. Quod docuit Aristoteles, & asseruit S. Hieronymus: ille lib. 1. de anima, hic in cap. vi. ad Galatas. Et experitur quotidie Architectus, cui, si parieti recto planoque Regulam suam applicet, æqualitas ejus innotescit: si distorto, prono, gibbero admoveatur, gibbus, ac pravitas deprehenditur & apparet. Idem facit Lex in moralibus: nam *est justorum & injustorum distinctio:* ut illã describit M. Tullius. Et sanè, ducit Lex omnes in cognitionem recti, vel distorti, quod in ipsorum operationibus, dictis factisque, quibus constat moralis fabrica. Ac primò quidem, ipse Architectus, aut operarius quilibet per Legem, ut per Regulam, agnoscit structuræ suæ rectitudinem aut contrà depravationem. Si enim apud se constituerit Ædificium spirituale in anima erigere, & operi manum adhibuerit, jactoque fundamento

fundamento Timoris Domini, ac Humilitatis, & Fidei, parietes Spei erexerit; tum verò, Legem divinam & humanam ad se spectantem, suis factis dictis, cogitatis attentâ consideratione applicet, deprehēdet illicò, rectè-ne, an secus fabrica assurrexerit: clarius, benè an malè sit operatus: profecerit-ne, an defecerit in virtutum studio, in honestate morum, in cultu pietatis, in vitæ totius moderatione.

Hvc facit dogma Pauli Apostoli ad Romanos tertio, ubi, *Per Legem*, inquit, *cognitio peccati*. Loquitur de Lege Mosaica, quæ quatenus complectebatur moralem, judicialem & ceremonialem, induxit hominem in cognitionem peccati. Nam pars moralis, quæ continet præcepta Decálogi, cognitionem perfectam attulit eorum, quæ cognoscebantur antea lumine naturali non ita clarè. Pars ceremonialis, & judicialis manifestum fecerunt peccatum, quoniam aliqua præcipiendo, & alia prohibendo, effecerunt, ut essent peccata, quæ antequam Lex ferretur, peccata non erant: hinc notitia peccati. Longior est de hac ipsa re sermo Apostoli ad Romanos VII. ubi ad particularia descendit: *Peccatum non cognovi nisi per Legem: non concupiscentiam nisi Lex diceret: Non concupisces.* Hoc est, Lex Mosis peccatum non est, sed index, judex, & accusatrix peccati: quia peccati cognitionem induxit. Exempli caussa: ante legem de non concupiscendo latam; homo appetitiones internas admittebat contra proximum, ignorans esse peccata; sed accedente lege, *Non concupisces*, intellexit homo, ne interne quidem licere concupiscere rem alienam. Ita doctissimi Interpretes, Toletus, (*a*) Pererius, (*b*) Cornelius, (*c*)

Por-

(a) *Tol. in cap. 7. ad Rom. Annot. 9. & 10.* (b) *Per. disp. 9. in cap. 3. & disp. 7. in cap. 7.* (c) *Ad Rom. 3. & 7.*

PORRO, ut Architecto ipsi, ita omnibus aliis Fabricam intuentibus, Lex, velut Regula, notitiam recti, distortivè ingenerat, ut illam, vel laudent, vel vituperent, & vel imitatione dignam, vel ludibrio judicent. Sed præ his, usui est Lex, velut Regula, Superioribus, ad cognoscendam rectitudinem structuræ in subditis, ut si distorta sint aliqua, corrigere ea studeant. Ad discernenda recta & obliqua tribus esse opus, dicit Sextus Empiricus: (a) nimirum, Artifice, Regula, & Applicatione regulæ. Idem contingit in gubernatione hominum. In ea Artificis, seu Architecti loco, est Consul, prætor, censor: in Ecclesia, Episcopus, Decanus, Parochus: in Ordine religioso Abbas, Præpositus, Rector, Generalis, Provincialis, Guardianus: Regulæ vicem præstat Lex, Ordinatio, Constitutio: Applicationem facit Superior, quando comparat Titium, aut Sempronium cum Lege. Ex ea deprehendit, quomodo Legem servaverit, id est, an re vera sit rectus; nam rectitudo hominis probi est observatio Legis.

(a) *Emp. lib. contra Leg. Cap. de Iudica. veri.*

ARTICVLVS V.

REGVLA ARCHITECTONICA

Corriguntur distorta: Lege emendantur vitiata.

NOTITIA mali nisi dirigatur ad ejus exstirpationem, curiositatis est, sæpe vitiosæ. Quid juvat scire detortum esse parietem, nisi hac utaris notitia ad corrigendum errorem? Itaq; hoc est, sive proprietas artis, sive officium præcipuum Regulæ, ut per illam corrigatur

tur distorta emendetur pravitas, adæquentur omnia. Trifariam autem utitur ad hunc finem Architectus Regulâ. Primò quidem, si ædificando, illam adhibeat: nam appositione Regulæ rectitudo inducitur, antevertendo depravationem. Idem facit Ædificator Spiritualis, qui quandocumque est dicēdum aut faciendum quidpiam, immò & cogitandum, ponit sibi ob oculos mentis leges omnes ad quas obligatur, nec quicquam cogitat, dicit, aut operatur, quod non cum legibus consideratione præmissa, vel simultanea componat. Deinde, si fortasse minus attentus, collationem illam operis cum Regula neglexerit, indeque orta sit pravitas, quam primùm id animadvertit, arripit Regulam, & illam applicat, ut quod jam depravatum est, corrigatur. Simili modo Christianus Architectus, si per desidiam, aut incogitantiam, vel fragilitatem humanam operationes minus rectas ediderit, & cogitaverit multa, dixeritque Legi divinæ & humanæ minus consentanea: hæc cum Legibus suo tempore confert accuratè, & obseruata pravitate, per *Examen conscientiæ* serium, dolore de præteritis, & firmo in futurum proposito emendare conatur. Denique, quamvis Regula ipsa non adhibeatur, si tamen illi substituatur Instrumentum omninò simile, rectitudo induci potest, aut pravitas tolli. Sic *Linea* per rubricatum funiculum inducta in ligno aut marmore, præstare potest, quod applicata Regula. Simili modo scriptor, adjutus Regula superposita, stylo sulcum facit in charta, vel plumbo lineolam format, ut rectè scribat. Sunt in anima, veluti lineæ quædam rectæ, aut sulci, habituales promptitudines relictæ ab actibus frequentatis, quibus si utatur moralis opifex, vice regularum, & iis operationes suas dirigat, utilitate regulæ non carebit.

Ceterum. Architectonica ipsa Regula usui non erit

erit in qualibet ædificatione, nisi sit *longissima*, qualis est *Amussis*, *Linea*, aut *Funiculus mensorum*, ut ad omnes partes ædificii extendi possit & cuilibet accommodari. Fallet etiam *Regula*, nisi sit *Inflexibilis*: quare curari soletut conficiatur ex materia solida, qualis ferrum dst, aut æs, non plumbum, ex qua cùm esset Regula Lesbia ab ipsa parietum asperitate flectebatur, nec inducebat rectitudinem, sed suam perdebat. Hinc proverbium vetus, cujus mentio est apud Aristotelem, *lib.* 3. *Eth. cap.* 10. *Regula Lesbia*, quo designabatur fallax, quia flexilis: quæ fortasse erat brevior quoque, quàm usus poscebat. Contrarias qualitates habet Regula Architecti Christiani, Lex Divina & Humana: quæ imprimis tam est extensa, ut ad omnia dictorum, factorum, cogitatuum genera pertingnt: deinde est ære solidior, ac planè inflexibilis, quippe, ipsa divina vel humana Ratio, aut utriusque præscriptum. Quod quamvis extrema tentent impii, non torquebitur pravis affectibus, non flectetur violentis interpretationibus, non incurvabitur manifestis aut occnltis depravationibus.

Audivistis hodie, quomodo tanquam Architecti Christiani, possitis rectè ædificare, & esse Adolescentes, ac Viri bonæ ædificationis, quod à vobis exigit Architectus supremus: nimirum, adhibendo ad omnia dicta, facta, cogitata; ad omnem operationem internam & externam, instrumentum architectonicum communissimum, quod est *Regula*. Regulam Architecti Christiani esse Legem, Æternam, Naturalem: Divinam, Humanam. Communem & Propriam. Ad eam Regulam quicumque opus suum exiget, non metuet casum suæ fabricæ, quippe ab omni parte firmæ. Idem, ut clarè loquar, ac simpliciter, nulli erit scandalo: omnes ædificabit. Qui sequutus semper fuerit hanc Regulã, & ejus directione

ædi-

ædificarit, sit benedictio super illum, & vos omnes, Architecti Omnipotentis, ac per Sapientiam suam cuncta regulantis, DEI Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. AMEN.

SERMO II.

CHRISTVS SALVATOR

Semper & ubique moraliter benè ædificans secundum Regulam: signatè in Nuptiis.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater IESV *ibi. Vocatus est autem &* IESVS, *& Discipuli eius ad Nuptias.* Ioannis II.

CHRISTVS IESVS, quà DEVS, non cœpit ædificare, sed ab omni æternitate, quæ nec principium habet, nec finem, ædificavit, Architectus minimè ociosus, in arcana illa arcanorum fæcundissimo fundo, quem Electionis & Prædestinationis Sãctorum dicimus. Idem, quà Homo, cœpit ædificare, haud tardius, quàm vivere: nec consummavit citius, quàm desiit vivere: siquidem tunc operi ultimam manum imposuit, cum dixit: *Consummatum est, & tradidit spiritum*, Ioannis XIX. Ædificavit in utero Matris, in quo cœpit vivere, Angelos, qui quem cœli cœlorum capere non poterant, mirabantur in palmari corpusculo, si tam fuit magnum, delitescere, & in Virginis contineri gremio. Mox utero egressus, tanquãm è Thalamo, ædificavit pastores pecudum in præsepio,

pio, patientia, ſuavitate, & infantilibus blanditiis, cum riſu matrem & amplexu agnoſcere videretur. In ſtabulo ædificavit Magos adoratores paupertate voluntaria, & humanitatis indiciis. In itinere verſus Ægyptũ ædificavit viatores occurrentes, arridendo, ut contemplari ſoleo. In Ægypti exilio ædificavit indigenas tolerantia. In reditu ex Ægypto ædificavit comites affabilitate, & ad omnia promptitudine. Puer duodecennis ædificavit Doctores in templo modeſtia, ac demiſſione, quamvis proferret interrogationes ſubtiliſſimas, & daret reſponſiones prudentiſſimas. Domum reverſus, ædificavit parentes obedientiâ. *Subditus illis.* Lucæ 2. DEUS hominibus. Cùm adoleſceret, ædificavit domeſticos laborandi aſſiduitate: *in laboribus à juventute*: adjuvando Joſephũ fabrum, ſive lignarium, ſive ferrarium, ut quorundam eſt opinatio. (a) Quæ ſi vera, quantæ ædificationis erat, Fabricatorẽ cœli & terræ, qui, quæ dixerat olim, omnia fecerat, & dicendo fecerat, nunc malleo pulſare ferrum in incude, ut

nudus membra Pyragmon,
Brontesqúe, & Steropes, Æmonideſqúe ſolent.

Et non ſtatim efformare, ſed poſt ictuum frequentiſſimam iterationem, nunc aratrum conficere, nunc malleum, nunc anſas ferreas, nunc uncinatum forcipem, nunc clavos multiplices. Et, ſi quidem Chriſtus fuit faber ferrarius, piè meditari quis poſſet, quod ipſe cum Joſepho & malleos & clavos pararit, quibus ejus deinde manus ac pedes transfixi fuerunt: immò, & Lanceam, quâ veluti clave aureâ, pectus, Divinitatis domiciliũ, fuit apertum. Ædificabat præterea Chriſtus omni generis homines, quibuſcum agebat: Phariſæos, Scribas, Publicanos, peccatores, meretrices, Latrones. Ædificabat in omni loco, in quo agebat: domi, foris: in ſynagoga, in

(a) *Legendus Artifex Evangelicus* Sandæi, *Ver. Faber.*

in templo, in foro, in itinere, in terra, in mari. Ædificabat in prætorio Pilatum, dicendo: in regia Herodem tacendo: in Cruce Latronem, consolando. Ædificabat quolibet tempore, nullo dierum, nullo horarum nullo occupationum discrimine. Ædificabat interdiu discurrendo per pagos, & concionando: nocte consistendo in monte, & orando: mane primus domi è strato, vel assere surgendo: vesperi ultimus incumbendo. O infantem, puerum, adolescentem, juvenem, virum magnæ ædificationis! Vocat Isaias Propheta cap. LIII. Salvatorem nostrum *Virum dolorum*, cur nos non dicamus, *Virum ædificationum!*

Sed fortasse nihil est ædificationis majoris, quàm quod invitatus ad nuptias in Cana Galilææ, in iis ædificet, præter Sponsum & Sponsam, invitatos omnes. Quod difficillimum est, & rarissimum. In Nuptiis, ut quis ædificet, aut ædificetur, ferè portenti est simile: ut quis destruatur, sive pervertatur, maximè Adolescens, tam est usitatum, quàm quæ fiunt quotidie: Quare nunquam ego sim auctor, ut Adolescens, præsertim quàm diu litteris dat operam, licet invitatus, rogatus, attractus, eat ad nuptias. Vestigia me terrent, & exempla amplius, quàm sexcenta adolescentum, qui iverunt ad nuptias, boni, sobrii, casti, Angelici; redierunt autem mali, intemperantes, lascivi, luxurioši, Satanici: neque unquam fuit modus deinde illos reducendi ad statum pristinum: quare semper manserunt, quales redierunt ex nuptiis, Diabolici. Itaque, si vultis vobis consultum, & per vos stet, nolite in illa ætate interesse nuptiis. Felices autem fuere nuptiales illi, qui ædificati discesserunt à Christo. Cujus tam efficax fuit ædificatio, ut Sponso castitatem persvaserit. Nam ut multorum est sententia, Sponsus in nuptiis Canæ fuit Ioannes cognatus Christi,

qui visa Domini modestia, sobrietate, moderatione, & fortasse audiens differentem de castitate, deque delicijs vitæ castæ, & alteritis respondēte illi corona, relicta sua Sponsa, quam consensisse reor, & castitatem deinceps coluisse, sequutus est Christum: ideoque peculiariter ab illo fuit dilectus, & ad Evangelistæ decus summum evectus. Vtinam & nos, Christi Domini exemplum sequuti, semper & ubique illos quibuscum agimus, ædificemus. Quod facillimum erit, si illud ad omnem actionem dictionemque nostram adhibeamus instrumentum architectonicum, quo Salvatorem ubique ac semper usum scimus: nimirum Regulam, quæ est Lex Divina ac Humana, secundum quam si cum proximis nostris egerimus, ædificati à nobis recedent, & videntes opera bona glorificabunt Patrem nostrum qui in cœlis est.

SERMO III.

PERPENDICVLVM *Architecti Christiani* EXEMPLVM CHRISTI.

REGVLÆ *adjungunt Architecti* PERPENDICVLVM, *quod est species quædam Regulæ, aliquatenus ab illâ diversum, juxta descriptionem superius traditam. Eo utitur Architectus ad rectitudinem vel obliquitatem structuræ deprehendendam, & emendandam. Istiusmodi Instrumento opus habere Arehitectum Christianum, non est sanè dubium. Cùm enim parietes illius Fabrica,*

bricæ, quam erigit, sint virtutes, necesse est earum rectitudinem diligenter explorari: nisi enim rectæ fuerunt, & ad Perpendiculum, non potest firmiter Aedificium consistere. Huius rei gratia duo præmittenda sunt.

ARTICULUS I.

RECTITVDO

Virtutum verarum.

VIRTVS omnis si vera, est Recta, tum formaliter in se spectata, tum causaliter, efficiendo rectitudinem in subjecto, cui inhæret. Quod liquet imprimus ex Sacra Scriptura, in quâ virtute præditi homines dicuntur *Recti*, & *Recti corde*: nempe, ob virtutem, quæ recta est, ac rectos facit. Psalmo CXI. *Generatio Rectorum benedicetur.* Ubi sive sumatur generatio pro seculo & ætate, ut in illo, secundum aliquos, *Generationē ejus quis enarrabit?* sive pro sobole & progenie, ut communis est interpretatio, denotans filios & nepotes ex rectis parentibus ortos, si genitores imitentur, *Recti* significant probos, virtute ornatos, justos; quare Hieronymus vertit: *Generatio Iustorum.* Sed revera, nomen Hebraicum, ut notat Lorinus, propriè significat *rectos*: quos postea *Rectos corde* vocat. In eum Psalmum S. Augustinus: *Quam bonus Israël* DEUS *iis qui recto sunt corde? Rectum autem cor est, non resistere patri emendanti, & credere pollicenti: non eorum, quibus commoventur pedes, & effunduntur gressus, atque labuntur.* Psalmo VII. eadem utens phrasi divinitus Psaltes suavissimè canit ad consolationem justorum

(a) Tesciarim ישרים

ſtorum *Salvos facit Rectos corde.* Qui non deflectunt à rectitudine virtutis, inquit S. Baſilius: idemque perpendens, quod immediatè præceſſerat. *Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum:* Rectus, inquit, *Iuſtus nominatur, & rectum cor, quod benè facit. Quid igitur vult, bis orando Propheta? Orat enim, ut qui jam* Rectus *eſt dirigatur. Nihil, dicet aliquis, obliquum, aut obtortum, ſeu tranſverſum in recto eſt. Sed profectò neceſſaria hæc pro Iuſto petitio eſt, ut rectum mentis ejus propoſitum, per directionem divinam, & manuductionem Domini regatur: ne per fragilitatem quandoque, veluti à Canone* (regula, perpendiculo) *veritatis nutando declinet, neque à veritatis amico perverſis lædatur dogmatis.*

Simili modò in Pſal. VII. S. Auguſtinus, diſputans quomodo ſaluus fiat Iuſtus, qui eſt rectus & ſanus? reſpondet, id non contingere per juſtificationem à peccato, quaſi transferatur à morbo ad ſanitatem, ſed per conſervationem in juſtitiâ, quomodo medicus, non ſolum ſatis facit officio ſanando ægrotum, ſed etiam conſervando ſanum. Iterum S Baſilius *Rectus eſt corde,* ait, qui animum retinet neutrobique vergentem, ſic ut neque excedat, neque deſit ſibi, ſed in medio virtutis conſiſtat. Quamobrem è contrario Scriptura illos homines vocat obliquos & obtortos, qui à virtutis medio ad exceſſum, aut defectum tendunt. Quemadmodum obliqua fit linea, ſi nunc in curuum, nunc in convexum ejus rectitudo infringatur, ſeu obliquetur. Sic item cor obliquum eſt, quod nunc per ſuperbiam arrogantiamque effertur; nunc per ærumnas, calamitates, & dolores dejicitur.

Cvm ſuperioribus, de bono & juſto, quà recto, convenit illud Canticorum I. *Recti diligunt Te*: id eſt, probi, juſti, virtute præditi, qui recti ſunt corde diligunt Te, ô Sponſe cœleſtis, ut ex S. Gregorio, Iuſto Orgelitano, &

Apo-

Aponio sumitur. Idem indicat Philo Carpathius Canticorum Interpres Græcus, qui describit rectitudinem cordis, quod contineat se ab omni specie delictorum: & rectum corde, qui conscientiam suam DEI Legi conformat, ejusque mandata omnia intento corde perficit. LXX. Interpretes vertunt sententiam illam per abstractū: *Æquitas dilexit Te*, Arabicus, *Rectitudo dilexit Te*: Hebraicus admittit plurale, *Rectitudines dilexerunt Te*: id est, ut interpretantur aliqui, omnes virtutes, omnes virtutis studiosi, probi omnes. Addit Origenes: dicitur Rectitudo diligere Sponsum: quia hæc rectitudo, quæ est custodia mandatorum DEI, præparat cor ad amandum DEUM, expellit iniquitatem, qua pulsa advenit Caritas, in qua summa est rectitudinis & perfectionis. Monet deinde idem Adamantius, ut cogitet quilibet virtutis & perfectionis amans, Æquitatem esse Regulam quandam nempe architectonicam. & illam adhibeat, ac superinducat, ut si quid in anima curuum, si quid tortuosum, ad hujus Regulæ lineam resecetur. Sic erit revera Rectus: ad quod epitheton duo requiruntur: *Vita*, sive actio, & *Intentio*: ut vita & actio in se sit recta, scilicet, honesta & justa: tum, ut quæcunque fiunt, recta intentione fiant. Quare S. Thomas, effatum illud, *Recti diligunt Te*, exponens, per *Rectos* adsignificari adfirmat, qui rectam habent intentionem: quales sunt, qui uni DEO placere student, eumque sibi vitæ & operationum omnium finem statuunt.

SED magis universè, *Recti*, sunt virtute præditi, & rectitudo virtus omnis: nam nulla est, quæ non sit rectitudo quædam. Unde definitur ab Augustino: *Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur, quam* DEUS *in homine sine homine operatur*. Rectitudinem autem illam putat Guilielmus Parisiensis lib. de virtut. cap. 12. in eo

consistere, quod versetur inter extrema duo vitiosa: scilicet, in medio est virtus. Porrò, peculiari quodam modo nominantur *Recti corde* interdum, qui nunquam deflexerunt à rectitudine per actum peccati; vel exciderũt à gratiâ quam semel acceperunt. Quod insinuari existimant quidam abdito intellectu in versiculo illo psalmi XXXI. *Lætamini in Domino & exultate Iusti, & gloriamini omnes Recti corde.* Quasi invitentur quidem ad lætandum & exultandum in Domino omnes justi; sed ad gloriandum, solummodo *Recti corde*: quod plus est; quemadmodum & majus illud est, quàm à peccato converti. Ejusdẽ subtilitatis est additamentum istud: Justificatum à peccatis quamvis rectus fiat, aptius correctum dici, quàm Rectum.

LEGENDI S. Bernardus *Sermone* XXIV. *in Cantica, ubi ex recta corporis forma mentem quoque & voluntatem rectam esse debere argumentatur.* Julius Mazarinus *in Psalmum Miserere, discursu* 68 & 69. Joannes Lorinus *in caput* VII. *Ecclesiastæ, & cap. secundum Actuum, ac Psalm.* VII. Cornelius à Lapide *Cantic.* I. 4.

ARTICULUS II.

PRAVITAS

Virtutum falsarum.

ITA appello Virtutes apparentes tantùm; fucatas, fictas, simulatasque. Constat enim multos virtutem simulare, quibus non est nisi falsa virtus, verum vitium. Religionem & obedientiam simulabat Saul coram populo & Samuele. Absolon humanitatem, caritatem, zelum justitiæ erga Israëlitas, qui ad parentis sui tribunal

prope-

properabant. Nec David, vir alioqui secundum cor DEI semper fuit insons ab hac pravitate. Nonne ementita ejus fuit benevolentia erga Vriam Ethæum, cui insidiabatur? Innocentiam & divinæ gloriæ, studium simulabat vafrè arrogans Pharisæus, Publicani humilis contemptor, & in meliorem se contumeliosus. Judas proditor pietatem præseferens fingebat, impius in cute. Simon Magus fidem etiam, à quâ erat alienissimus ostentabat, lucro inhiãs. Denique, Dæmon ipse cùm se transfigurat in Angelum lucis, simulat virtutem. Nec Hypocrisis est aliud, quam flagitii larva, virtutis fucus.

ALII à veris solidisque virtutibus sunt commendabiles. Ut fuit MARIA Christi Mater, ejus parentes Joachim & Anna: Zacharias & Elizabeth cum sua prole Ioanne Baptista, & tot alii in Evangeliis nominati & laudati. Præ cæteris ille verè Israëlita Nathanaël, in quo non fuit dolus Veritatis ipsiusmet testimonio. Quare erat summoperè solicitus Apostolus ut primitivæ illius, cui præerat Ecclesiæ constitutus Doctor Gentium, consuleret, doceretque veris, non fucatis virtutibus excolendum animum. Quare Ephesios seriò hortabatur ad *Sanctitatem veritatis*, id est, ad veram Sanctitatem. Ad *succingendos lumbos in veritate*: id est, ad coercendos in vera castitate. Epistola ad Corinthios *falsos fratres*, hoc est, simulatores, corripit, exagitat, proscribit, accusat, vitari mandat. Timotheum suum instituit, ut religionem & caritatem fundet in fide non ficta, & congratulatur ei, quod talem fidem habeat. *Quæ*, inquit, *habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Ennice: certus sum autem, quod & in te.* O præclarum virtutis sinceræ testimoniũ! Quod non omnibus dari poterat: quippe, cùm jam tunc reperirentur etiã inter Evangelii præcones, qui ex occasione,

(a) *Ephes.* IV. (b) *Ephes.* VI. (c) 2. *ad Corin.* II. (d) 2. *ad Timoth.* I.

quærendo, quæ sua sunt, Christum annunciabant: licet non deessent multi, qui idem faciebant ex veritate, & studio divinæ gloriæ amplificandæ, & religionis Christianæ propagandæ. *Quidam*, inquit Paulus, scribit ad Philippenses cap. 1, ex *contentione Christum annunciant, non sincerè*. Et, *quidam propter invidiam & contentionem: quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant.*

ARTICULUS III.

Exemplo Christi

Tanquam Perpendiculo, examinatur, & emendatur pravitas Virtutum falsarum.

Cvm, ut hactenus est demonstratum, Virtutes aliæ sint veræ, solidæ, sinceræ; aliæ autem falsæ, inanes, & fucatæ, necessarium est, ut Ædificium spirituale ex Virtutibus erectum firmiter consistat, esse ad manum Architecti Christiani instrumentum aliquod, quod virtutes, per sui applicationem discernat: illud autem in Architectonica Christiana est Perpendiculvm. Neque hic utar longâ circuitione: nam expeditissimè & perfectissimè secernit à falsa uirtutem veram, veræque actionem examinat, & obliquitatem proclinationemque omnem deprehendit. Exemplum Christi Domini. Vita Salvatoris & Legislatoris nostri; ejus dicta & facta; ejus in solitudine oratio, in hominum congressu alloquutio; ejus labor quies, Vigilia; ejus cohortatio, reprehensio, doctrina; ejus silentium, ambulatio, sessio; ejusq; omnis conversatio est *Perpendiculũ* Architecti Christiani; quod si applicet virtutibus à se exercendis, & in lucem editis, facile quid rectum, quidque distortum; quid in operationibus

tionibus suis æquale, aut inæquale agnoscet, & emendare poterit. Siquidem Christus Salvator non solùm virtutum omnium ornamentis excultus fuit, sed etiam factus nobis est à DEO eorundem perfectissimum exemplar, mensura, *Perpendiculum*. Hoc sensu, *Omnis Christi actio nostra est instructio.*

SUMO illud ex Zacharia Propheta, qui capite 1. *Perpendiculum*, ait, *extendetur super Ierusalem*: id est, sensu litterali, iterum ædificabitur: non enim extendunt artifices perpendiculum, nisi quando ædificant, aut ædificium perficere volunt. Tropologicè autem, sensu ad mores accommodato, Franciscus Ribera, per *Perpendiculum* accipit Legem DEI, quam nuper probavimus esse Regulam nostram Architectonicam, quæ sæpe pro Perpendiculo, & hoc pro illa ponitur, cum Perpendiculum sit quædam Regula. Ait autem quosdam sine Perpendiculo ædificare, qui virtutes virtutibus, operando strenuè, tanquam lapides lapidibus connectentes, regulam verâ, quæ ex DEI est, non adhibent considerando, quid secundum illam rectum, quid obliquum; sed oculis metientes, pro Perpendiculo: hoc est, voluntati suæ carnique judicium relinquentes, quasi rectum amplectuntur, quodlibet, & illud maximè, quod concupiscentia suadet. Sicut mulieres illæ (in quibus procaces animæ, & leves, seque ipsas amantes intelliguntur) dicebant audaciter Jeremiæ, cap. XLIV. *Sermonem quem loquutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro.* At cùm Dominus misericors & miserator revertitur ad Ierusalem, & plenè animam occupat, extenditur Perpendiculum super Ierusalem, & omnia DEI voluntate definiuntur; pulsaque concupiscentia regnat Spiritus, & Lex DEI: ut dici possit de illo: *In Lege Domini voluntas ejus: & in Lege ejus meditabitur die ac nocte* Psal. 1.

BONA hæc est interpretatio, & moralis expositio: sed illi non cedit, quæ nostro est magis accommodata instituto, & Perpendiculo, tãnquam symbolo CHRISTVM, eiusque vitam & mores designari significat: nam alibi quoque Mensuræ Architectonicæ figura symbolicè exprimitur. Certè. Apocalypsis XXI. ubi agitur de mensuranda Civitate sancta, quæ est imago Ædificii spiritualis, aut hæc illius, scribit Ioannes: *Qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam, ut metiretur Civitatem: & mensura est murum ejus, mensura hominis, qui est Angeli.* Quod Glossa Christo accommodat, tanquam Ecclesiæ militantis & & triumphantis Mensuræ.

Hoc schemate fortasse vocatur Christus Disciplina, Psalmo secundo, *Apprehendite* Disciplinam, ne quando irascatur Dominus. Quod Chaldæus vertit: *recipite doctrinam*: LXX. autem, δράξασθε παιδείας, *apprehendite velut manu disciplinam*. Vbi Disciplina Hebraicè est *Bar*, quod significare potest filiũ, & illud, *apprehẽdite*, adorate: quare vertunt multi, *Adorate Filium*. Itaque Filius DEI adorandus, Christus JESVS, est *Disciplina*, *Doctrina*, *Perpendiculum*, ad quod omnis rectitudo in Virtutum Ædificio ea constituenda. Huc facit, quod superius adduximus ex Canticorum I. *Recti diligunt te*, ubi LXX. *Rectitudo*, vel *Æquitas*, id est Christus, ut interpretatur D. Gregorius Nyssenus. Simili sensu Clemẽs Alexandrinus lib. I. Stromat. auctor est à Petro Apostolo, Christum appellari solitum Legem & Rationem, quam ille regiam, & animatam prædicat. Porrò, Christum Dominum non solùm esse Perpendiculum, quo æquetur Ædificium humanum, & examinetur rectitudo structurę hominis, sed etiam Angeli, observat S. Augustinus lib. I. de Consensu Evangelistarum cap. 55. sic scribens: *Consultum est divina providentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occi-*

videntibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa DEI *Sapientia ad unitatem Personæ suæ homine adsumpto, in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrue salutis nostræ dicendo & faciendo patiendo & sustinendo, fieret & deorsum hominibus exemplum redeundi, & iis, qui sursum sunt, Angelis, exemplum manendi.*

ARTICULUS IV.

EXEMPLVM CHRISTI

Quomodo applicandum sit, tanquam Perpendiculum, ab Architecto Christiano.

EXACTISSIMVM est Perpendiculũ Salvatoris nostri Exemplum, ad quod si virtutes omnes exigeremus, facile quid illis desit in notitiam nostram veniret. Vis scire, an Humilitas tua, abjectio, & tui ipsius contemptus rectè consurgant? applica Perpendiculum. Considera idemtidem illum qui dixit: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde* Matthæi XI. Qui nunquam legitur cum ullo hominum contendisse de primo loco, primo accubitu, primis salutationibus, ambulatione ad dextetam, sessione in capite, præcedentiâ in egressu, & similibus ambitionis quisquiliis. Qui cùm orta esset contentio inter Discipulos, quis eorum videretur esse major, præcepit humilitatis officium, ptæmisso inter suos & alleclas discrimine: Luc. XXII, 24. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Adducit deinde Exemplum suum velut Perpendiculum: *Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.*

AMBI-

AMBIGIS de Patientiæ tuæ rectitudine? arripe Perpendiculum, & accommoda. Christus *cùm malediceretur*, inquit Petrus Apostolus, (*a*) *non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè. Ad hujus ergo similitudinem & imaginem*, ut monet S. Ambrosius, (*b*) *Iustus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut Agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum: & cùm posset habere quod referat, magis vult silere, quàm dicere: ipse enim Dominus* IESVS *cùm accusaretur, tacebat; & cùm percuteretur, non repercutiebat.* Dubitas de æqualitate Obedientiæ? appone Perpendiculum. (*c*) *Christus factus est obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis.* Subditus erat DEUS homini: & tu te opponis legitimo magistratui. Quid refragaris terra & cinis? Vereris curvitatem in studio Paupertatis Religiosè? examina illam ad Perpendiculum. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habuit ubi caput reclinaret. Lucæ* IX. 58.

(*a*) 1. Petri 2. 23. (*b*) S. Amb. in Psal. XXXVII. (*c*) Ad Philip. II. 8.

SERMO IV.

NORMA

Architecti Christiani

EXEMPLVM SANCTORVM.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Probatur ejus usus ex Sacra-Scriptura.

PERPENDICVLO haud multum absimile est instrumentum, quod vocatur NORMA, vulgo QVADRA Angulis dirigendis accommodum, ut docet Vitruvius. In Architectonicâ Christianâ, post Legem, quæ est Regula, & Exemplum Christi, quod est Perpendiculum, dirigendis actionibus studiosis deservit, tãquam Norma, Exemplum Sanctorum, qui Christi imitatione excelluerũt. Ita sentiebat Paulus Apostolus Sapiens ille Architectus, qui instruens primos Ecclesiæ Christianos, provocat ad fidem Sanctorum Veteris Testamenti, quorum propterea integrum texit catalogum, ad Hebræos XI. eorum simul virtutes aliàs commemorans, imitandasque proponens. Simili modo S. Petrus in medium adducit obedientiam Saræ, & justitiam Lothi. Eodem fine S. Jacobus memorat sufferentiam Jobi; & constantiam in orando Eliæ. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.* Item, obedientiam Abrahami, & bonorum operum ubertatem. *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*

Hvc spectat illud Senioris Tobiæ, qui uxori ob plagam cæcitatis à DEO immissam obmurmuranti, dicebat: *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam*

DEUS

(a) *Vitru.* lib. VII. (b) *Plin.* lib. XXXVI. *cap.* 22. (c) 1. *Petri* 3. (d) 2. *Petri* 2. (e) *Iac.* 5. (f) *Iacob.* 2. 21. (g) *Tobiæ* 2. 17. 18.

DEUS *daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab ea.* Et istud Prophetæ consolantis se in persequutione Iezabelis mortem violentam intentantis, cùm peteret animæ suæ ut moreretur, diceretque, *sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei.* Hac Normâ, ut utamur, monet Apostolus, Hebræos ad opus Architectonicum extimulans: *Memento Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum* DEI, *quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Immò, Christus ipse hanc Normam in manus dabat adversariis suis, ut ea examinarent, quæ benè se agere existimabant. *Pater noster Abraham est*, dicebant. Annuebat Dominus, sed inferebat: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Accipite exemplum Abrahæ veluti Normam, & angulorum domus vestræ curvitatem corrigite, id est, operationum vestrarum pravitatem emendate.

OB hanc causam Ecclesia Catholica dies festos hominum Sanctorum indicit, & solenniter celebrat. Verùm, quamvis omnium à mundo condito Sanctorum exemplum sit Norma, quâ Fabricam & suam & aliorum explorare possit Architectus Christianus; tamen magis exactæ perfectæque Normæ rationem habet eorum Exemplum, qui in Novo Testamento, quod est gratiæ & sanctitatis, Ideam omnis perfectionis Christum Dominum moribus actionibusque suis quàm proximè exprimere sunt conati. *Imitatores*, inquit Apostolus 1. *Corint.* IV. 16. *mei estote sicut & ego Christi.* Quem sicut referebat ipse, sic ad eum alios quoque conformare nitebatur. Quare eam veræ virtutis functionem Ecclesiæ Doctores asserunt, quæ formam habeat, similitudinemque perfectam rectitudinis ac sanctitatis Apostolorum virorumque Apostolicorum, quales quolibet seculo

Eccle-

(a) 3. *Reg.* 19, 4. (b) *Ad Hebræ.* XIII. 7. (c) *Ioann.* VIII.

Ecclesia Catholica fuerunt non pauci. Ad quorum imitationem dum nos hortatur Ecclesia, docet ipsorum Exemplum nostræ vitæ Normam esse. Vtinam ille quotidie actionibus nostris accommodemus. Præclara est ista S. Augustini ad hanc rem commonitio. *Serm. 47. de Sanct. Quotiescumque*, fratres carissimi, *Sanctorũ Martyrum solennia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitãdo, accipere mereamur æterna. Ab eis Sanctorum Martyrum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum Exempla sequuntur. Solennitates enim Martyrum, exhortationes Martyrium sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationes Mundi nolumus sustinere cum illis. Qui enim Sanctos Martyres, vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire.*

ARTICVLVS II.

Exemplo Maiorum

Benè credentium & operantium, veluti Norma, *deprehenditur obliquitas Fabricæ Spiritualis.*

Hinc apparet, quanta sit hujus Normæ necessitas & utilitas qua applicata Majores nostri, Viri orthodoxi, & singulari Sapientia præditi explorarunt, demonstraruntque in multorum fabricis inæqualitates proclinationes, & alia vitia haud minima, quæ auctores ipsos, homines cetera summos, latebant. Hac apposita Norma condemnarunt nonnunquam iidem erroris sententias, à multis receptas, & judicatas verissimas; rejecerunt instituta, & mores ab aliis approbatos; habuerunt tanquam

quam scelera, quæ putabantur facinora heroica, quia probitatis & perfectionis Christianæ specimen præ se ferebant. Vt Origenis Adamantii, ex castitatis amore inconsiderato, præcipitem corporis castrationem: Euagrii Pontici passionum, & sensuum cohibitionem tale, quæ non differet à Stoicorum ἀπαθείᾳ: Priscilianistarum immoderatam abstinentiam: Novatianorum immodicam, puritatis prætextu, severitatem: Paupertum Lugdunensium intolerandam rerum omnium abdicationem; & istiusmodi alia multa, quæ quamquam virtutis speciem haberent; tamen quia longè aberant ab antiquâ Apostolicaque Sanctitate non habere rectitudinem debitam Ædificio spirituali virtutum est animadversum, & à peritissimis Ecclesiæ Architectis judicatum.

Hanc dnnique Normam, quæ est Patrum antiquorum Exemplum, adhibet Ecclesia, ad novarum doctrinarum rectitudinem investigandam, ad nova vivendi Instituta examinanda, novos Ecclesiasticorum mores, contemplativorum afflatus, visa, revelationes fœminarum, ut spargitur, factas, probandas vel improbandas. Sic quidem existimat, se tunc demum ab omni superstitione, errore, dolo, falsitateque liberam fore, ac tutam, si post Regulam Legis divinæ, & Perpendiculum, quod est Exemplum Christi Domini, admoveat Normam exemplarem à Majoribus acceptam, cujus auctorem fuisse ipsam increatam, & incarnatam Sapientiam Architectricem non ambigit.

(o)

SERMO

SERMO V.

LIBELLA ET AMVSSIS *Architecti Christiani* PRVDENTIA ET DISCRETIO.

ARTICVLVS I.

Ex doctrina Patrum.

AD FINE admodum est Normæ Instrumentum illud architectonicum, quod LIBELLA dicitur, & cum hac, munere conveniens, AMUSSIS. Vtrumque superius est definitum: utroque plana coæquantur, & diriguntur ad rectitudinem ligna, & lapides. Libellæ rationem in Architecturâ nostra habet *Prudentia*, Amussis verò, *Discretio*. Utraque efficit, ut nihil ad rectitudinem in Virtutibus desideretur: &, nisi adhibeantur maturè, fabrica virtutum multa vitia contrahit. Audiatur Papa Gregorius, cujus est hoc enunciatum. *Nisi Virtutes, Sapientiæ epulis repletæ, ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.* De Discretione, quo nomine utuntur scriptores Ecclesiastici, & potissimùm Ascetæ, idem affirmant Magistri Spirituales. Et quidem Ioannes Cassianus

(a) *Lib. 2. Moral. cap 33.*

nus (*a*) tantum ei tribuendum censet, ut asserat eam in virtutis exercitatione esse Lucernam illam Evangelicam apud Matthæum & Lucam, (*b*) quæ totum corpus lucidum facit: immò, *Solem* quem Apostolus monet: ne occidat super iracundiam, ad Ephesios IV. tum verò, ex Salomone in Proverbiis, *Gubernationem* vitæ, *Consilium*, *Sapientiam*: præterea, ex Apostolo Paulo *cibum solidum*: & quæ comparari aliquatenus potest cum Verbo DEI: quandoquidem de illo scriptum est, *Discretor cogitationum, & intentionum cordis*. Ex quibus, & ex S. Antonii sententia concludit: Manifestissimè declaratur, sine Discretione nullam vel perfici, vel stare posse virtutem. Nimirum, quando paries ad Libellæ rectitudinem non est conformatus, neque ad Amussim erectus, proclinat, & facile in ruinam tendit. Hæc adeò vera sunt, ut Virtutibus quoque Theologicis hæc instrumenta accommodari debeant: nam nec actus fidei, spei, & caritatis nomen tuentur suum, nisi ad Prudentiæ Libellam, & Amussim Discretionis exacti prodeant.

(a) *Collat.* 21. *cap.* 4. (b) *Matt.* VI. *Luc.* XI. (c) *Prov.* XI. 14. (d) *Hebr.* V. 23. (e) *Hebr.* IV. 12.

ARTICULUS II.

EXEMPLO CHRISTI

Idem adstruitur & stabilitur.

IN Christo annorum duodecim puero commendabatur Prudentia, cùm sederet in medio Doctorum, & interrogaret, responderet, fileret. *Luc.* 2. *Stupebant omnes*, inquit Evangelista, *qui eum audiebant, super prudentia, & respon-*

responsis ejus. Ego etiam stupeo super Prudentiâ & Discretione in dando responso Parentibus eum in templo quærentibus, & tandem invenientibus. Manserat iis insciis, ob religionis negocium: discurritur, investigatur, deprehenditur: dolorem ostendit Mater, quod clam se subduxisset, & abfuisset triduo à suo & cognatorum cõtubernio. *Fili, quid feciſti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Non, dicit Christus tumultuosè. quid ad vos? non equidem teneor vobis audire in hac re, quæ religionem spectat, & Deum, mei sum juris. Ite vias vestras: hic manere volo. Non censebat ista esse responsa ad Libellam Prudentiæ, & Discretionis Amussim exacta. Illustre exemplum pro filiisfamilias in potestate parentum constitutis, qui etiamsi possint aliquando ire ad templum, remanere diutius, quàm parentibus sit gratum; tamen ea de re conquerentibus, nunquam est obmurmurandum: nunquam dicendum, non teneor vobis obedire; quod pessimè sonat, nec usurpandum iis esset, etiam in Religionis ingressu, nisi alia non levis momenti subsit caussa.

Est enim juris naturæ, obedire parentibus: at, Consilii Evangelici tantùm, relictis omnibus, Religionis arripere Institutum. Ius autem, sive Lex naturæ magis & strictius obligat, quàm Consilium Evangelicum; quod ne quidem obligat, nisi sponte libereque susceptum, aut voti religione promissum. Quod ordinariè nõ est concipiendum inconsulto & inscio patre spirituali, conscientiæ moderatore; nec mandandum exequutioni, nisi indicetur prius parentibus carnalibus, & ipsorum requiratur consensus, aut constantia in proposito, aliisque modis licitis, per se, perque alios extorqueatur. Hoc suadet Discretio, & Prudentia Christiana: hoc parentum meritum, hoc filialis amor ac debitum postulat. Hoc

Christi exemplum docet, quod est Regula, Norma, Libella, Amussis omnium actionum Christianarum.

SERMO VI.

CALAMVS
Architecti Christiani
MODVS ET MEDIOCRITAS.

ARTICULUS I.

Quid sit Calamus Architectonicus. Et quod ejus munus ad Fabricam.

IN Divinis litteris, quando Architectus effingitur, vel uno, vel duplici instrumento insignis repræsentari solet, Funiculo, & Cal arundineâ, seu Calamo. Cùm Ezechieli cap. XL. offerretur Templum & inspiciendum, & singularum partium mensuræ ac totius fabricæ symmetria contemplanda, primò dedit se videndum Vir, *& funiculus lineus in manu ejus, & Calamus mensuræ in manu ejus*, ut inquit Sacer historicus noster. LXX. vertunt, *In manu ejus erat funiculus cæmentariorum*, & Calamus, *mensura*. Theodoretus habet, *Calamus & Funiculus ad ædificandi usum confectus*. S. Hieronymus autem, *Funiculus erat lineus, sive cæmentarum, in manu ejus*; de quo & in Zacharia capite secundo scriptum

scriptum est, quod funiculum habuerit geometricum, ut latitudinem, & longitudinem urbis metiretur. In Novo Testamento, Ioanni Apostolo, Apocalyp. XI. cùm mandaretur, ut tanquam Architecturæ utriusque peritus, metiretur Templum DEI, & Altare, & adorantes in ea, datus est Calamus similis Virgæ, dictumque, *Surge & metire Templum* DEI. Vsum autem tum Calami, tum Funiculi explicant Rabbini in cap. XL. Ezechielis. Vbi R. David Kimchi utrumq; instrumentum ad metiendum adhiberi solitum tradit, mox subdens, *Funiculo homo mensurat mensuram magnam in area, aut in profundo*: Calamo *autem mensuram parvam, qualis est mensura ædificij.* R Salomõ scribit *Calamo* mensurari grossitiem muri, & longitudinem ac latitudinem portarum. Sed de Funiculi usu superius disservimus, & Regulæ adjunximus, vel cum illo convenire ostendimus: superestergo Calamus.

ARTICULUS II.

MODUS ET MEDIOCRITAS

Quomodo, tanquam Calamus, Architecto Sacro sit usui.

NVNQVAM faciet Architectus Christianus, virtutum parietem rectum, nisi secundum Mediocritatis Calamum, & Modi mensuram illum erigat, ac dimetiatur. Non habet veram Virtutem, quisquis plus aut minus facit, quàm vera virtus postulat: at utrumque Modus corrigit, & Mediocritas: quam virtuti tam conjunctam adnatamque censet Philosophus, ut Virtutem definiat esse Mediocritatem: & commune est illud Theologorum æquè ac Philosophorum pronunciatum:

(a) *Arist. 1. Ethic. c. 6.*

Virtutem consistere in modo ac mediocritate; sive in *Medio*, duorum extremorum: immò, ut Lyricus cecinit:

Virtus est medium vitiorum utrimque reductum.

Hinc est illud præceptum architectonicum Sapientis Ecclesiastæ: *Noli esse Iustus multum*: id est, plus æquo & nimis: *neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas*: id est, stupidus & insipiens fias. quasi dicat; ad Iustitiæ, & Sapientiæ, quæ sunt præcipuæ Ædificii spiritualis partes erigendas, adhibe Calamum Modi ac Mediocritatis. In quo axiomate, nomen Iustitiæ, aut ejus concretum, non accipitur solùm pro illa virtute, qua jura proximi servantur, sed pro quavis etiam alia. *Bona quidem est Iustitia, omnisq; virtus*, ut disserit S. Bernardus, sed quia adhuc infirmi sumus, oportet, ut bona ipsa temperentur, ne fortè elationis aut indiscretionis vitium incurramus. *Sicut corporeus iste Sol, licet bonus sit, & valdè necessarius, tamen fervor ejus, nisi temperatus fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet.* Monet idem mellifluus Doctor in Sententiis suis moralibus, dicto illo Sapientis, quo præscribitur in virtutum exercitio Modus ac Mediocritas, includi illud usurpatum à Magistris morum, NE QUID NIMIS; &, ut reprimatur fervor pœnitentiæ, aliarumque virtutum procursio immoderata, ne noceat unitati, & serviat indiscretioni. Quod illustrat exemplo, omnia in corpore humano ad mediocritatem redigentis Medici.

AN *dubitas*, inquit, *inveniri & in anima sanguinis non inutilem abundantiam? Audi Sapientem Medicum, qui & ipsum docet Iustitiæ sanguinem minuendum.* Noli, *inquit*, nimium esse justus. *Simile est & istud Apostoli, Ad Rom.* XII. Non plus sapere, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. *Cui putas venæ parcendum est, si & justitia & sapientia egent minutione? Quis enim sanguis utilior? Illud tamen memento*, nec nimis justum,

(a) *Horat.* (b) VII. 17. (c) *S. Bernard. ser. 4. in Psal. 90.*

justum, justum: nec ebriam, ut ita loquar Sapientiam, oportet Sapientiam nominari. *Sic nimirum & in sanguine corporis invenire est: ubi excreverit nimis, non jam adferre corpori nutrimentum, sed detrimentum. Quamobrem si delectat peccare adhuc, sanguis vitiosus est, & minuere festinato. Si vis agere pœnitentiam, castigare ut oportet membra, corpus affligere, judicare temetipsum, ut non incidas in manus* DEI *viventis: justum id quidem, sed ne quid nimis. Alioqui reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni.* Ita S. Bernardus, quod approbant alii Doctores (*a*) Spirituales, qui illud etiam ingerunt quod est Proverbior. XXIII. *Pone Prudentiæ tuæ* MODUM. vel ob hanc causam, quia ut dicitur Ieremiæ XLVIII. *Qui plus fecit, quàm potuit idcirco perijt.* Huc facit paræmia Græcorum, μέτρον ἄριστον: *Modus optimus*

Est Modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Hoc adeò verùm est, ut Pietati quoque, Religioni, & quibuslibet aliis divinis virtutibus CALAMUS Mediocritatis Modice adhiberi debeat. S Hieronymus sanè, vocat nimis justum, phrasi Sapientis, qui sit in religione superstitiosus, & erga debiles inhumanus. *Si quem rigidum, ait, & trucem ad omnia fratrum peccata conspexerit, ut nec in sermone peccati, neque propter naturalem interdum pigritiam moranti det veniam, hunc scito plus justum esse, quàm justum est. Nam in humana justitia est fragilitati conditionis hominum non ignoscens.* Similiter Isidorus Peluſiota dicit esse nimis Iustum, tum qui jus suum nimis rigidè persequitur, tum, qui superstitiosus est, tum, qui exorbitat à medio virtutis. S. Ambrosius arguens Novatianos, homines durissimos, qui certis peccatoribus negabant pœnitentiam,

(a) *Dio. Carthus. Ecc.* VII. (b) *Petrus Blesens. Ser.* 16. *in hebdom.* 5. (c) Horat. Saty. lib. 2. Ode. 10. (d) Lib 16. in Isa. cap. 57. (e) Matth. VII. Nolite judicare. (f) *Isid. lib.* 3. *epist.* 111. 3. 20. (g) *Ambr. lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 1.

nimis justos esse voluisse ostendit, atque exorbitasse, quod non admoverent Calamum Moderationis ad virtutis structuram. Addit autem, propè omnium pulcherrimam virtutem esse Moderationem: quùm Virtutum ille finis sit maximus qui plurimorum spectat profectum. Quod confirmat exemplo DEI, & Christi Domini ovem lassam vehentis, non abijcientis. Tandem verò concludit: debet Iustitiam temperare Moderatio.

E contrario, *Noli esse nimis justus*, quidam interpretantur: noli esse nimis levis, mollis, placidus, nimis bonus, ut omnia peccata dissimules, & nullis resistas. Ita ferè Chaldæus, & Hebræi in Midras, ac R. Haccados, & in exemplum adducũt Saulem, nimis justum seu bonum, quùm pepercit Agag, & melioribus armentis, contra præceptum DEI, 1. *Reg.* 15. 8. Ideoque de regno & vita deturbatus fuit. Sed universim Ecclesiastes sancit, Calamum mediocritatis & modi esse adhibendum in justitia, tum propriè dicta, tum generatim accepta, nimirum in omni virtute. Sic Sapientissimi Interpretes, inter quos Gregorius Nazianzenus, *in Distichis*. qui hoc inde sumit monitum: *Cave, ne vel nimis rigidam Iustitiam, vel incurvam, vel versutam prudentiam habeas. Optimus enim omnibus in rebus est* Modus. *Animi perfidiam rege, ne alioquin à fortitudine ad temeritatem desciscat.* Idem in Oratione XXVI. sic præcipit. *Ne magnoperè justus sis, nec supra modum Sapiens. Par enim Iustitiæ, & Sapientiæ detrimẽtum adfert, acrius tam in actione, quàm in sermone animi impetus, à bono nempe & à virtute propter excessum excidens.*

VIRTUTEM *defectus & excessus peræquè labefactant*, nõ secus, nec Regulam additio aliqua aut detractio. Nemo igitur sapientior sit, quàm conveniat, nec Lege exactior, nec Luce splendidior, nec Norma rectior, nec Præcepto divino

divino sublimior. Id verò qua tandem ratione consequemur? Nempe, si modesti & compositi esse curemus: naturæ Leges cõprobemus, Rationé ducem sequamur, ordinem & Disciplinam non aspernemur. (a) Ejusdem est carmen.

In medio porro VIRTVS *est fixa malorum,*
Haud secus ac spinas inter rosa mollis acutas.

Itaque si Sapiens velis esse Architectus, (b)

MENSVRAM *serva.* MODVS *in re est optimus omni.*

(a) *Nazianz. in præcept. de Virg.* (b) *Hesiodus.*

ARTICULUS III.

CALAMVS

ΤΟ ΠΡΕΠΟΝ. *Decorum.*

EODEM jure cum superioribus, Calamum Architectonicum rectè dixeris, illud à Græcis usurpatum, τὸ πρέπον, à Latinis, *Decorum.* Quo si metirentur homines virtutis studiosi, sive actiones omnes suas, sive vitæ totius processum, nihil nisi rectum, æquale, concinnumque fieret. τὸ πρέπον enim, veluti *Calamus*, operationibus humanis admotum, facit, ut quælibet suo ordine, tempore, modo, intensione constituantur. Ut alius sit vultus domini, alius servi: alius senis, alius juvenis: ut alii sint virorum, alii fœminarum habitus. Hoc monemur, non quæ conveniunt militibus, convenire Ecclesiasticis: non quæ secularibus, esse consentanea Religiosis: Hoc suggeritur, ut non quidlibet cuilibet imperetur.

——— *ne fortè seniles*
Mandentur iuveni partes, pueroq; viriles.

deni-

denique, Decorum quicquid in actionibus humanis honestum videtur, quicquid pulchrum, quicquid probabile, ostendit ac promovet. Nam id Sapientes voluntesse Decorum vt monet M. Tullius, 1. de officiis, quod ita naturæ consentaneum est, vt in eo modèratio & temperantia appareat; cum specie quadam liberali.

NOTÆ.

CALAMUS *cum sit frutex aquaticus, ex quo varia res fiunt, diversa significat.* 1. *Instrumentum scriptorium, quod antiquitus ex arundine conficiebatur. Martialis in distichis.*

Dat chartis calamos habiles Memphitica tellus
Texantur reliqua tecta palude tibi

2. *Sagittam. Plin. lib.* 16. *Calamis populi Orientis bella confiniunt. Virgil. Eccl.* 3.

—— Cùm Daphnidis arcum
Fregisti, & Calamos ——

3. *Fistulam. Virg. Edo.* 5.

Nec calamis solùm æquiparas, sed voce Magistrum.

Eccl. 3.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit. ——

4. *Instrumentum piscatorium, cui hamus longo filo alligatur, ad capiendos pisces.* 5. *Instrumentum aucupis visco illitum capiendis piscibus idoneum. Martial.*

Galbula decipitur calamis, & retibus ales.

6. *Stipitem, vel baculum teretem & fistulosum. Sic vitium & arborum calamos dicimus, quorum etiam num magnus usus est in Italia, ubi vites cannis, arundinibus, seu calamis alligantur, & sustentantur.* 7. *Speciem aromatis. Vnde dicitur, Calamus aromaticus, calamus odoratus, Acorus. de quo Dioscorides, Junius & alii.* 8 *Instrumentum Architectonicum, ad mensurandum aptum. communiter est* VI. *cubitorum & palmi. Nominatur in Sacra-Scriptura, ubi de Templo, & dicitur* calamus mensuræ, *Ezechielis* XL. *ver.* 3. *Ecce* vir & funiculus

lineus

lineus in manu eius: & Calamus mensuræ in manu eius. *Hebraicè, ubi Latinus habet* Calamus, *est* לבה chene, *ut notat Vilalpandus, Tom. 2. lib. 3. cap. 8. qui addit, eandem Hebraicam vocem usurpari vulgo ab Italis, dicentibus* canna, *& Gallis, quibus est* canne, *Hispanis quoque, qui pronunciant* canna. *Vocatur autem hæc longitudinum mensura* canna, *vt mox subiungit, quia longitudine cilindricâ forma cannam refert: deinde, qui cubitis ac palmis distincta cùm esset, calami nodos imitabatur. Huius modi Calami formam, preciosamq; materiam expressit Apocalyps xx. 15. Ioannes Euang.* Et qui loquebatur habebat mensuram arundineam auream; *alii legunt,* Calamum aureum: *nonnulli,* mensuram, arundinem auream; *voce* aureum, *indicans materiam ex qua confecta erat; nomine* arundineam, *denotans formam, quod esset arundini similis. Adde, colorem aureum non esse valdè dissimilem arundineo. Hanc arundinem Aretas in Apocolyps. tradit fuisse geometricam, illis nimirum similem quibus terram dimetiuntur geometræ. At fuisse instrumentum fabricæ & architectonicum colligitur ex Apocalyp. xi. 1. ubi Ioannes eiusmodi mensuram similem virgæ, nempe, arundineæ fuisse scribit:* Datus est mihi Calamus similis Virgæ & dictum est mihi surge, & metire Templum Dei.

Auctores *consulantur.* Richardus *in Explanatione Templi Ezechielis,* Franciscus Ribera *Opere de Templo, & in Apocalyps. Ibidemque* Blasius Viegas. Alcazar, Cornelius; *& hic quoque in lib. Reg. & Ezechielis* 40. Ioannes de Pineda *Lib. de reb. Salomonis, ubi de Templo.* Ioan. Baptista Villalpandus *Tom 2. Explanationum in Ezechiel. lib. 3. cap. quod est totum* de *Funiculo & Calamo mensuræ* in universum. *Vbi inter cetera docet, Calamum, Funiculum; Perpendiculum in Sacra-Scriptura, aut ædificandi, aut evertendi ædificii Symbola esse. per totum autem opus passim de Calamo Architectonico varia tradit, & usum demonstrat. Libro tertio citato cap. xxi. Calami iustam mensuram subducit accurratè. Cap. xxix. docet Calami, qui sex est cubitorum & palmi, usum esse maximum. Præmiserat cap. xvii. Calamum totius Templi ædificati modulum esse. Vbi etiam, quomodo sit constituendus Calamus demonstrat.*

SERMO

SERMO VII.

CICONIA

Architecti Christiani

INTENTIO BONA.

ARTICVLVS I.

Quale instrumentum sit Ciconia Architectonica.

NOTISSIMA est auis Ciconia, rostro longè protenso spectabilis: eo escam è terrâ, immò, infra terram in lacunis latentem attrahit: nempe, serpentes & lacertasnam

—— —— *Serpente Ciconia pullos*
Nutrit, & inventa per florea rura lacerta.

Quod Romanis cantabat Iuvenalis, (a) quorum liberi tales evadebant, quales à parentibus instituebantur: alludens ad naturam Ciconiæ, eiusque pullorum, qui à teneris assuefacti colubris deinde avidissimè vescuntur. Huius volucris figuram aliquatenus refert lignum rostratum, quo è puteis aqua hausti attolli & educi solet. Telonem agricolæ vocant, Hispani Ciconiam. Est aliud instrumentum eiusdem nominis, quo agricolæ uti solebant in sulcis & fossis ducendis, ne qua pars aliis aut profundior esset aut latior, de quo Columella lib. IV. *Huic operi erigendo, quasi quandam machinam commenti maio-*

ris

res nostri, Regulam fabricaverunt, in cuius latere virga prominens ad eam altitudinem, quæ deprimi sulcum oportet contingat summam ripæ partem. Id genus mensuræ Ciconiam *vocant rustici.* Instrumentis istis non est dissimile admodum, in Architecturâ dictum, Ciconia, cuius est hæc structura. Trabs longa & robusta altè solo depangitur, cui altrinsecus altera longior transversa immittititur, fibula adstricta vnam partem prægravante. Eo instrumento, quæ sunt necessaria ad ædificationem in altum tolluntur.

Si autem ullibi, certe hîc Coloniæ celebris est *Ciconia Architectonica*, quæ frequentissimè in oculos incurrit: & vrbs ipsa nullo alio signo est æquè noscibilis in mappis cosmographis, ac ingenti illa Ciconia, quæ insistit altitudini turris inchoatæ ad latus templi metropolitani, ubi magnis impensis, & multorum laboribus est constituta, ad ferrum, æs, lapides, aliaque eius generis attrahenda, quibus perfici posset fabrica, nisi deessent, quæ maximè sunt ad complementum necessaria. Licet autem ab ædificatione aliquot annorum centuriis cessatum fuerit, locum tamen suum retinet Ciconia, quæ certis temporum intervallis reparatur, ne concidat. Ea verò circumgyratione suâ magis, quàm clamosâ voce monet Colonienses, ut sint Sapientes Architecti, & Domum Dei, si non illam mattetalem in terrâ, saltem spiritualem in animâ, & cœlo perficiant: ne audire cogantur cum sarcasmo quod est Lucæ 14. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Quod magis detestandum, quàm si à tergo per ludibrium eum pinseret ciconia (*a*)

Intelligitis ex his haud dubiè quale instrumentum sit in arte ædificatoria Ciconia.

(*a*) Satyr. 1. Pyrsius. *O Iane à tergo, quem nulla Ciconia pinsit.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

INTENTIO BONA

Comparatur Ciconiæ Architectonicæ.

NON ignoratis autem, reor, Domum Sapientiæ extrui non posse sine intentione laudabili, sive illa Recta, sive bona dicatur: hãc enim necessariò debere adhiberi ad quælibet virtutum verarum officia, ex quibus frabrica spiritualis consurgit, in confesso est. Eam Magister cælestis Matth. VI. & Lucæ XI. vocat oculum, nempe cordis: non quod sit actus intellectus, ut Theologicè loquamur; sed cùm sit actus voluntatis, quâ quis secundum rationem, vult finem aliquem, ad quem se & actiones suas dirigat, eo vir Sapiens, tanquam itineris sui oculo, ac duce utatur. D. Bernardus eandem comparat Genis, & suavissimè differit, Serm. 40. in Cant. *Cogita animæ faciem esse mentis intentionem: ex quâ nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur.* Sed cur Genas pluraliter dicendum putavit? Attende. Duo quædam in Intentione necessariò requiruntur, *Res* & *Caussa*: id est, *Quid intendas, & propter quid.* Quæ facies altero horum caret, non habet genas, sicut turturis multo minus si utrumque defuerit. Optima est comparatio, quam exemplis illustrat ingeniosus Abbas.

SED cur in Disciplinâ Architectonica Ciconiæ conferri non possit perquam accommodatè, haud video. Est enim Bona intentio instar trabis altissimæ, ac firmissimæ cuius ope, iunctis ponderibus vltimi finis, operationes bonæ in altum tolluntur. *Intentio*, inquit S. Augustinus Lib. 2. de Serm. D. in mon. cap. 21. *est quâ faci-*

mus,

mus, quicquid facimus. Quæ si munda fuerit & recta, & illud aſpiciens quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra, quæ ſecundum eam operamur, neceſſe eſt, ut bona ſint. Ille autem dicitur habere bonam Intentionem, qui quæ facit bona, facit propter DEUM, ſeu finem altiſſimum, ut fuſè explicat S. Bernardus loco allegato, ubi omnia intentionum genera partesque diſtinguit & exornat, tandemque concludit: *Solum inquire* DEUM, *propter ipſum ſolum: hoc planè eſt, utramque bipartitæ Intentionis faciem habere pulcherrimam.*

Hoc inſtrumento, tam alte educit Architectus Chriſtianus ſuam fabricam, ſeu virtutum officia, ut ad rerum apicem DEUM elevet. Facit enim *bona Intentio,* ut operationes, quamvis adiaphoræ, ut manducandi, ſtudendi, deambulandi, ac ſimiles non ſolum ſint Deo gratæ, verum etiam vitæ æternæ meritoriæ. Sed quemadmodum aqua, ſi ſit in fonte aut puteo corrupta, & lapides ſi non ſint ad ædificationem idonei, per attractionem Ciconiæ putealis vitia non deponunt; ita nec bona Intentione fit, ut actiones quę in ſeipſis malę ſunt, pravitatem deponant, & in bonas mutentur. Quod fortaſſe aliquis minus peritus opinari poſſet, furtum committendo, ut pauperibus largiatur quidpiam. Sed iam olim damnavit Apoſtolus dicentes, *Faciamus mala, ut eveniant bona*: furemur, ut pauperum inopiam ſublevemus: *quorum damnatio,* inquit, *iuſta eſt*, ad Romanos III. 8.

(o)

SERMO

SERMO VIII.

TYMPANVM

Architecti Christiani

ORATIO.

ARTICULUS I.

Tympani figura, & vsus.

VOCATVR ab Architectis Tympanum machina rotunda ad rotæ similitudinem, quæ à calcantibus hominibus circumagitur, & axis fune obvoluto, ac circumgyratione effert lapides aliaque omnis generis pondera; vel aquam haurit situlis maioribus, vel ruinis per canales, ut horti irrigentur. Huiusmodi Tympana in portubus emporiorum est cernere, ad exonerandas naves accommodata. Utilissimum Instrumentum, per quod facilis est gravissimorum ponderum attractus. Lucretius libro IV.

Multaq; per trochleas, & Tympana pondere magno
Commovet atque levi sustollit machina nisu.

ARCHI-

ARTICVLVS II.

ORATIO

Cum Tympano confertur.

ORATIONEM haud malè conceperis, tanquam Tympanum, vel Rotam, quæ ſurſum deorſumque gyratione multiplici voluatur; & quidem continua quaſi ſalcatione & gradatione, Intellectus, Voluntatis, & Memoriæ: quæ potentiæ ſe mutuo, vti homines in rotâ verſatili conſequuntur. Incipit ab imo: nam orans clamat *De profundis*: paulatim autem aſcendit per rerum creatarum conſiderationes: tum ad ſummum venit aſpirationum divinarum, & per coniunctionem cum DEO. Tandem iterum ad inferiora delabitur, res ad vitam neceſſarias poſtulando: ſed has cum ad Dei honorem dirigit, rotam denuo ad ſuperiora ducit.

Hoc Tympano graviſſima & vaſtiſſima onera in altum tolluntur. Quod onus vaſtius Animâ humanâ quæ mundum in ſe continet? quod gravius eadem, quæ mille premitur ærumnis, calamitatibus, adde, peccatis? quæ ſunt plumbea pondera Ætnâ graviora. Anima tamen quamvis ipſa ſibi gravis, quamvis peccatis ſit immerſa quamvis iniquitates ſupergreſſæ ſint caput eius, ut deploret ſortem ſuam, exclamet identidem, *ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, huius ratione tympani in altum attrahitur, & ad ſummum evadit. Oratio namque eſt elevatio mentis in DEUM: quaſi dicas architectonicè, Tympanum, quo anima ad DEUM attollitur. Oratio, inquit D. Auguſtinus, (*b*)

quid est, nisi ascensio animæ de terris ad cælestia? Tam altè autem per hoc Tympanum ascendit, ut ad thronum altissimi perveniat. (c) Nam *oratio humiliantis se nubes penetrat, & non discedit donec altissimus respiciat.*

(a) Psal. xxxvii. 5. (b) Serm. 230. de Temp. (c) Eccl. xxxv. 21.

SERMO IX.

TROCHLEA

Architecti Christiani.

COMPUNCTIO. CHARITAS.

ARTICULUS I.

Instrumenti delineatio.

VISITATUM est in officina architectonica instrumentum, quod dicitur Trochlea: (a) eam licet describere, Machina tractoria cum æneo ligneove orbiculo, qui circum axiculum versatur: habet autem funem ductorium, qui per trochleæ orbiculum traiicitur. Alii sic definiunt, Est instrumentum cum orbiculis ad sublevanda, & demittenda onera. Vel, Rotula striata è ligno aut ære, qua aqua hauritur fune ductario, & hydria. Budæus scribit, Trochleam significare totã illam machinam

(a) *Trochlea polyspastos.* τροχὸς. τροχιλιοι.

nam, quæ continet rotulam & axiculum, per rotulam traiectum, circa quem rotula versatur & præterea, ductarium funem; qui circa orbiculum æneum currit, quales in puteis videmus, quas *polias* vocant. Vitruvio, *Trochlea polispastos* est, in qua plures orbiculi striati versantur.

ARTICULUS II.

Trochlea - Compunctio

VT Trochleam videtur concepisse virtutem Compunctionis D. Gregorius Papa mirè felix in confingendis imaginibus symbolicis. Sic autem scribit libro 1. Moral. cap. xxxv. *Virtutum sensus*, hoc est, pondera, *& quanti quæque sit virtutis actio, ac qualis, melius preces, quàm discussiones inveniunt. Nam ea quæ perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, sæpe verius orando, quàm investigando penetramus. Cùm enim mens per quandam Compunctionis machinam ad alta sustollitur, quod ei de seipsa occurreret, sub se ipsa diiudicando certius contemplatur.* Dum audeo *Machinam compunctionis*, obiicitur animo veluti Trochlea quædam quâ mens ad altiora trahitur.

ARTICULUS III.

Trochlea - Caritas.

HAud minus congruè, ut existimo, tanquam *Trochlea* apprehendetur *Caritas*. Qua virtute fit, ut omnes virtutes aliæ veluti per ductorium funem rotulæ circumposi-

positum attollantur. Certè, altissimum operationum finem proponit Caritas, ad quem virtutum omnium functiones attollit : & ut attollat commodius funes in se continet. Funes enim Caritatis sunt, de quibus: *In funiculis Adam traham eos: in Vinculis caritatis* Osee 11. 4. Apostolus quoque concipit Caritatem ut vinculum, vel funem attractorium, dum eam appellat *Vinculum perfectionis*, id est, perfectissimum, ad Colossenses. 111.

UTINAM ! quæ instrumenta Artis ædificatoriæ expressi, atque explicavi, ex quorum usu brevissime docui, apud vos usùm haberent ab hodierno die, quàm vos omnes, quod opto Auditores bonæ ædificationis, perfecti essetis in Architectonica Christiana Artifices? Nam nihil à vobis, sive corde, sive lingua, sive manu; nihil cogitatu, loquela, operatione; denique nihil ab ulla potentia vel membro prodiret, quod non esset per Ciconiam bonæ intentionis, in altum eductum per Tympanum Orationis superis coniunctum, per Trochleam caritatis ad DEUM attractum, denique nihil non perfectum ad Perpendiculum Exempli CHRISTI JESU, cum quo opto equidem ut proficiatis, sicut ætate, sic sapientia & gratia, apud Deum & homines, usque dum veniatis ad vitam æternam quam vobis enixissimè precor, dare autem facillimè potest, qui solus omnia,

DEUS Pater, Filius & Spiritus-Sanctus.

AMEN.

SERMO

SERMO X.

CLAVI *Architecti Christiani.*

ARTICULUS I.

Tempus ædificandi peculiare in Ecclesia Christi, est à Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam Paschatis protensum.

HODIERNA Dominica, qua huc convenimus, Auditores dilecti dicitur *Septuagesimæ*, aut *in Septuagesimâ*, Ecclesiastica loquendi formula. Sic autem denominatur, vel à numero dierum Septuaginta, qui ab hac Dominica, usque ad dies temporis paschalis fluunt; vel ab hebdomadibus septem quæ numerantur usque ad Pascha. Nec dispari modo, quæ proximè sequitur Dominica, appellatur *Sexagesimæ*, quæ deinde *Quinquagesimæ*, denique *Quadragesimæ*. Incipit autem ab hac Dominica tempus, melius quàm ante hac vivendi, seu ædificandi: tempus pœnitentiæ ac luctus, tempus exercendarum virtutum variarum, tempus vacandi gnaviter diversis pietatis officiis, tempus non solùm adimplendi mandata Divina, verùm superaddendi opera aliqua, quæ quoniam non sunt præcepta, vocantur *Opera supererogationis*, alludendo ad illud boni Samaritani: *Quodcunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam*

dam tibi. Lucæ x. 35. Denique est tempus Artium ac Disciplinarum, quæ ad actionem referuntur, & à Philosophis denominantur Practicæ, inter quas primatum obtinet

ARS ÆDIFICATORIA, seu Architectonica Christiana, quæ facit bonos Operarios, de quibus est sermo in hodierno Evangelio. In quo alia quidem metaphora, sed eodem ducente, describuntur Cultores Vineæ, qui sunt iidem, quos nos appellamus Ædificatores Ecclesiæ, Apostolicique Viri, & quilibet fidelis Christianus, qui in se primo, tum in proximis ædificat Domicilium Virtutis, & Templum divinitatis. Ut autem quilibet Operarius, vel Artifex indiget instrumentis Artis propriis, sine quibus nullum opus artificiosum efficere potest, ut vinitor sine falce, sutor sine subula, sartor sine acu; ita variis opus habet Ædificator noster Evangelicus. Quem, ut omni instrumentorum genere instructum haberemus, donavimus illi Regulam, Perpendiculum, Normam, Libellam, Amussim, Calamum, Funiculum, Ciconiam, Tympanum, Trochleam. Sed mirati fortasse sunt aliqui, qui haud indiligenter hæc nostra audire solent, & excipere, cur nulla sit mentio Clavorum, nulla Mallei, quæ sunt instrumenta communissima, & ad omnem ædificationem necessaria. Quare, ne omittamus, quæ ad suppellectilem Artis ædificatoriæ maximè spectant, de iis quoque ordine agendum est.

(***)

ARTI-

ARTICULUS II.

CLAVUS

Timor Domini.

CLAVI in omnibus penè domus partibus requiruntur, ad conjungenda illa quæ dissita sunt. Officium clavorum est, pertundere, figere, infigere. Effectus copulatio eorum, quæ antea erant separata: firmiter continere quidpiam, & facere, ut immobiliter hæreat. Quæ omnia & plura eius generis Timori Domini conveniunt, qui idcirco, ut clavus concipi potest, ut illum apprehendisse videtur Propheta Regius, orans suppliciter DEUM Psalmo CXVIII. *Confige Timore tuo carnes meas.* Ubinè unquam prævaricetur, aut peccando DEUM Judicem offendat, ac in se irritet, inusitatis precibus, ut loquitur S. Hilarius flagitat confirmationem in bono, & petit, carnes, id est, carnales cupiditates suas configi DEI Timore veluti trabalibus validissimis clavis, plane ut se ampliùs commovere non valeat, non insurgere, non recalcitrare, ut exponit Joannes Lorinus, qui sequutus commentatores Latinos, & ex Græcis probatissimos, addit, hoc esse, quod Apostolus appellat, *Crucifigere carnem cum vitiis & concupiscentiis*, ad Galat. 5. ne quicquam sit deinceps, quod avellere DEI amatorem cultoremque possit à sancto illo eius honore & amore, per quem semper legem ac voluntatem ipsius quàm exactissimè perficiat operando. Quemadmodum qui clavis in saxo fixus & affixus est, inquit S. Chrysostomus, moveri nequit. Latinus quidem Interpres non factâ mentione clavi aut clavorum, vertit originalia, *Confige Timore tuo carnes meas.* At LXXta legerunt in Hebræo quidpiam, quod clavo-

rum

rum significationem habet: undè verterunt καθείλατο ἐκ τῦ φόβου σε τὰς σαρκάς με : quod Psalterium Ambrosianum ita Latinè exprimit: *Infige clavis à Timore tuo*: Vetus, & Augustinus ac Prosper, *Confige Clavis à Timore tuo*: Cyprianus, (a) *Confige clavis de metu tuo*. Et monet D. Hilarius, trãslationem Latinam minore dicti virtute eloquutam esse, clavos non exprimendo: ait quoque S. Augustinus, (b) absque clavis Græcum καθείλατον intelligi non posse: denique, in verbo Hebraicè correspondente, (c) Clavos agnoscunt, Richardus Cenomanus, Genebrardus, Avendano, Bellarminus, omnes Hebraici sermonis periti. Recte igitur

TIMOR ut CLAVUS concipitur, & *Clavus* dicitur. At, quis Timor? Imprimis Timor pœnæ, servilis, & imperfectus. Sic S. Bernard. Serm. de triplici cohærentia vincul. qui docens animam spiritualiter DEO adstringi, aut affligi, tria instrumenta nominat, *Funem* pudoris, *Clavum* timoris, Glutinum amoris, ac ne dubitetur de timoris specie, adiungit epitheton, gehennalis. Et sanè, hic Timor præcipuè facit, ut sentiatur molestia illa quàm creat Clavi confixio. Ut enim docet S. Thomas in summa Theologicâ, 1.2.q.44. art. 1. & ostendit experientia, Timor caussat contractionem, quàm B. Damascenus, appellat lib. 3. cap. 23. συσολὴν. siquidem Timor provenit ex apprehensione alicuius mali imminentis, quod difficile repelli potest: & hoc ex debilitate virtutis: hæc autem quo debilior, ad pauciora se extendit; sicut in mor entibus natura retrahitur ad interiora, & stringuntur frigore membra. Sic quoque in trepidatione civitatis, cives recurrunt, quantum possunt ad interiora. Magis expressè de Timore servili differit D. Bonaventura,

expo

(b) *Cyp. l. 2. cap. 20. cont. Iud.* (b) Conc. 25. in Psal. 118.

(d) לְמוֹד Samar.

exponens illum versiculum, Timorisque effectum declarans: *Cùm imaginatio*, inquit, *imaginatur supplicium peccatoris, quasi doloris gladio se succingit, & sensualitatis dissolutionem per formidinem sic constringit, quod eadem affectionis altitudinem non attingit, & illa rationis rectitudinem non adstringit.* Subiungit autem ita revera indicare voluisse Prophetam pronunciantem ista verba: *Confige Timore tuo carnes meas:* quasi diceret: Constringe per terribilem imaginationem sensualitatis dissolutionem, quoniam à iudiciis tuis timui; quæ sunt penes rationem, ne violentur per voluntatis violationem. Clarissime S. Basilius hom. in ps. 33. ut DEI timorem Castitati conservandæ necessarium ostendat: *Quemadmodum*, inquit, *qui corporis membra habent* Clavis *transfixa ad actionem quamlibet immobilia ea retinent; sic quorum animam occupavit* Timor DEI *omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitat.* Quare optimè oravit David, *Confige Timore tuo carnes meas.*

VERUM, Clavus ita Timorem servilem designat, ut Filialem, seu reverentialem, & castum atque perfectum (de quo in superioribus actum est) etiam significet: nam per hunc quoque anima Deo, & multo arctius, quàm per servilem adfigitur: hic animam æquè, immò magis penetrat, & contractionem caussat, dissolutione omni amotâ, & à peccato retrahit, & quicquid à servili potest effici facilius exequitur. Quod quæ mox adferimus luculenter demonstrabunt.

(***)

ARTI-

ARTICULUS III.

CLAVUS

Amor divinitus, Caritas, Fides, Spes, Continentia, Virtus quælibet.

ITA asserunt diversis locis & occasionibus SS. Patres: ac S. Ambrosius quidem lib. 1. de Spiritu-Sancto explicans illud, *Confige carnes meas, non ferreis*, inquit, *Clavis sed* Timoris & Spei. *Est enim vehementior strictura* Virtutis, *quàm pœnæ.* Mox probat hanc vim efficaciamque maiorem ex Petro Apostolo, quem fides arctissimè vinxit, & adfixit. Idem S. Doctor libro de bono mortis cap. 5. *Clavum Amoris & Caritatis* producit, quem etiam S. Augustinus agnovit. Leo Magnus Pontifex Sermone IX. de Quadragesima Clavos Continentiæ nominat. Eadem autem analogiâ, qua istis Ecclesiæ Magistris Clavi Spirituales sunt ac denominantur, *Timor*, *Amor*, *Fides*, *Spes*, *Caritas*, *Continentia*, dicere possumus, Clavos esse, *Paupertatem*, *Castitatem*, *Obedientiam*, quæ sunt tres virtutes Evangelicæ, quibus Religiosi configuntur. Certè Petrus Blesensis Serm. 9. insignis inter Ascetas auctor, Religiosum scribit obedientiæ clavis esse confixum: quasi non unus sit Clavus, Obedientia, sed tot sint clavi quot Obedientiæ pro subdito mandata: nam omnia penetrant, & voluntatem configunt. Denique.

VIRTUS quælibet in Architectonica Christiana est *Clavus*. Cuius comparationis tot penè sunt rationes, quot clavorum officia vel effectus. Imprimis, Clavo perforatur lignum, vel alia materia habilis: quod dum fit, eodem dividitur vna pars continui ab altera, & separan-

rantur eatenus coniuncta: nam sine separatione non existit foramen. Hoc proprium est Virtutis Christianæ, quæ separat rationem à sensu, spiritum à carne, animam à corpore, honestum ab utili & iucundo, cælestia à terrenis, æterna à transitoriis, divina ab humanis; & illa consectatur, ista respuit: priora amplectitur, posteriora procul esse iubet. Qui temperantiæ dat operam instigatur à Virtute, vt esculenta & poculenta, quamvis dulcissima, si sint illicita, aut supervacanea à gustatu amoveat. Qui Castitati studet, iubetur à suâ magistrâ, ut abstrahat manum ab omni eo, quod delectationem imputam causare potest. Qui humilitati est deditus, omnem arrogantiæ occasionem vitare compellitur à Domina, cuise in potestatem dedit. Sic Paupertas à Religioso separat omnem huius mundi substantiam, immò, & habendi cupiditatem. Obedientia subditum privat suæ libertatis usu. Aliarum Virtutum similis est ratio.

Quoniam autem in divisione continui, si hoc sit corpus animatum, sentitur dolor, ut patet experientia, sive oriatur ex ipsa divisione, ut cum Galeno (*a*) docent Medici, sive aliunde, ut Philosophi disputant; hinc in virtutis exercitatione, præsertim initio, dum veluti adacto Clavo fit separatio proximè explicata, dolor percipitur, haud dissimilis illi quem patitur homo, dum manus, aut pes clavo perforatur. An fortasse hoc indicarunt in ethicis præceptionibus Philosophi, monentes suos tyrones ne terrerentur ad aliquam virtutis acrimoniam, quod eius radices, hoc est, principia, amaritudinem habeant, dulcorem sequuturum, habitu per frequentationem adquisito.

Porro, Clavus non tantum dividit dum adigitur, sed per effectum contrarium, quod divisum est, replen-

do

(a) *Galen. in lib. Hippoc. de fract. Com. 3. §. 34.*

do claudit. Vnde existimant nominum curiosi investi-
stigatores Clavum à Clavendo Latinis dici: nam ideò
clavum figimus, ut claudatur, sive contineatur aliquid.
Non est sanè aptius instrumentum, ad claudenda for-
mina rimasque curiositatis, ad concludendum os, ne sit
apertum ad multiloquium, ad scurrilia, blasphemias, ad
ociosa colloquia, inania, quàm sit Virtus, taciturnitatis,
caritatis, prudentiæ modestiæ, religionis: sicut nullus est
alius tam potens ad continendos divini, Spiritus adflā-
tus, instinctusque in anima devota DEO, quàm idea
virtutis Clavus.

JAM illud quoque huc facit, quod in proverbium
biit, apud Latinos æquè ac Græcos: *Clavus Clavo trudit*
aut pellitur, aut extunditur: (*a*) quo utebantur profa
quum vitium vitio, malum malo, dolum dolo, vim
audaciam audacia, maledicentiam maledicentia retu
dere nitebantur: Philosophi verò in morum disciplin
versati docebant, rem utcunque molestam diversa
liqua molestia profligandam esse: sic libidinum incu
menta laboribus obrui debere; curam amoris aliis m
ioribus curis domandam; ociandi cupidinem sciendi
siderio propulsandam. Meliorem usum habet in Arch
tectonica Christiana; in qua Clavus Clavo trudi
quando virtute, ac Clavo, vitii oppositi Clavus, affec
onis pervcrsæ clavus extunditur. Ut enim Virtutes
Clavi in Architectonica Christiana, ita Vitia sunt Cl
in Architectonica Diabolica. Profectò, vitia, & affect
vitiosi non minus cor peccatoris configunt, quàm cla
carnem; nec minus animum pungunt, & cruciant, qu
corpus clavorum cuspides. Metaphoricæ huius locu
nis magister est Sapiens Architectus Ambrosius,
passiones perturbationesque animi clavos nuncupa

Nam

(*a*) Arist. 5. Polit. Cic. 4. Tusc. Lucian. (*b*) S. Ambr. de bono mort. cap. 5.

Nam postquam libro de bono mortis superius indicato dixisset in amore Clavum esse, subiungit: *Clavus est libido, clavus tristitia, clavus iracundia: clavi sunt omnes passiones, quæ velut veru quoddam animam nostram penetrant, & infigunt corpori.* Pulchra dignaque Ambrosio comparatio, quam alibi (a) iterat: nos illud inde sumimus, cùm virtutum exercitatione vitia passiones vitiosæ pellantur, rectè dici virtutis studiosum Clavo clavum extundere.

Quod si finis Clavorum examinetur, est is præcipuus, qui effectus etiam ultimatus dici potest, coniunctio, copulatio, arctissima unio: Clavis coniunguntur asseres, & firmissimè nectuntur. Idem facit Virtus, quæ bonos inter se coniungit, voluntatem rationi copulat, &, quod maximè necessarium in Architectonicâ Christianâ, ad constituendam Domum Sapientiæ, animam, totumque hominem connectit Deo & configendo unit. An non magna est Virtutum & Clavorum analogia?

(a) Lib. 3. de *Virg.*

ARTICVLVS IV.

CLAVI

Bona Proposita, Desideria, vota.

Hæc quoque faciunt, quod clavorum est, ut quidpiam in anima figatur, & in ea vel immobiliter, vel firmiter hæreat. Tibi vivendum est secundum Christi legem, sobriè, & iustè, & piè, vis ut non elabatur ex mente sic vivendi studium, infige illud ferventi desiderio, imprime acuto deliberatæ voluntatis proposito, firma constanti animi decreto: hærebit firmiter: vis ut etiam immobiliter? adjunge *Votum*: quod facit, ut ne quidem

dem extrahi possit, quod sic est infixum: per Votum omnis avulsionis separationisque potestas, etiamsi maximè velles, aufertur. Ut haud incongruè Votum comparetur acutissimo Clavo, cuius cuspis postquam duo coniunxit, obliquatur, ut extractionem, & consequenter dissociationem eorum quæ copulaverat, nulla ratione patiatur. Hinc frequens est apud Magistros vitæ spiritualis, ut virtutum, ita votorum cum Clavis cuspidatis, obliquatis-ve comparatio. Eam in centuriis de CHRISTO CRVCIFIXO HONORATO, eiusque Amatore sæpenumero expressimus. Titulos hic ponere lubet, quoniam declarant, quomodo Amator Crucifixi, tanquam Architectus Christianus Clavus istis symbolicis peritè utatur. I. In Cruce Pœnitentiæ tribus spiritualibus Clavis configitur. *Primus* est Odium peccati, qua dextera manus. *Secundus*, Patientia, quo sinistra. *Tertius* Humilitas, quo pedes configuntur. Clavum, Odii peccati infigit Amor DEI super omnia dilecti. Clavum Patientiæ, Consideratio supplicii gehennalis. Clavum humilitatis, contemptus iactantiæ ac vanitatis mundanæ. *Centuria* 1. *Num.* 57. II. In Cruce, quæ est vita religiosa, tribus votorum Clavis configitur. Clavi sunt, 1. Votiva Pauperras. 2. Castitas. 3. Obedientia. *Centur.* 1. *Num.* 58. III. Crucifigitur Clavis cum Christo, corporaliter quidem affectu. spiritualiter verè effectu. *Centuria* 1. *Num.* 52.

(***)

ARTI-

ARTICULUS V.

CLAVUS

Recordatio Clavorum, quibus Christus Cruci affixus. Crux Christe. Meditatio Passionis, & signatè, Crucifixionis Dominicæ.

HÆc omnia latent in precatiunculæ illius Davidicæ, *Confige timore tuo carnes meas*, prima vocula, *Confige*. Siquidem confixio per Clavos, quam Græcum καθήλωσιν involuit, indicat Clavos Crucis Christi, & Crucifixionem ipsam, cuius meditatio & imitatio carnes nostras configit, ut observat insignis Psalmorum Interpres, qui sic ferè de ea disserit (a) Consideranti Crucifixionem Domini non potest non observare illud (b) *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Istud quoque, quod terribilis cum signo Crucis, & fixuris Clavorum Judex apparebit, qui tam horribiles & infames cruciatus tolerare dignatus est. *Videbunt* (c) tunc infœliciſſimi prævaricatores (d) *in quem transfixerunt*: (e) & *qui eum pupugerunt*. (f) Thomas Apostolus, ut vidit *fixuras Clavorum & locum*, confixus est, inquit S. Ambrosius, (g) ac ac præ summo quodam timore, sed casto & reverentiali prorupit in eas voces, *Dominus meus & Deus meus*. *Vulnerari* clavis istis oportet Sponsam, (h) & *ponere, ac imprimere Dilectum suum, sicut signaculum super cor, brachium*q; *quia fortis est, ut mors dilectio; dura, sicut infernus æmulatio* (i) *Deiq; sermo*

(a) Joan. Lorin. Psal. cxviii. ver. 120. (b) Luc. xxiii. 31. (c) Matt. xxiv. (d) Matt. xx. iv. (e) Zachar. xii. 10. (f) Joan. xix. 37. (g) Apoc. i. 7. (h) Joan. xx. S. Ambr. ibid. (i) Can. v. (k) Can. viii.

sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divi-sionem animæ, & spiritus, compagum quoque & medullarum. (b) *Durum est, contra stimulos* tales *calcitrare*, & contra verba Auctoris Sapentiæ, Pastorisque unius, ac supremi Pastorum Principis, quæ sunt *sicut stimuli & quasi Clavi in altum defixi*, (c) ut inquit Ecclesiastes. Baculum Pastor armatum stimulo gerens, & quasi clavo revocat lasciviens pecus in viam & caulam. An - non talis Christus Cruce instructus, quæ est baculus, pedum, Clavus?

Certè, S. Leo Papa Sermone de Passione XIX. hortatur, ut cum quispiam observantiæ limitem se sentiter cedere & in id cupiditates suas tendere, quod eũ à recto itinere faciat declinare, recurrat ad Crucem Domini ac Ligno Vitæ motus noxiæ voluntatis affligat, & voce prophetica ad Dominum clamet, dicatque *Confige Clavis timoris tui carnes meas : à iudiciis enim tuis tremui.* Tum subdit S. Pontifex. Quid autem est clavis Timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebrâ illiciti desiderii sub metu divini contineri Judicii, ut qui resistit peccato, & concupiscentias, ne quid mortis dignum operemur, interficit, audeat, cum Apostolo dicere: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi.* 1. ad. Galatas VI. Tractat egregie de toto hoc genere Clavorum, quibus caro nostra, & cupiditates carnales configuntur, quibus Crucifigimur nos mundo & mundus nobis, & quibus crucifigimus nos carnem nostrã cũ vitiis & cõcupiscentiis Joannes Cassianus l. IV. Institutorum monasticorum c. 34. & docet ꝙ Abrenuntiatio & mortificatio nihil sit aliud, q̃ imago Crucifixi debereq; illum qui abrenũciare vult & mortificare, considerare cõditiones Crucis, & Crucifixi Christi qui jam in ipso vivit. Addit deinde, quod affigere debe-

more

(a) Hebræ IV. 12. (b) Actu IX. (c) Ecc. XII. 11.

more Domini, aut configere carnes, sit idem, quod vniversas voluntates, ac desideria; ut non nostræ concupiscentiæ serviant, sed mortificationi eius habeantur affixa. Adhæc, declarat tropologicè conditiones Crucifixi; ut voluntates ac desideria, non secundum id, quod nobis suave est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicemus: non iam præsentia contemplemur, nec de nostris affectionibus cogitemus, & pro die crastino solicitudine, curaque distentamur: nulla possidendi concupiscentia permoveamur, nulla contentione, nulla æmulatione succendamur: non de præsentibus doleamus injuriis, non præteritarum jam recordemur: nos cum adhuc spiramus in corpore, cunctis elementis credamus esse defunctos, illuc præmittentes nostri cordis intuitum, quo nos non dubitamus illicò transituros: tandem, per Timorem ac imitationem Domini CRUCIFIXI, non solum carnalibus vitiiis, verùm etiam ipsis elementis mortui simus, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos sperare debemus momentis singulis migraturos. Ita ferè Cassianus. Sed plura ad hanc Crucifixionem Spiritualem, per Clavos metaphoricos Spectantia applicavimus, in decem centuriis de CHRISTO CRUCIFIXO HONORATO, Amatori Crucifixi. Titulos aliquot hic apponamus. I. Amator Crucifixi nec vivus est, nec mortuus. Immò, & vivus, & mortuus. *Centuria* 1. *Num.* 55. II. Instar Crucifixi, non movet membra pro libitu. *Centuria* 1. *Num.* 54. III. Est Crucifixus bifariam, Interius, & Exterius. *Centuria* 1. *Num.* 59. IV. Degit, instar Crucifixi, neque in cælo, & in terrâ. Et in cælo, & in terrâ: existens utrobique. *Centuria* 1. *Num.* 53. Hæc & similia consequitur Amator CRUCIFIXI continuâ recordatione ac intuitu Cristi in Cruce clavis transfixi,

maximè, si accedat votum. Hic recordanti & contemplanti est plusquam adamantinus clavus: plus quam picta sæva necessitas (a)

Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans ahena ——(b)

plusquam aheneus Clavus ferreus-ve, (c) quem solenni ritu apud Romanos vel Consul, vel Dictator, vel Prætor figere solebat in postico pariete templi Minervæ Capitolini contra pestilentiam. Validior est Clavus Clavati in Cruce Domini conspectus.

EXEMPLUM hujus efficaciæ vix credibilis refertur in Prato spirituali (d) Cùm Stephanum Presbyterum carnibus vesci, licet sub mortem, & ut medico pareret, frater ipsius secularis, vir alioqui pius, hoc non attendens offenderetur, vidit in extasi, & audivit reprehendentem, quod scandalizatus esset, nesciens obedientiâ necessitateque adactum fratrem carnes comedisse. Quod si, aiebat idem ille merita & gloriam fratris tui videre cupis, retro te converte, & vide. Conversus autem vidit fratrem suum CRUCIFIXUM cum Domino. Quod consequutus erat, quia, ut ipse de se testabatur; die noctuque nihil aliud aspexerat, nisi Dominum nostrum JESUM CHRISTUM Clavis in Cruce confixum, & in lugno pendentem. Tantùm ad imitationem valet solus aspectus. O Clavum validissimum! omnibus auro Templi Salomonici Clavis præferendum; & Lato-clavo apud Romanos tantoperè ambito magis æstimandum. Studendum nobis omnibus, ut eo Clavo *Christo confixi sumus* CRUCI, cum paulo: (e) ut eo Clavo semper adhæreat Deo anima nostra: ut eodem CRUCIFIXO nostro uniti, ac conformati, *vivamus nos, non ut jam nos, sed vivat Christus in nobis.* (f) SERMO

(a) Hor. 3. car. ode 29. (b) 1. Car. ode 35. (c) Pieri. lib. 48. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 6. Tiraquel. lign. lib. 7. deca. 2. lib. 8. & 9. (d) Pratum Spir. cap. 45. (e) Ad Galat. 2. 16. (f) Ad Galat. 6. 20.

SERMO XI.

MALLEVS

Architecti Christiani

ARTICULVS I.

EXERCITIUM VIRTVTVM.

VT Clavos infigat Artifex aliud postulat instrumentum, quod dicitur MALLEUS; vel quod res duras molliat, quasi *Molleus*; vel, quod, quæ dura sunt, molliantur ad ignem, ut malleis flagellentur. Malleo autem utitur Architectus ut Clavi adigantur, & firmentur: quod non minus est necessarium in Architecturâ sacrâ nostrâ, quam in vulgari. In illâ sunt Clavi, Virtutes, bona proposita, meditationes piæ, vota; qui ne excidant fortiter imprimi debent, & profundè infigi. Quod fit exercitio, & actuum frequentatione. Itaque hæc apud Architectum Christianum sunt Mallei, quibus peritè utendum est. Frequentatis actibus fit habitus, inquiunt Philosophi: id est, in nostrâ disciplinâ, Clavus virtutis, qui antea vix superficiem penetrabat, & facillimè manus unius apprehensione poterat extrahi, repetitione operationum eiusdem virtutis intima penetrat, & firmissimè infigitur. Est quoque necessarium uti Malleo, ne clavi sponte excidant, quod fieri solet temporis decursu, quando in ædificio asseres trabesque siccantur: tunc enim dilatatis

foraminibus ultro cadunt; quod ne fiat, percussione Mallei profundius immittuntur; aut si factum, in locum iterum suum defiguntur. Nihil est hominis voluntate mutabilius, quæ in continuo est motu ideoque ambulatoria dicitur: hæc levi de causa nonnunquam, sive dolore clavorum, sive carnis fragilitate, sive tepiditate spiritus, sive amore libertatis, sive persuasione Cacodæmonis, sive pravorum exemplo inducta, virtutum, votorumque clavos ejicere nititur, si non effectu, abiurando; saltem affectu, aliquatenus pœnitendo. Hic advigilet oportet Architectus Christianus, qui Votorum restauratione, & virtutum exercitio, tanquam Malleo arrepto, clavos iterum iterumque infigat; & tam firmiter, ut impossibile deinde existimet clavorum evulsionem, aut votorum violationem, & mandatorum divinorum voluntariam transgressionem. Hac persuasione firmatus in optimo proposito castitatis colendæ, quam pro ea ætate fortasse voto roboraverat Joseph Patriarcha, cum à procaci muliercula ad flagitium incitaretur dicebat animosè Genes. xxxix. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in* Deum *meum?*

Hic mihi in mentem venit Heroina Jahel, quæ quotiescumque erit sermo de Clavis & Malleo Artificis Christiani, celebrari deberet. De eâ dicit Scriptura Judic. iv. *Tulit Iahel* Clavum, *assumens pariter &* Malleum, *& ingressa abscondite, & cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus* clavum, *percussumq;* malleo *defixit in cerebrum, usque ad terram, qui soporem morti consocians, defecit, & mortuus est.* De eadem eleganter in epinicio poëtico Debbora Prophetissa Judic. v. *Benedicta inter mulieres Iahel: sinistram manum misit ad* Clavum *& dexteram ad* fabrorum Malleos, *percussit q; Sisaram in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.*

Inter

Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus est. Si lubet consectari allegoriam moralem instituto nostro accommodatam, in Historia, rectè dixeris; Sisaræ caput denotare Vitium aliquod capitale; Clavum, Virtutem illi oppositam, maximè, si sit voto firmata, aut, ut loqueretur fortasse Paulus Apostolus, radicata: nam ad Ephes. 3. 17. requirit *radicationem & fundationem in charitate*: denique Jahelem designare Architecturæ sacræ studiosum Clavo & Malleo instructum, id est, Virtute & voto, ac utriusque frequenti exercitatione.

CLAVUM tamen etiam alium, Malleumque hic contemplor in Jahelis manibus. Et quidem controverti video inter Codicis divini expositores, Clavus iste ferreus ne fuerit, an ligneus? Ferreus ad penetrandum tempus Sisaræ aptissimus erat, nam acutior est ligneo: aliqui tamen existimant, fuisse ligneum, ut expressius repræsentaret CRUCEM CHRISTI quæ fuit ex ligno. Qui volunt fuisse ferreum, addunt, fuisse typum, immò ideam clavorum ferreorum, quibus Christus fixus in Cruce, in eadem confixit Sisaram, id est, Diabolum, Ducem exercitus Tartarei populum DEI persequentis, ut Origenes differit: nam vires ei omnes ademit quod idem fuit, ac peremisse. Magis universè Rupertus Abbas in Cap. 7. Judic. PASSIONEM Domini, ut Clavum concipit, & adjungit illi respondentem Malleum: *Clavus*, inquit, *Tabernaculi ipsum est Stigma Passionis Christi.* Clavum *tulit, quæ jussa mortificare membra sua super terram*, Crucem *suam bajulavit, crucifigens carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. Hoc tunc validè fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloriâ* DEI *assumitur afflictio carnis: non, inquam, in ambitione auræ popularis sed in Timore Domini.* Idcirco Psalmista postulat: *Confige Timore tuo carnes meas*, Psalmo CXVIII. Itaque sensu Ruperti, CLAVUS pro Architecto

Christiano, est afflictio carnis, mortificatio, pœnitentia, quam suadet Passio Dominica: MALLEUS est Gloria DEI, & quem adjungo, Imitatio Christi patientis. Hic *Malleus*, & non Vanitas, non ambitio auræ popularis, non æmulatio invida, infigere debet desiderium austeritatis, abstinentiæ jejunii, humi-cubationis, peregrinationis, castigationis corporis, & quæ sunt generis aliorum externorum cruciatuum. Soli DEO immortali, & pro nobis mortuo Domino CRUCIFIXO sit Honor, & Gloria. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*: ad Coloss. 3. 5. affligite corpus, portate vestem cilicinam, cingite lumbos catenâ ferreâ, ambulate nudipedes, sacco vos involvite, flagellis dorsum stellatis, ut sanguinis rivi fluant, cædite, Crucē humeris trabalē injicite, & per terram saxosâ viâ trahite; in spinas nudi prorepite, & vos versate; infinita alia austeritatum genera, ad quæ excogitanda ingeniosus est amor, & ad perferenda est fortis Amator CRUCIFIXI adsumite. Sed quæso vos, non impellat adhæc vanitas. At, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in in cœlis est*. Matth. v. Ipsi Soli sit Honor & Gloria.

VIDE, *quæ dixi in Centuriis de Crucifixo honorato.* Centuria I. num. 35. *Amator Crucifixi adhibet Crucem, ut Iahel Clavum, ut Sisaram populi* DEI *hostem capitalem, nempe; Peccatum & Cacodæmonem interimendum.* Consule *etiam Opus de Militiâ Christianâ in cuius* Tomo II. lib. 4. Comm 7. Memb. 2. & lib. 5. Comm. 4 Memb. 7. *disseritur ex professo de Clavo & Malleo Iahelis.*

(***)

ARTI-

ARTICULUS II.

USUS MALLEI ARCHITECTONICI.

Exercete ipsum ad Pietatem. 1. ad Timoth. IV. 7.

CUM Clavus in Architecturâ Christianâ sit Virtus quælibet, & Malleus, actionum cuiuslibet, Virtutis frequentatio, monent vitæ spiritualis Magistri, operationem virtutis crebrò iterari debere, quod singulis repetitionibus, veluti ictibus Mallei penitius infigantur Quamvis autem operationes omnes, dum repetuntur sint tanquam Malleus virtutem magis, magisque infigens & consequenter firmans; illæ tamen, quæ sunt ferventiores instrumentum istud magis exprimunt, siquidem Virtus iis magis imprimitur & augetur. Est quidem verum, omnibus operationibus Caritatis repetitis & cõtinuatis, hominem mereri Caritatis augmentum: sed si probanda est S. Thomæ sententia, 22. q. 24. art. 6. ad 1, non statim incrementum accipit ita operans, sed quando conatur ad hujusmodi augmentum: &, ut graves quidam Scholastici opinantur, cùm in ferventiorem aliquem prorumpit, accesseritque actus vehementior; quo plus efficitur, quàm multiplicatis languidioribus plurimis: Sicut ictu uno validissimo magis infigitur clavus, quàm iteratis aliquot levibus percussionibus. Actus illi, si sint intensissimi, & velut octo graduum, vocantur Heroici, quorum vis ad ingenerandum habitum, & radicandam in anima virtutem est efficacissima, & plus ad id valet unus, quàm deni, viceni, immò cateni remissiores. Quapropter conatus est adhi-

hibendus frequenter, ut eliciantur actus perfectissimi, incumbendum est semper operationibus vehementioribus, opera jugiter danda virtutum functionibus heroicis: Malleo diligentiæ clavus virtutis fortiter, ita tamen, ut prudentiæ Christianæ, & discretionis, illud acclamantis, *tunde, tunde*, habeatur ratio, nec vires opprimantur. Unde suadent perfectionis amantes, ne unquam virtutis studiosus remissiores actiones ex industriâ exerceat, nisi fortè aliarum rerum occupationibus necessariis ita sit districtus distractusque, ut nullam temporis partem cogitandis aliis, & viribus intendendis dare possit.

Hæc, & quæ huc spectant plura, continentur in exhortatione Apostoli, qui erudiens dilectissimum discipulum suum Timotheum hoc ei inculcabat: *Exerce teipsum ad pietatem*. Quo imprimis præcipiebat actiones virtutum: deinde actionum frequentationem, quam per Exercitium intelligit: denique, conatum, vehementiam; & intensionem actionibus conjunctam, quam secum adfert verbi, *Exerce*, energia, & objectum Exercitii, quod est Pietas, quæ exigit in homine sibi dedito, præter amorem, fervorem quoque & ingens illam perfecti consequendi desiderium, & in omnibus ad ipsam pertinentibus alacritatem, qua ad intensissimos actus exstimulatur. *Exerce te ipsum*, inquit, *ad Pietatem*, id est, circa pietatem, in functionibus pietatis, in arenâ, aut stadio Pietatis, ad pietatem Christianam, solidam, perfectam, consummatam obtinendam, tibique infigendam: hoc quilibet sibi dictum existimet. Quod Latinus interpres vertit, *Exerce*, Græcè est γυμνάσι: id est, exerce te athleticè, nempe, tam exactè, tam accuratè, ferventer, intensè, operationes ad Pietatem spectantes, sive internas, siue externas exequere, quàm athletæ suas

in

in stadio, ut bravium assequantur: nam & tu athleta es Christi: nihil autem remissè, nihil frigidè, nihil flaccidè in arenâ, quod officii sui est, faciunt, qui in agone contendunt athletæ. Itaque, si edas operationes fidei, spei, Caritatis, temperantiæ, prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, humilitatis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum, sint athleticæ, & heroicæ, ferventes, intensæ, ex toto conatu, totisque viribus: nam hic Pietas omnia ista complectitur. Quare, sensu S. Chrysostomi, per pietatem intelligebat Apostolus, vitam secundum virtutem rectam, & mores Christianos: judicio S. Ambrosii, misericordiam & beneficentiam in proximum: Hæc enim Græcè, εὐσέβεια. Latinè Pietas interdum vocatur, ex Aug. lib. x. de Civi. Cap. 1. eo quod Deus opera misericordiæ præcipiat, & se iis coli præ sacrificiis significet: interpretatione antiquorum Anachoretarum, Nili, Maximi, Philothei, Dei contemplationem, & abstractionem à rerum corporearum sensu: denique secundum communem intellectum, opera ad Dei Cultum præcipuè Spectantia quæ devotionis à quibusdam dicuntur, ut sunt oratio, meditatio, adoratio, cantus, sacrificatio, & alia ad virtutem religionis spectantia.

Qui cumque igitur vult esse Ædificator Domus Sapientiæ, accipiat in manibus, id est, activis suis potentiis, quales sunt, intellectus & voluntas, Malleum ac Clavos: *Malleum Exercitationis, Clavos virtutum.* Exerceat se ad sobrietatem, demissionem, modestiam, castitatem, & quæ omnes complectitur, ad omnia utilis, *Pietatem*: infigat hanc frequentatione actuum heroicorum firmiter: animam autem eodem clavo connectat Sapientiæ irrevocabiliter & inseparabiliter; nunquam ociosus, ne audiat ut multi, cum sarcasmo: *Quid statis hic totâ die ociosi?* At Domine, quò ibimus? quò! ad vineam Crucifixi. Ad

Crucem, ad Crucem D. N. Jesu Christi in quo est Salus, Vita, & resurrectio nostra. Per quem salvati & liberati sumus.

ARTICULUS III.

MALLEI

Quotum non est ullus usus, dum ædificatur Domus Sapientiæ. Virtutum Fabrica. Pietatis Ædes.

Malleus & Securis, & omne ferramentum non sunt audita in Domo, cùm ædificaretur. Lib. II. Reg. VI. 7.

MIrari quispiam posset, quod in suppellectile Architecti Christiani numeremus Malleum, & & ad ejus tractationem hortemur Ædificatores Domus Sapientiæ, cum constet in ædificatione Templi Salomonici, quod fuit typus Ædificii Spiritualis ex virturibus, & est verum Templum Divinitatis, ac Domus Sapientiæ, non fuerit auditus strepitus, nec malleipercussio, quæ non fit absque strepitu, Clarissima sunt illa ex Regum sacra historia. *Domus*, (sive Templum) *cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque imperfectis* (siquidem jam dolati & perfecti erant in monte Libani, aut alibi, antequam in Sion ad fabricam Templi adducerentur) *ædificata est: &* (sive, idcirco) *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in Domo, cùm ædificaretur.* Nimirum, opus non erat malleo, securi, aut alio instrumento ferreo ad illos aptandos, vel conjungendos, nam perfecte erant quadrati: quare calcem tantum adhibebant operarii, ut cohærerent. Rabbinicum est commentum,

Malle-

Malleum non fuisse auditum in ædificatine Templi, eo quod Latomi sanguine vermiculi, quem *Ianni* vocabant, lapides secuerint. Nec reor, quod scripserunt Procopius & Glycas, omnes lapides, DEO ita disponente, sic fuisse in montibus natos, vel excisos, ut ferro ad copulationem haud egerent. Probabilissimum est, quod Lyranus, Abulensis, & ex iis recentiores docent, (*a*) ac paullò ante insinuavimus, fuisse in monte sectos, dolatosque lapides: ad quid ergo Malleus? cujus strepitum noluisse audiri etiam ob reverentiam Templi illius ædificatores suspicari possis; ac, ne Salomonis & aliorum Fabricam spectantium aures strepitu Malleatorum, & serratorum offenderentur.

HÆc si ædificationi Domus Sapientiæ, quæ ex Virtutibus, tanquam lapidibus constat, accommodemus, dicere possumus, in ejus ædificatione, nullum esse usum malleorum, quæ strepitum edunt, & aures vulnerant, ut mallei ferrei; quamvis ejus Ædificatores malleis utanturiis, quos hactenus explicavimus, & sunt virtutum functiones, quæ placidissimè, modestissimeque absque ullo sono molestiam adstantibus spectantibus-ve creante, opus suum peragunt. Qui autem sunt illi mallei, quibus percussione pnrstrepentibus, Regis Pacifici aures offenduntur, nec ad Architecti Christiani suppellectilem pertinent? Aliquos istiusmodi nominat Divina Scriptura Et imprimis, Sunt MALLEI, de quibus Sapiens Proverbiorum XIX. 29. *Parati sunt Mallei percutientes stultorum corporibus.* Stultorum, id est, criminosorum, vel *impiorum*, ut exponit Dionysius, addens, *quibus etiam in hac vita pro diversis flagitiis, varia & amara infligntur tormenta, ut flagellationes, mutilationes, suspendia, rotationes ac similia genera mortis. Infernalia quoque supplicia impœnitentibus: quemadmodum in Apocalypsi dicitur; Timidis, & incredulis, & execra-*

execratis , & omnibus mendacibus , pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure. Beda quoque ad ſupplicia gehennæ reſpiciens , *Reprobi* , inquit , *juſſionis , vel comminationis divinæ judicium derident , parata tamen eos expectant judicia damnationis , quæ, ut* Mallei *ferrum candens, ita eos in fornace gehennæ, ſine fine verberant.* Videre eſt, in Ardenna aliisque locis, ubi officinæ ſunt malleatorum, ingentes, Malleos ferreos, molis aquatilibus elevari, quibus ferrum candens tunditur, qui horrorem intuentibus incutiunt. Ex quibus Malleos gehennæ, quibus in incude ignita tunduntur reprobi, facile eſt imaginari. quod feciſſe ſe teſtatur Vir doctus ac pius, Proverbiorum interpres. (*a*) Non eſt etiam abſurdum, opinari, per *Malleos percutientes*, alludi ad cruci-fragium, quod iis, qui in crucem agebantur, crudeliter inferebatur: hoc enim malleis peractum olim, eſt veriſimile (*b*) ut ſenſus ſit *Mallei percutientes ſtultorum corporibus*, aut, vt eſt in Hebræo, *confractiones*, vel *confuſiones*, hoc eſt, crux infamis, & crudele cruci-fragium manet ſtultos, iudiciorum divinorum irriſores, aut magis vniuersè, impios, certè, ijs debetur. Horum Malleorum ſtrepitus non auditur, dum ædificatur Domus Sapientiæ, cùm ad eius ædificationem non admittatur vllus ſtultus, impius, iudiciorum divinorum irriſor, & Iuſtitiæ contemptor.

MALLEI alterius eſt mentio celebris apud Ieremiam Prophetam, qui ita intonat, ſive per admirationem, ſive per irriſionem cap. 50. *Quomodo confractus eſt, & contritus* Malleus *vniuerſæ terræ? Quomodo verſa eſt in deſertum Babylon in Gentibus ?* Vocatur hic Babylon, aut potius eius Rex Nabuchodonoſor *Malleus*, quia tanquam Malleus adamantinus percuſſerat, & contuderat totam terram

(*a*) *Corn. à Lap. Prou. XIX.* (*b*) *Salazar Prou. XIX.*

ram, ita ut nihil, quantumvis durum & æneum ei resistere posset, aut eius ictum sustinere, quin confringeretur, ac dissiliret. Quo intuitu arrogantius quam felicius Fridericus II. Imperator iactabat se esse Malleum Romæ, & Romanæ Ecclesiæ, immò Orbis terrarum universi. Quocirca *Malleus Babylonicus* symbolicè est superbia, arrogantia, iactantia, sui æstimatio, aliorum despectus, Tyrannis. Hujus etiam Mallei sonus non auditur in ædificatione Domus Sapientiæ, ad quam conueniunt soli humiles, modesti, suorum non auari detentores, alienorùm nequaquam auidi raptores, sed benefactores vniuersæ terræ.

S. Augustino tract. de honest. mulier. Malleus Babylonicus, olim dominans, & conterens totam terram, nempe, omnes homines est Luxuria. *Et quamuis*, ut scribit, *post aduentum Christi. per vniuersa monasteria monachorum, & per clericos, vel etiam laicos castitatem seruantes, quasi contritus* Malleus *ille videatur*; *tamen adhuc multo plures sunt, qui ab illo* Malleo *quotidie confringuntur, quàm illi, qui de collisionis illius ruina liberantur.* Neque huius Mallei strepitus percipitur in ædificatione Domus Sapientiæ, cùm nullus sit ad Ædificium istud construendum idoneus, qui non sit mundus, purus, pudicus, &, si non virgo, certè virgineus. Abest quoque ab eadem Domo, dum ædificatur, strepitus Mallei Babylonici, quatenus est superflua Cura rerum temporalium, ut illum exponit (*a*) S. Paulinus: nam omnibus eius ædificatoribus dictum est: (*b*) *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Ex ijs multi sunt paupertatis externæ amantes non admittuntur in numerum ædificantium nisi pauperes Spiritu. Quod si quidam non renunciant omnibus quæ possident, ijdem tamen

(*a*) S. Paul. in. epist. 12. (*b*) Matt. V. 11.

tamen dicunt cum Salomone: (a) *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* (b) Quoniam experientiâ docti sunt, quod sit *quæstus magnus, Pietas cum sufficientia.* Idcirco, *habentes*, inquiunt, *alimenta, & quibus tegamur, contenti sumus.*

Multo minus in ædificatione Domus Sapientiæ auditur Malleus Babylonicus, quatenus designat Diabolum, ut commentatur S. Gregorius. lib. xxxiv. Moral. cap. 10. Nam qui illo vtuntur, sunt Ædificatores Domus insipientiæ, fundatores turris Babel. confusionis muratores, & latomi speluncæ latronum, quibus nulla est Societas cum Templi Dei structoribus, qui omnium virtutibus sunt Angelici, nullus vitijs Diabolicus. Atque ita intelligere potestis, quorum Malleorum usus sit in Architectonica Christianâ, quique planè in eâ locum nullum habeant: illud quoque, quod inter Templi Salomonici Admiranda refertur: *Cùm ædificaretur*, Malleus *non est auditus in eo*, aliquatenus conuenire ædificationi Domus Sapientiæ.

(a) Prouer. xxx. 8. (b) 1. *act. Timot.* 3. vi. 6.

SERMO XII.

GLVTINVM

Architecti Christiani.

PRÆFATIUNCULA.

Quamuis Templum Dei lapideum, quod erat figura Domus Sapientiæ, exstrueretur ex lapidibus dolatis, & perfectè dispos-

dispositis ad copulationem cum alijs, ut nec malleo, nec securi, nec ferro opus fuerit, ad melius aptandos, tamen ad firmitatem iunctura necessarium erat adhibere materiam intermediam, quæ copularentur, ac firmiter cohærerent. Hæc communiter solet esse Calx, vel vda, vel harenato lita, vel alio modo intrita, ut esse possit ferrumen cæmentorum, vnde & cæmentum vocetur, quamuis hoc propriè sit lapis rudis, nondum cæsus. Omnem talem materiam Glutino designo, licet hoc specificè sumptum ad collam constringatur, sed nos Gluten *vel* Glutinum *latius sumimus. Qua acceptione dictum reperio, ædificatores Templi, (a) Salomonici calce lapides inter se conglutinasse.*

QVIS *autem sit optimus usus Glutini apud Ædificatores, Domus Sapientiæ, docui olim Auditores meos, quos in Philosophiâ Aristotelica triennio erudieram, cum ijs, absoluto Philosophiæ curriculo, valedicerem, (b) hoc relicto Memoriali, vt Quilibet, si optimè sibi consultum vellet, DEO Sapientiæ Domino arctissimè agglutinaretur. Quod ultima apud ipsos prælectione factum. Quamsi huc transferam, reor fore aliquod operæ pretium, & ad hujus materiæ explicationem accommodatum æquè ac fructuosum.*

(a) Cornel. lib. 3. Reg. 6. 7. (b) *Anno. M D C VII.* Pauli V. *tertio. Herbipoli in Franconia,*

ARTICULUS I.

Ingressus in rem.

MNEMOSYNON MAGISTRI VALEDICENTIS.

BONUM habetote animum, Discipuli mihi percari.

In manibus terræ non hic vos carmine longo,
Atque per ambages, & longa exorsa tenebo

Faciam hodie, quod peregrè abeuntes solent,

solent, qui familiaribus, & domesticis vno alteroue verbo symbolum amoris relinquunt, faciam, quod parentes amantissimi, qui discedentibus filijs præceptorum suorum iliadem vnius sententiolæ nucleo includunt; faciam quod Principes, qui proficiscentibus ad legationem fidis consiliarijs suis, multiplicia mandata vnius nominis sui signo in chartâ virgine exprimunt; faciam quod mercatores industrij & trapezitæ nummulatij qui, ut loquuntur, in summam summarum paucis redigunt rationes pecuniarias, multis numerorum cifris Arabicis expressas; denique faciam, quod morituri, qui testamentum condunt, & voluntatis vltimæ epitomen, ac legata quam plurima brevissimè in codicillo ponunt. Itaque, non nisi tribus verbis, amoris erga vos mei tesseram, mandatorum meorum volumen, denique, voluntatis extremæ decreta multiplicia exprimam, GLUTINO BONUM EST. Dicam hoc paullò clarius. PERVENIMUS hodie ad metam, non tam Cursus Philosophici, qui metam non habet, cùm vel in orbem eat gyro continuo, vel immensùm extensus sit absque termino, quàm Prælectionum nostrarum, quibus, & nisi eundem apponerem epilogum, quo Philosophiam suam signavit Aristoteles, parum viderer, alij fortasse facere Peripateticè; &, nisi ad hanc Metam, tanquam ad Rupem inconcussam immobilemque vos agglutinarē, ut tuti sitis, inter tot maris turbulentissimi alternis æstibus reciprocantes fluctus, qui hinc abeuntibus imminent, parum mihi viderer facere Christianè, ac minus, quàm parum Religiosè. Hoc igitur agamus.

(o)

ARTI-

ARTICULUS II.

DEUS

Vnus. Verus. Bonus.

ARISTOTELES postquam variis locis diuini sui Operis multa disputasset subtiliter de Ente, multa acutè disseruisset, de eius communibus affectionibus, denique multa attulisset præclarè in particulari de VNO, VERO, BONO, quæ omnia hactenus Exercitationibus Metaphysicis euentilauimus; tandem vltimo capite libri duodecimi statuit, & pulcherrimis rationibus demonstrat, esse in vniuerso VNVM quoddam BONVM, illudque planè SVMMVM & OPTIMVM, quod DEVM dicimus. Hũc à Magistro suo Platone Aristoteles sæpe audiuerat: nec inveniri facile esse, & inuentum explicari difficilem. (a) Quod posterius, vt admisit sponte discipulus, ita ad illud prius nequaquã annuit: & sapienter. Nam, vt quid DEVS sit exponere difficillimum, ita ipsum esse, inuenire facillimum est. Quid enim magis in promptu, quàm eum reperire, quem ignorare non licet? Et summa delicti sit, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. (b) Et sanè, non magis arduum est istud, quàm ex incitatis ad certam metam, & nunquam deflectentibus quadrigis, aliquem in ijs existimare esse aurigam rectorem. Atque vt olim vna linea Praxiteli Apellem prodidit, ita non omninò caudices Mundus hic sui Auctoris ignaros abire haud patitur. Statuam aliquam, vel simile quid admirabili compositum artificio intuenti, nihil prius venit in mentem, quàm Artificem aliquem, cogi-

(a) *Apuleius de Dogmat. Platonis.* (b) *Tertull. Apol. c. 17.*

cogitare, ac quærere: haud secus ex Mundi contemplatione, statim in Opificis alicuius cogitationem adsurgimus. Hic autem DEVS est, Formator rerum, qui omnia in vno mersa, & materiæ inerti conuoluta discreuit, sparsa collegit, confusa distinxit, deformibus speciem diuisit, latentibus in tenebris lucem superfudit, & totam Molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit, ratione, quâ disposuit, virtute, quâ potuit, de nihilo expressit, in ornamentum Maiestatis suæ, operis ipse sui Molitor & Custos.

VERVM, An sit DEVS? dupliciter cognoscere possumus: vel à Natura informati, vel à Philosophiâ instructi. Priore illa cognitione, rudi, confusâ, anticipatâ, nihil est facilius: posterior ista aliquid habet difficultatis; quia non cuique est obuium, rationes demonstratiuas construere ad id asserendum. Eæ autem ab Aristotele allatæ sunt in alijs libris, in quibus per Motum, quo nihil est in summâ suâ varietate constantius, ad Eum pervenit cognoscendum, quo nihil est in inconcussa substantiæ firmitate stabilius. An propterea fortasse, DEUS Anima Mundi à veteribus fuit appellatus? quod sicut ex motu animalis, animam in ipso latitãtem deprehendimus; ita ex Mundi motu, ac cœlorum conuersione agitator aliquis DEUS esse dignoscatur. Vt enim in corpore, quod seipsum mouet, motus animam prodit, ita in Mundorum vicissitudo, motuumque conuersiones DEUM manifestant. Itaque ob hoc etiam inter alia, Aristoteles comparat Mundum animali. Et quidem tanta est consensio inter Mundum, & præcipuum animal, Hominem, vt & Mundus magnum animal, & Homo paruus Mundus sit appellatus.

HIS de existentiâ DEI ab Aristotele alibi explicata, quamuis exiguum deinde sit quod de eius essentia & natu-

natura possunt Philosophi investigare, investigatum deprehendere, deprehensum explicare (ut enim vestigium prætereuntis transitum solummodò prodit, ita hæc rerum Moles vestigium DEI ob id appellata, sic DEUM nobis manifestat, ut è latebris illum suis non educat: quare quid sit DEUS aliquantulum viderunt Sophi, & quasi per nubem Solis lumen) nihilominus, Aristoteles hoc vltimo capite (ringantur licet Athenienses, & cicutam illi, ut olim Socrati, misceant) DEUM Vnum esse probat, & convincit, argumento potissimùm à Mundi gubernatione ducto. *Non est bona pluralitas Principatuum. Vnus ergo Princeps esse debet in regno, unus* DEUS *in mundo. Felix urbs quæ iussa unius Principis audit.*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κόιρανος ἔστω εἷς βασιλεύς.

Non multòs regnare bonum.
Rex unicus esto. ------

Multorum potentia sparsa est: ideo minor; ut flumen in plures alveos, rivós-ve diductum. Omnia ab uno regi amãt: multa capita aversantur. Præclarè igitur Christianus ille Philosophus Afer: (a) DEUS *si non unus est, non est: Testimonium,* (b) inquit idem alibi, *animæ naturaliter Christianæ.* Et sanè, ut citharam suaui modulatione ad numerum artificiosè resonantem plures non possunt simul pulsare musici, strepitum alioqui, non concentum edituri: ita nec mundi fabricam plures simul Artifices excitare, & comditam cum pari potestate gubernare. Similia habent Sapientes Gentium, & Poëtæ potissimùm, (c) Homerus, Callimachus, Hesiodus, Euripides, Serinus, Ecphantes alii.

RECTE igitur Aristoteles hoc capite, textu 55. exrerũ Gubernatione optimâ concluſit, unum esse DEUM:

(a) *Tertullia. 5. in Marc. cap. 2.* (b) *Apol. cap. 17.* (c) *Ioann. Stobæus in Sermone* κάλλιστον μοναρχίας.

Entia, inquit, *nolunt malè disponi*, seu gubernari, *sed optime. Unum igitur principium esse necesse est.* DEUS *ergo unus est.* Et hoc exigit nullo restricta limite immensi Numinis natura, & Majestatis arcanæ inexhausta potestas. Unius & Unitatis omnipotentiam quandam celebrant Arithmetici, tum quia principium est numerorum omnium, tum quia finis: quare debuit esse rerum omnium architectrix Unitas, Architector Unus. Simili ratiocinatione utitur Aristoteles, libro de Mundo ad Alexandrum, siis est illius, ex ordine & administratione rerum aliarum. Siquidem omnia, quorum natura, & essentia in ordine mutuo, & quadam coagmentatione consistit ad unum aliquod referre necesse est. Sic unus dux in exercitu uno: unus auriga in curru: unus præceptor & moderator in choro: unus architectus unius domus cernitur. Quod si aliter aliquando euenire posse contendas: respondebit Aristoteles, vt quondam libro Physicorum VIII. vel hos duces & artifices multiplicatos materia, unitos forma, unius vicem gerere: vel certè, non ita benè singula processura. In natura autem id quod est optimum, statuendum est: & si unum Principium rerum sufficit, plura frustra ponuntur. In hunc ferè modum Aristoteles in hoc capite de re gravissimâ statuit, sed plenius certiusq; decernit Fides Christiana, cujus immensa æquora mirari licet & attingere, velle autem naturalis scientiæ decempeda metiri, insania esset. Nunc commentarium, ut soletis, scribite, non quidem fragili calamo in papyraceo quadrato, nigra sepiæ tinctura, fugacibus litteris, sed stylo ferreo, in silicato corde, amoris humore, characteribus indelebilibus

(o)

ARTI-

ARTICULUS III.

MUNDUS - MARE

Aquis fallacibus & salsis plenum.

PONENDUM, ut in confesso apud omnes, Christianè, secundum pietatem, ex arcanâ Sapientiâ philosophantes, Mundum hunc esse, velut Mare quoddam, id est, congregationem aquarum, ut Mare descripsit DEUS, Genesis 1. Id declaremus, missis subtilitatibus, ex communibus quibusdam proprietatibus, quæ Mundo æquè ac Mari conueniunt. Imprimis, habet omnis aqua, quod per eam videntibus, maiora & pulchriora, quæ oculis obijciuntur appareant: litteræ quamvis minutæ & obscuræ per vitream pilam aquâ plenam, ut majores, clarioresque cernuntur: poma formosiora, quàm sint videntur, si innatant vitro: sidera ampliora per nubem aspicienti apparent: quia acies nostra in humido labitur, nec apprehendere quod vult, fideliter potest. Id manifestum fiet, si poculum impleueris aquâ, & in illud conjeceris annulum; nam, cùm in fundo jaceat annulus, facies in summo aquæ redditur. Denique, quicquid videtur per aqueum humorem longè amplius vero est. Hinc maior redditur Solis imago, quæ in nube humida visitur: tum quia in nube illa est aliquid vitro speculari simile, quod potest perlucere, tum quia est aliquid & aquæ, quod fallaciam caussat.

EADEM est fallacissimi Mundi proprietas. Videntur in illo majora omnia, quàm revera sint: honores, divitiæ, voluptates, & horum appendices, quæ tanto ambitu

quæruntur. Ut magna habentur, occupare primum locum in subselliis, conviviis, congressibus, dominari in foro, triumphare in curia, proximum esse Principi, alligare gladium lateri, audiri, audire, monstrari digito, & dicier: hic est ille Doctorum alpha, diuitum betha, Consiliariorum coryphæus. O ignare rerum mundanarum! nescis, nihil te in aquâ cernere, quod nõ fallat oculum ludibrio: nihil aliud aquam, quàm magni corporis umbram mentiri. Non est in aquâ, quantum & quale ostenditur: decipit illa aciem, & mendacio blanditur. Simulacra illa sunt, & inanis verorum corporum imitatio. Frustra tibi blandiris, dum te in littore vides: tuo te metire funiculo. Obliquat aqua faciem inspicientium, & in infinitum rem objectam auget, ut humanum habitum excedat, modumque nostrorum corporum. Hoc cum cæteris aquis commune habet Mare.

Istud magis peculiare, quod eius aquæ sunt salsæ, propter halitus, qui in terræ finibus inclusi, egressum moliuntur, & ascendentes per aquas, amarore illas inficiunt. Nihil magis proprium est Mundo, cujus aquæ nó modò sunt salsæ, sed ipsa salsugo: in quo nihil dulce, quod non amaritie mixtum: in ipsa dulcedinis mundanæ medulla hæret insita acerbitas, & quidem tanta ac talis, ut nisi Sapientissimus Artifex Deus actionibus quibusdam, quæ à mundanis appetuntur, & juuenibus speciosæ suavesque videntur, quia experientiâ carent, condimenti aliquid addidisset, nemo reperiretur, qui iis exercendis operam impenderet, aut non statim fastidiret.

Mundus est Mare, Adolescentes, in quo sunt pisces, alii quidem magni, balenæ, dracones, cete, delphini, alii verò exiles, gobii, cuculi, echeneides; sunt etiam mediocres, murænæ, loligines, mulli. Sed unà omnes in aquâ salsuginis natant, salso humore pascuntur, & saginantur.

nantur. Existimatis fortasse pusillos solùm salsâ perfundi? erratis. Convenite Principes, Reges, Imperatores, convenite omnes, quibus omnia ad votum, & supra votum accidunt: quos juvat purpurâ vestiri, auro tegi, cothurnatos incedere, servorum turbâ stipari, terras transferre, maria includere, flumina præcipitare, nemora suspendere, acervis auri argentiq; incubare, provinciarum nominibus agros colere, terrarum orbem unico diademate contegere. Convenite hos, dico, & interrogate: dicent, si liberè respondere velint, se sub aquis esse amaris salsisque, lõgè amarioribus profectò aquis *Mara*, & fontibus Iericho. Quod si veritatem fateri detrectẽt, inclamabit pro ipsis, & contra ipsos Spiritus veritatis, cujus illa sunt ad hanc rem planè aurea, per Patientem tanquam per Oraculum pronunciata: *Ecce Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum iis.* Ubi per Gigantes sensu litterali, intelliguntur monstrosæ magnitudinis pisces; sensu mystico, qui Gregorio Papæ placuit, Mundi hujus magnates, potentes, superbi; qui quo magis aliorum omnium, Vt pusillorum statum, conditionemque superant, eo profundius in salsi maris undis mersi, & iis obruti, graviore curarum multiplicium mole onerantur: ideo gemũt, ut parturientes, & sub aquis ululant. Apparatur quidem illis mille condituris, quibus aviditas excitatur, ad gulam irritandam patina, ut dulcissima videatur, sed nunquam deest qui amaras in illa colocynthitas abscondat, vt exclamare cogantur, *Mors in ollâ, mors in olla. Lib 4. Reg. 4.* Primus illis bolus saccharo suauior videtur, sed vix ad imum palati descendit, & sentiũt amaricari interiora sapore amarissimo. Dulces erant Amano Estheris Reginæ epulæ: at, caue Aman: coquit tibi colocynthidas avunculus Mardochæus, aut potius per hunc Deus. Gustabis dum æmulũ adorare cogeris,

& dices: te mori potius velle, quàm sic vivere: dulciorem esse mortis amarorem, amarissima vitæ dulcedine. Fluuialis aqua dulcis est, sed in eâ non nisi pusilli natitant pisces: majores si ingrediantur, nō immorantur, nisi capi velint, vel immori, sed semper ad terminum harum dulcium undarum, id est; salsissimas properant.

ARTICULUS IV.

MUNDUS - MARE

Turbidum, tumultuosum, infidum, nauifragium.

SIT indubitatum, Mundum non Mare solùm esse, sed Mare fœdis omnium Satyricorum epithetis infame, procellis ac atrocissimis tempestatibus semper obnoxium. In quo, ut cantat Psalm. CIII. purpuratus Psalmista, *ascendunt montes, & descendunt campi*: id est, ventorum vi attolluntur undæ & fluctus in montium altitudinem, deinde, sternuntur velut in camporum planitiem, & placidissima æquora. Non desunt in hoc Mari æstus perpetui, quibus, sive certis horis intumescit, sive detumescit aliis, semper tamen reciproco cursu & recursu, turbinis instar, concutitur. Spirant continuò in hoc Marii impetuosi flatus ecnephiæ procellarum genitores, submersionis certissimi indices: dominantur quotidie in gyrum contorti typhones, infallibilis navigantium pernicies, & interitus, qui non vela tantùm, sed ipsa etiam navigia contorta frangunt, & ubi luserunt, sorbent. Pervagantur semper in hoc archipelago concitatissimi præsteres, qui proxima quæque non prosternunt solùm, sed amburunt quoque; & ipsum hoc Mare concepto igne cupiditatum ad bullientis aquæ naturam redigunt. Maius hic pericu-

periculum est à ventis ambitionis, & turbine luxuriantis lasciviæ, quàm in illo fabuloso, cujus descriptio non tam est pelagi, quàm Mundi. In quo semper

Venti, velut agmine facto.
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis.
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.

Quanta inde calamitas?

Insequitur clamorque virûm, stridorque rudentum.
Eripuit subito nubes cœlumque diemque
Vectorum ex oculis: ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Cùm igitur Mundus haud paullò minoribus concutiatur procellis, quàm Mare quodlibet, & magis impetuosis agitentur ventis, qui in illo, quàm qui in Mari navigarit, providendum est de remedio, ne abripiantur naues, & ventis expositæ, sine retinaculo pereant.

ARTICULUS V.

Deus - rupes.

Experientia nauigantium exploratum est, ut navis in mari decumanis fluctibus non rotetur, vagetur-que in incertum, & in syrtes, aut breuia allidat, optimum esse, si applicetur Rupi tam immotæ ac immobili, quàm fuit in illa à Poëtis decantata cautes Marpesia: nam si illi adhæserit firmissimè nulla ventorum vi diuelli poterit. Rupes autem inconcussa, & moveri nescia est Deus. Hoc illum symbolo designat arcano loquendi modo divinus scriptor, dum ejus immobilitatem indicare intendit,

tendit, sed obscurius, ut Mystici solent. Quare nomen *Rupes* pro DEO frequenter ponitur in Divinis paginis, præsertim, ubi in Hebræo subest vox צור (*Tsur*) *Tsur*, quæ aliquando DEUS, interdum *Fortis*, nonnunquam *Robustus* ab Interprete Latino vertitur: ita tamen ut multa eo nomine quasi significentur DEI attributa. Aliquando enim denotat, certum auxilium, & opem à Deo defuturam, modò quis ei fidat. Sic 1. Regum secundo cap. cantabat Anna Samuelis gratiam subsidiumque experta: *Non est Sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra Te. Et non est Fortis sicut* DEUS *noster.* in Hebræo: non est *Tsur*, *Rupes, Saxum, Scopulus.* Aliàs insinuat firmitatem, ac tenacitatem propositi in DEO auxiliatore ac protectore perpetuo. Deuteronomij XXXII. DEUM in Hebr. *Rupem, qui te genuit, dereliquisti?* id est, qui fixus & immotus est in te amando non redamas? qui caritate perpetuâ dilexit te, hunc non diligis? Nonnunquam innuit firmam in judicando severitatem, stabilemque sanctitatem, quæ nec prece, nec precio flectatur. Deuteronomij XXXII. DEI, Hebraicæ, Rupis *perfecta sunt opera: & omne, viæ ejus judicia.* Quod Leo Tygurinus vertit: *Opus* Petræ *illius solidum est, quoniam omnes viæ ejus sunt judicium.*

NOMINE eodem utitur Baldad Suhites, unus ex amicis Jobi ad immutabilitatē DEI deprædicandam. Job XVIII. *Quid perdis animam tuam in furore tuo? nunquid propter te derelinquetur terra, & transferentur* Rupes *de loco suo?* In originali est singularis numeri *Rupes*, ac si dicat, ut interpretatur, post Rabbi David, Franciscus Vatablus: Heus tu ô vir, animæ tuæ perditor, vitæ tuæ discerptor & raptor Jobe, ac corporis tui sæve dilaniator, qui adversum te irâ ac furore raperis, itáne te adversus divinam vindictam obmurmurante, temperabit sibi à supplicio immota RVPES DEUS, & illā quam stabilivit fixitq; legem, in

inimpium animadvertendi nunc abrogabit? Scilicet, Deus Opt. Max. qui, velut firmissima Rupes in eo, quod semel statuit, fixus hæret, nunc unius tui causſa, de sua sententia ac decreto dimovebitur, & mutabit inconcussus. Rectè igitur Dfus ut Rupes. in Mari concipitur.

(a) *Ioa. Pineda Iob* 18.

ARTICULVS VI.

Deo

Sapientis Christiani conglutinanda est Anima.

Cum quidpiam connecti & copulari possit cum alio diversimodè, in Architecturâ fieri solet arctissima conjunctio tribus potissimùm nectendi retinaculis: nimirum, *Clavis, Funibus, Glutino*. Uno ex his, vel omnibus, Adolescētes mei, vitam vestram, velut animæ cymbam, si in hoc procelloso Mari salvam velitis, quod maximè velle debetis, Deo, ut Rupi immobili connectere necesse est. Quæretis fortasse, quid ex tribus illis præferam ad arctissimam conjunctionem? Eo vos ducere habebā in animo, & extrema hac prælectione, tanquam ultimæ voluntatis testificatione, votum meum exprimere. Itaq; Dicendum. *Glutino bonum est.* Hæc conclusio legitur apud Isaiam Prophetam, cap. xli. ubi unus Artifex adhortatur alterum, ut simul animosè & alacriter pergant in fabricando, & concinnando opere, quod sub manibus habebant, utque partes ejus *Glutino* uniant, quod hoc arctissimè conjungat & copulet; dicendo per modum, suadentis, lâudantis, adhortantis: O socii, utamur *Glutino*, nihil eo ad coniuncturam adhæsionem perpetuam utilius.

(a) *Forerius, Arias, Pintus, Cornelius.*

utilius. *Glutino bonum est.* LXX. legunt: *Bona est consolidatio*, nempe, per *Glutinum*. Græcè σύμβλημα, id est, *commissura*, aut *conflatio*. Symmachus Aquila, & Theodo. habent, εἰς κολλησιν καλὸν ἐστιν: *Ad cõglutinationem bonum est.* Eia igitur, *Glutino* utamur, & optimè partes connectemus.

ARTICULUS VII.

GLUTINUM CARITATIS

Præfertur Clavis Timoris, & Funibus Retributionis.

GLUTINO *bonum est.* Nectite Vos DEO Vestro, *Glutino*, copulate *Glutino*, adhærete *Glutino*. Glutino bonum est: melius est Glutino conjungi, quàm aliis superius nominatis instrumentis. Explico & propo. Funes connectunt quidem, sed non est nexus durabilis, quamvis dura sit ac fortis funium alligatio. Clavi copulant durius & fortius: sed neque hæc est adeò longi temporis: nam ut funes usu deteruntur & putrescunt tempore, ita nullum quoque violentum est perpetuum. At *Glutino bonum est*: optimus conjungendi modus est per *Glutinum*, qui constans & indissolubilis. Vidistis aliquando in domus ædificatione fabros lignarios asseres asseribus jungere, stringere funibus, compingere clavis, copulare Glutino. quid permanet? clavos extrahunt, funes dissolvunt, soli Glutino fidentes. Dicam hoc ad mores accommodatius.

SUNT, qui se DEO conjungunt, & illi alligari vel necti desiderant, sed Clavis id faciunt: Timore pœnam reformidant, damnari timent, judicium & justitam sibi ob oculos ponunt: ideò Divina mandata servant, non famulaturi fortasse, nisi rictum illum draconis metuerent,

nisi

nisi plagas vererentur, nisi æternum væ à domestico suo Pædagogo continenter audirent. O plebeia pectora! Non est quidem malus Timor, etiam ille, qui ex cogitatione Judicii divini oritur, & ex pœnarum infernalium consideratione: immò bonus est & DEI donum: *Timete*, (a) inquit Salvator, *eum, qui postquam occiderit, potest corpus & animam mittere in gehennam. Confige timore tuo carnes meas*, orabat DEO carus Rex: *à judiciis enim tuis timui.* Sed servile est obedire & famulari Domino plagarum metu, quem Caritas amandat. *Caritas*, inquit D. Augustinus Serm. 18. de verb. Apost. *pellit timorem pœnæ, & introducit timorem castum*: scilicet filialem. Non diu servit, qui tantùm verberum metu servit.

SUNT alii, qui DEO se alligant sed Funibus. Serviunt Numini Spe promissionum & retributionum: minus malè, si vitæ æternæ & bonorum cœlestium: quid si reperiantur, qui hujus mundi momentaneæ & temporalis? quid si dicere audeant, tetram mihi incolendam DEUS largiatur, de cœlo supernisque quæstionem non movebo: sibi illa reservet. O terræ filii! non est durabilis hic nexus. Erat ligatus Samson septem funibus nerviceis necdum siccis, ut scribitur Judicum XVI. At, quàm primum audivit: *Philistim super te Samson*, rupit vincula, quomodo si rumpit quis filum de stupâ tortum sputamine, cùm odorem ignis acceperit. Servias tu DEO ob spem divitiarum, honorum gloriæ, longæ vitæ consequendæ: prædico tibi, ad minimos mundi, carnis, Dæmonis insultus, rumpes vincula, quibus te DEO copulasti, quomodo si rumpat quis filū de stupâ tortum sputamine: & instar ferocientis equi, rupto freno, in quælibet scelerū fereris præcipitia, Mihi crede, ad minimam voluptatis titillationem, tanquam ad odorem ignis, omnis hæc

(a) *Matt.* x, *Luc.* XII. (b) *Ps.* CXVIII.

hæc spartea materia evanescet? Qui non nisi salarii divini spe laborabat, se, non illum, cui operam impendit, quærit.

GLUTINO itaque adhærere DEO *bonum est: & ponere in Domino Deo spem suam.* (a) Glutino Caritatis, colla amoris, visco dilectionis, ut clamare possitis: *Quis nos separabit à Caritate* DEI? quis hoc *Glutinum* abradet? DEO si caritatis Glutino adhæseris, non adhærebit tibi sedes iniquitatis, non agglutinabit se tibi Mundus, non viscus illecebrarum carnalium te devinciet. Glutino si conjunctus DEO fueris, non timebis elatos in altum maris mundani fluctus, non metues aliis formidandas æquoris immensi procellas, non te deijcient undarum ventorumque continuati incursus: Rupi tuæ Glutino adhærens videbis insanas & inanes ferocientis pelagi minas, saxo, in medio mari tutus. Rumpantur funes promissionum, extrahantur Clavi pœnarum, securus ingeminabis: *Glutino* adhærere Rupi bonum est.

CHRISTUS Servator noster funibus aliquoties ligari se permisit: in villâ Gethsemanea, per viam, in Annæ palatio ad columnam, ad Crucem, ut manus pedesque extenderentur ad clauos suscipiendos; sed non permansit in funium ligatura: nam non est durabilis, nobis ad exemplum. Antiquissimis temporibus ad Crucem condemnati, sæpe alligabantur ad arborem vel stipitem funibus. Sic apud Ausonium in cupidine Crucifixo.

In excelso *Suspensum stipite Amorem,*
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt. ---- -- ----

Sic quoque Martyres sæpe arbori Palmæ affixi fuisse leguntur. (a) Et de S. Andrea Apostolo omnibus notum est,

(a) *Psalmo* LXXII. (b) *Ad Rom.* VIII, 35. (c) *Septembris* 24.

est,ac pictura constat.Sed nimis est visa fragilis alligatio. quate ad clauos est ventũ.Quib⁹ licet Saluator Christus fixus etiam fuerit,tamen nõ nisi pauculis horis,cùm eodem die ad vesperum depositus fuerit à ligno, illam cõnexionem sustinuit;ut intelligas,violentam omnem adhæsionem fragilem esse & dissolvendam. At idem, qui funes abjecit, & clavos excussit, adstringi nobis voluit indissolubili Gluti caritatis: *Caritate perpetuâ dilexit nos.* (a)O quam *Glutino bonum est!*

Natura,quæ est Omnipotentis Architecti cooperaria,si quando aliquorum nunquam dissolvendam cõjunctionem molitur,non adhibet funes, nec infigit clavos,sed utitur Glutino quodam arcano, quod ego *Glutinum Naturæ* appellare soleo:& sic omnibus tacitè occinit:*Glutino bonum est.* Accipite exemplum. Inter corpora, quæ magnam hanc Molem, tanquam ingens corpus, seu membra quædam componunt,nempe, Elementa quattuor,nexum conciliare cogitabat, nullis potentiæ creatæ viribus disjungendum:circumspicienti instrumenta, occurrebant quidem vincula funium, & offerebant se claui;sed hisce repudiatis,*Gluten* quoddam & viscus nativum coxit, quo corpora linivit.Inde factum, ut unum alteri tam arctè adhæreat,quasi nulla vi à se invicem divelli possint.& aërem aqua in altũ sequatur, quam alioqui nulla artificis industria, per tubos & amfractuosos canales eò deduceret.*Glutino bonum est.*

In Moralibus, ut significaretur copulatio indissolubilis,quæ est in marem & fœminam,Sacra-Scriptura inquit Genesis secundo,*Relinquet homo patrem suum & matrem*, & adhærebit *vxori suæ.* Græcè est προσκολλήθησεται: quod Tertullianus optimè reddit:*Conglutinabitur.* Inter Jonathan filium Saulis, & Davidem intima fuit connexio,

(a)*Ierem.*xv.31.

nexio, & qua maior vix reperiri posse videretur inter duos affectuum consociatio, quæ eodem verbo à glutino formato exprimitur lib. 1. Reg. XVIII. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David.* id est, Jonathas intimè ac tenerrimè Davidē diligebat, ita, ut videretur anima ipsius *Glutino* affixa, & quasi in unum compacta cum anima Davidis, Huc spectat illud Jeremiæ XIII. ubi Deus suam cum Israële conjunctionem ex affectu paterno exprimit eadem phrasi: *Sicut adhæret lumbare* (nempe baltheū, vel cingulum ex lino, quo lumbi cinguntur) *ad lumbos viri, sic* agglutinavi *mihi domum Israël, & omnem domum Iudæ.* Ita symbolicè indicat conjunctionem conjugalem, quæ est intima. (a) *Glutino* igitur *bonum est.*

Clavis Deo junguntur, quos Timor adnectit. Non damno. Audio enim magnum in vitâ spirituali Doctorem ex cathedrâ invitantem: *Venite filii audite me, Timorem Domini docebo vos*, Ps. XXXVI. 12. Vox est hæc Magistri suos intimo complectentis affectu, inquit D. Basilius, & ad discendam disciplinam paternâ commiseratione invitantis. Idem suadeo, idem clamo imperfectis, & cum eodem S. Patre hortor, ut, dum se sentiunt à Dæmone ad peccatum allici, & jam ferè manus dare revocent ad mentem formidabile, & nulli hominū tolerabile Christi judicium. Salutaris omninò est Timor, & bonus clavus, quo configitur spes prosilentis ad peccatum & concupiscentia detinetur. Salutaris procul dubio est Timor, *Initium* enim *Sapientiæ est Timor Domini*, Psalmo CX. Et, *qui timet Dominum nihil negligit*, Ecclesiastici VII. Salutaris est Timor: nam *qui timet* Deum *convertetur ad cor suum*, Ecclesiastici XXI. *Timor Domini expellit peccatum*, Eccles. 1. *Timens* Deum, *& recede à malo* Proverb. III. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardo-*

(a) *Hieron. Prada Ezechielis* XVI.

ardoris, & umbraculum meridiani: deprecatio offensionis & adjutorium casus: exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem Ecclesiastici XXXIV. Salutaris est Timor: nam *qui timent Dominum, inquirent, quæ placita sunt ei, præparabunt corda sua*, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Ecclesiastici II *Salutaris est Timor, qui quasi clauatis carnibus*, inquit Augustinus lib. 2. de doct. Christ. cap. 7. *omnes superbiæ motus ligno Crucis adfigit.* Auorum nostrorum ævo, ante pedes Alfonsi Ferrariæ Reguli mortuus concidit nobilis dynasta: &, Papæ! exclamabat Dux, hoc me Monachum non faceret? quid dicturus, si Anastasium Imperatorem hæreticum fulmine ictum cum tota domo conflagrare vidisset? salutaris Timor.

Sed *Glutino bonum est.* agnosco comparationem in positivo, & dico: Melior est Amor. Amor nativum est Gluten conjunctioni intimæ aptissimum. Quod Amor, dilectio, Caritas sit Glutinum, dubitare non possum, siquidem ita non obscurè vocatur ab illo, qui naturam utriusque probè callebat, Psalmista Dauid, apud quem lego: *Adhæsit Anima mea post Te*: Psal. XLII. 9. quod in originali est *Agglutinata*, quomodo habet S. Augustinus, & perpendit, docens, *Gluten* esse Caritatem: post Deum agglutinari animam illius, qui non consilio suo vult vivere, ne repellatur, sicut Petrus repellebatur, quando volebat consilium dare Christo passuro pro nobis, & jussus fuit *redire post eum*, Matthæi XVI. ut etiam sequens diceret, *Agglutinata est Anima mea post Te.* Finxerunt antiqui nescio quas amicorum quasi consolidationes, agglutinationesq; inseparabiles, & indivisibiles; sed nulla par est illi, quam efficit *Gluten Caritatis*, Deum inter & hominem ei de proximo amicum. Adhæsit, seu, agglutinatus fuit Deo Propheta David, ut commentatur S. Hilarius,

non blandimentis seculi, non corporis vitiis amorem suum ab eo, caritatemque retrahentibus. Quod confirmat eo Pauli dicto celebri, Qui adhæret DEO, nempe, Glutino amoris, *uno cum ipso spiritum efficit*: I. Corinth. VI. 17. & Christi Domini oratione, qua suos sic unum effici petebat à Patre, quomodo *ipse cum eo unum est*, Joan. XVII. 11. unum autem tum in spiritu, tum in sanctissimæ Triadis naturâ, quæ Patri ac Filio communis, & indivisibilis partitionem haud patitur. Sic quadamtenus primorum in Ecclesiâ Christi credentium erat *cor unum*, & *anima una*, Act. IV. 31. quoniam agglutinabantur eadem caritate divinâ, eodemque bitumine lita erat Ecclesiæ Arca. Itaque caritatis Glutino conivnctos esse proximi & multo magis cum DEO optimum est, Idcirco *plenitudo legis*, ac *vinculum perfectionis*, seu perfectissimum vocat Caritatem Apostolus. Quod considerans S. Augustinus, lib. de morib. Eccl. cap. 11. *Caritas*, inquit, *est virtus conuergens nos* DEO, *qui ipsum diligimus*, id est, Glutino arctissimè copulamur, & ita copulamur, ut nihil omninò inveniri possit in cœlo, vel in terris, quod hanc connexionem possit dissolvere.

QVIS *nos separabit à caritate Christi*, clamabat ardens ille Amator, stigmatibus amoris igniti notatus, *tribulatio, an angustia, an persequutio?* & post longum istiusmodi adversitatum catalogum, ne morte quidem exclusâ adjungit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Caritate, quæ est in Christo* JESU *Domino Nostro*. O vinculum plus quàm ferreum, & adamantinum! quis nos separabit Glutino junctos? *Nemo separat minando mortem*, scribit Augustinus, lib. de moribus Eccl. cap. 11. *Idipsum enim quod diligimus mori non potest*: nam DEUS ele-

at mors ipsa est non diligere DEVM. *quod nihil est aliud, quàm ei quicquam diligendo, atque sequendo præponere. Nemo inde separat, pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam* DEUS est fons vitæ. *Non separat* Angelus: *non enim est Angelus, qui non inhærendo* DEO *nostra sit mente potentior. Non separat* Virtus: *nam si* Virtus *hic illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omninò sublimior mens inhærens* DEO. *Sin* Virtus *illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, favet, ut conjungamur* DEO. *Si in nobis est* Virtus, *ipsa conjungit. Non separant* instantes molestiæ: *hoc enim leviores illas sentimus, quo ei, unde nos separare moliuntur arctius inhæremus. Nõ separat* promissio futurorum: *nam quicquid boni futurum est, certius promittit* DEUS: *& nihil est ipso* DEO *melius qui jam profectò benè sibi inhærentibus præsens est. Non separat* altitudo, neque profundum. *Etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem ac profunditatem significant, non ero curiosus ne sejungar à* DEO: *nec cujusquam me doctrina ab eo separat, ut quasi depellat errorem, à quo nemo prorsus, nisi separatus erraret. Si verò, altitudine profunda superna & inferna hujus mundi significentur, quis mihi cœlum polliceatur, ut à cœli fabricatore sejungar; aut quis terreat infernus, ut* DEUM *deseram, quem si nunquam deservissem, inferna nescirem. Postremò, quis me locus ab ejus caritate divellat, qui non totus ubique esset, si ullo contineretur loco. Non,* inquit, *separat alia creatura.* O altissimorum mysteriorum virum!

GLUTINO *bonum est.* Quis nos agglutinatos separabit à Caritate DEI? *vide dictionis emphasin,* monet D. Chrysostomus, Hom. 54. in Gen. *& latentem vim: vide amoris violenti furorem, vide caritatem inflammatam.* Quid, inquit est, quod possit nos à Caritate DEI separare? Quid inter visibilia, quid inter invisibilia? deinde volens omnia enumerare, & simul manifestum facere desiderium, nullo freno inhibendum, quod erga Dominum gerebat, subdidit,

didit. Num afflictionum anguſtiæ? num fames? num perſequutiones? num nuditas? num periculum? num gladius. O animam ſanè furentem inſania eâ, quæ continentiæ mater eſt! Idem ſummus Orator perpendens adhæſionem illam per *Glutinum*, de quo Pſalmiſta. *Adhæſit anima mea poſt Te.* Ubi & Hebræa (a) & Græca vox (b) vim poteſt, *agglutinata* fuit anima mea Tibi, & exaggerãs vim verbi, quod in Græco habetur, κολλᾶσθαι, & quod divinus Cantor, non tantùm dicat, animã appropinquaſſe, hanc adhæſionẽ comparat cum confixione clavorum, quâ ideò *per Timorem* DEI *configi carnẽ ſuam* cupiebat; & cũ arbore, quæ profundas radices jecerit, ita ut nec vehementi procella, valeat agitari. Verũ, firmiorẽ deſignari adhæſionẽ per agglutinationẽ quàm per confixionẽ ſupra demonſtratũ eſt. Quare Gaudentius Brixienſis agglutinationẽ cum animæ DEO, de qua David, exponit de adhæſione, quæ erit in cœlo per beatitudinem penitus inſeparabili.

GLUTINO *bonum eſt.* Diſcite Adoleſcentes, agglutinare vos DEO: manere in Chriſto qui DEUS eſt, & homo, ut & maneat ipſe viciſſim in vobis: & ſitis ſicut palmites inhærentes Viti, non per fidem ſolam ſed per caritatem, & mandati ſervationem, & obſervationem: ut ſic, quod B. Cyrillus monet, liceat dicere cuilibet veſtrûm, adhæſit anima mea poſt Te, Domine.

GLUTINO *bonum eſt, Bonum eſt adhærere* DEO, *& ponere in illo ſpem ſuam.* Cave igitur adhæreas *meretrici*, (i) carni, ſenſualitati, voluptati: vel *adhæreat in terra venter* tuus: (k) ſive *anima pavimento:* (l) vel tibi *ſedes iniquitatis:* (m) & *cor pravum.* (n) Ut autem adhæreat DEO, & ei adglutineris, teſtimo-

(a) דבקה *dauecha.* (b) ἐκολλήθη. (c) *S. Chry. hom 9. in 2. ad Timoth.* (d) *Pſ.* 118.120. (e) *Gaud tract.* 2. (f) *Ioa.* xv. 2. 4. 5. (g) *Cyrill. lib.* 10. *in Ioan. cap.* 16. (h) *Pſal.* 72. 29. (i) *Corin* 6. 16. (k) *Pſal.* 43. 26. (l) *Pſal.* 118. 25. (m) *Pſal.* 93. 20. (n) *Pſal.* 118. 25.

testimoniis ejus (*a*) adhære: & non *recedas à vestigiis ejus, faciens mandata illius*, juxta monitum Josue (*b*) & exemplo Regis Ezechiæ (*c*)

GLUTINO *bonum est*. Glutinum est Amor. Discite amare DEUM *dulciter*, amare *prudenter*, amare *fortiter*. *Dulciter* ne illecti, *prudenter*, (*d*) ne decepti; *fortiter* ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, nec carnis voluptatibus abducamini, *Dulcescat vobis præ his Sapientiæ Christus.* (verba sunt melliflui Doctoris) Ne *seducamini spiritu mendacii, & erroris, Luceſcat vobis Veritas Christus. Ne adversitatibus fatigemini*, *confortet uos Virtus* DEI *Christus.* Animum zelumque vestrum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus: nec tepore habeat, nec careat dissectione nec timidus sit. Itaq; diligite DEUM vestrum toto & pleno cordis affectu, diligite tota rationis vigilãtia, & circumspectione, diligite ex tota virtute, ut nec mori pro ejus amore ptimescatis: quia fortis est, vt mors, dilectio, dura, sicut infern⁹ æmulatio. Sit suavis & dulcis affectib⁹ vestris DEUS contra malè dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem. Purgate amore vestrum, Adolescentes, consilio Patris Augustini, & aquam fluentem in cloacam, cõvertite in hortum. Væ tali amori tuo, si vel suspiceris aliquid pulchrius, aut dulcius quàm est ille, à quo omne pulchrum & dulce. Sit non dulcis solùm sed & fortis & constans amor vester, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Ergo amate affectuosè, circumspectè, & validè, scientes amorem, cordis affectuosum tantummodò dulcem esse, & vertibilem; circumspectum autem, nisi fortis sit, rationabilem esse, sed fragilẽ. Adjungatur ergo fortitudo. Sit vestra, vsque ad finem vtæ fortis, ut mors dilectio. quod omnibus ex animo precor. VALETE.

(*a*) *Psal.* 118, 31, (b) *Ios.* 22. 5. (c) *Reg.* 18. 6. (d) *S. Bern serm.* 20. *in Cant.*

Legendus S. Bernardus *Sermone de triplici coharĕtiâ Vinculorum, in quo docet,* DEO *aliquem conjungi & adhærere, vel durè ac fortiter per* Funes, *id est, per memoriam honestatis, quæ inest virtuti; aut promissionis; vel fortius & durius per* Clavos *ligneos ferreosq́, qui est gehennæ Timor; vel suaviter & securè per Gluten caritatis, juxta illud Isaiæ* 41.7. GLVTINO BONVM EST.

SERMO XIII.

VECTIS

Architecti Christiani.

Verbum Dei.

ARTICVLVS I.

Quale Instrumentum in Architecturâ sit vectis.

VERBUM DEI in Evangelio à Christo Domino comparatur semini: *Exiit qui seminat semine semen suum,* Lucæ VIII. Quod quidem non de Verbo scripto, sive de Scripturâ, sed de verbo prædicato, quod auditu percipitur, mihi persuadeo accipi debere, ut in Concionum Dominicalium Tomo I. exposui. Sive autem dictum fuerit à DEO immediate, sive ab ejus administris, dictū appellatur. Quod quamvis aptissimè conferatur cum semine, ut auctoritate cœlestis Magistri satis constat, tamen haud ineptè, ut existimo, comparabitur cum Instrumento quodam Artis Ædificatoriæ architectonico, quod reperio in indicibus instru-

instrumentorum Architectonicæ illius, quàm hic Academicis Christianis ex instituto tradere destinavimus. Nam præter Instrumenta hactenus nominata, & explicata, est quoddam usitatissimum, & maximè necessarium ad ædificandum, quod vocatur VECTIS, cujus mentionem sæpe facit Vitruvius in suis de Architecturâ libris. Ut autem ejus plena habeatur notitia, OBSERVO. Nomen illud varia significare Instrumenta. I. *Vectis* est instrumẽtum ex ferro aliá-ve materiâ, quâ ostium clausum, adversus vim nititur. Ita dictum, ut censent Grammatici, quod manu huc illuc vehatur. Virgil. lib. VII. Æneid.

Centum ærei claudunt vectes, æternaq; ferri
Robora. —— II. Vectis *dicitur lignum*

oblongum, quo oneris aliquid à binis plurjbusque in humeris gestatur. Exodi XXVI. 13. *Facies quoque* Vectes *de lignis setim, & operies eos auro: inducesque per circulos, qui sunt in Arcæ lateribus, ut portetur in eis.* III. *Vectis* est instrumentum ad aliquid subvertendum effringendumq; accommodatum. Horatius lib. 2. Carm.

----- --- -- *Hic hic ponite lucidæ*
Funalia, & Vectes, & arcus
Oppositis foribus minaces

IV. *Vectis* à vecto, quod est veho, palus è ferro, vel ligno grandior, fabris & ædificatoribus maximè necessarius ad onera promovenda, attollenda, transferenda. Cæsar lib. 2. belli civil. *Saxa quàm maximè possunt* vectibus *promovent, præcipitataque muro in musculum devolvunt.* Cicero I. de Natura Deor. *quæ molitio, quæ ferramenta, qui* Vectes, *quæ machinæ; qui ministri tanti muneris fuerunt?* V. *Vectis* est palus vel ligneus vel ferreus quo circumagitur ergata trajecta, aut succula. Ergata dicitur machina tractoria axe recto, quæ obnitentibus & in gyrum euntibus vectiariis, versatur:

satur: qualis, est qua in emolienda anchora utuntur in onerariis navibus. *Succula* verò Vegetio ἔτυμος Aristoteli dicitur machina tractoria tereti ligno constans duobus vectibus trajecto, circa quam ductarius funis obvolvitur, cujus est usus in attollendis trabibus; & subvehendis ex apotheca vinis: ubi in duobus arrectariis, quæ ab antride sustinentur, transversa ponitur succula inter chelonia duo versatilis. VI. *Vectis* quoque dicitur instrumentum, quo torcular circumagitur. *Vectiarius* uocatur, qui vecte utitur. Ut qui torcular vecte premit. ex Vitruvio lib. VI. cap. 8. *Vecticularius*, qui vecte parietes effodere conatur, furandi gratiâ. Hinc vecticulariam vitam agere, est furum istorum. Cato. Vecticulariam vitam vivere, est, *Repentè largiter habere, repentè nihil.*

ARTICULUS II.

VECTIS ARCHITECTONICVS

Movet, elevat, transfert pondus quodlibet.

HVIVS Instrumenti, quod *Vectis Architectonicus* dicitur, ea est vis ac facultas, ut onus quantumlibet maximum, saxa ingentia, immò montem integrum transferre possit, modò illi supponatur. Parum hoc maius quid dicam, incredibile haud dubiè imperitis, certissimum tamen, & perspectum doctissimis Mathematicis; inter quos Magister primi subsellii Archimedes Syracusanus, geometriæ, ac machinalis, sideralisque scientiæ consultissimus, liberè professus est, ac fidenter, non tamen arroganter, ac mendaciter, à se Vectem confici posse, quo immobile hoc elementum, quod Terram dicimus, &, quam in æternum stare pronunciat Sapiens, Eccl.

Eccl.XIV. quodq; inde consequitur, compages hæc tota è cœlo, terra, aëre, igne & aquâ, naturisque contentis, quæ Mundus, vel vniversum appellatur, loco moveretur, & ad quodlibet spacii imaginarii, quod extra cœlum in infinitum extenditur, punctum designabile transferretur; immò, pilæ instar, quâ datatim luditur, ab unius in alterius manum transiret. Tantum valet *Vectis Architectonicus*. Verum dixisse Archimedem non docuit quidem hactenus experientia: nam nemo Vectem proportionatum Mundo supposuit, (quod est necessarium ad usum illius Vectis) demonstratione tamen irrefragabili id ostendit Mathesis scientiarum certissima. Talem ego Vectem in Architectonicâ nostra spirituali ac Divinâ aio esse VERBVM DEI ad omnia onera ponderaque transferenda ac promovenda maximè idoneum.

ARTICULUS III.

DEVS ARCHITECTVS

In architectanda Mundi Machina concipitur adhibuisse Vectem-Verbum-suum.

Ipse dixit, & facta sunt. Psal.XXXII.9.

VT DEUS fabricaret Mundum, vel tanquam Urbem amplissimam, vel tanquam Domum splendidissimam, vel tanquam Templum augustissimum, necesse fuit extrahere, & transferre ex Nihilo; quod concipiendum est, velut hiatus quidam immensus, in quo delitescunt omnis generis lapides, ut sit quasi lapicidina universi; transferre, dico, oportuit ex Nihili hac lacunâ ad Esse, inter quæ chaos est infinitum, omnia quæ in Mundo

cernuntur corpora, cœlum, mare, terram, aërem, & quicquid in iis est. Jam ponderentur ista omnia, deprehendentur esse gravitatis penè incomparabilis. Sed nisi transferantur ex abysso Nihili, nunquam erunt ad Mundum fabricandum usui. Quid fecit Architectus Deus? Accepit suum Vectem, quem semper habet ad manum, & immisit in Nihili cavernam infinitam, ubi latebant illa à me antea commemorata, quæ momento temporis extraxit, eduxit, transtulit. Nec fuit opus ullo alio instrumento ad ingentem hanc Mundi machinam ex partibus illis componendam. Hoc animadvertit ingeniosè Architecti nostri Scriba velociter scribens, & quod in Genesi pluribus explicatur per multas creaturas, exprimens Brevissime Propheta David Psalmo XXXII. *Ipse dixit & facta sunt. Verbo Domini cœli firmati sunt.* En Vectem Omnipotentiæ VERBUM DOMINI, quo elevatur ex NIHILO, quod pondere prægravante, fuerat eatenus in fundo abyssi.

ARTICULUS IV.

VERBO DEI

Tanquam Vecte Architectonico, transfertur Mons.

NOta refero, & decãtata in Ecclesiâ. Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus, (a) vir sanctitate, doctrinaque illustris, à multitudine & præstantiâ miraculorum *Thaumaturgus* appellatus, cùm volens ædificare templum in loco ad id idoneo, videret angustiorẽ esse, quàm ædificium exigeret, eo quod ex una parte rupe maris, ex alia monte proximo coarctaretur, accepta tan-

(a) *Vita. Breviarium Romanum* XVII. *Novemb.*

tanquam Architectus Christianus Vectem ingentem, illumque, ut potuit, Monti supposuit: tum facillimè Montem transtulit, ut tantum spacii relinqueretur structoribus templi, quantum commoditas postulabat. Quis ille fuit VECTIS? nonalivs, quàm VERBUM DEI. DEUM VERBI sui admonuit magnus DEI Servus: Verbum orationis protulit: Verbo, tanquam Vecte, Montem transtulit.

ARTICULUS V.

VERBO DEI

Velut Vecte, Peccatum & Peccator, ponderа gravissima facillimè transferuntur.

VVLTIS aliud pondus multo enormius præcedente elevari & transferri eodem Vecte supremi Architecti? Disputatur subtiliter à Theologis, non quæ sit maxima gravitas in corporibus, seu quod sit corpus omniũ gravissimũ; hoc enim spectat ad Philosophos inquirere, qui multis, de maximo quod sic, & gravissimo quod sic inter se altercantur; sed de gravissimo, quod est in rerum natura, etiam in spiritualibus. Et post longam acerbamque partium concertationem eo devenitur, ut concludatur gravissimum omnium esse peccatum mortale, & peccatorem lethiferi criminis sarcina oneratum. Rationem dant, qui optimam solent, istiusmodi. Gravitas peccati mortalis est infinita in ratione offensæ, quia eo offenditur DEUS infinitus: ob quam causam meretur, pœnam infinitam, si non intrinsecè, quod negant aliqui saltem extensivè, quod omnes adfirmant: & negari non potest, cùm de fide sit, hinc decedentem peccato mortali

tali oneratum, post hanc vitam puniri in omnem æternitatem, sive, in infinitum extensivè. Quod si non sit infinita omninò gravitas peccati mortalis participat tamen de infinitate tantum, ut nulla gravitas illi possit cõparari. Quod est indicium infiniti saltem participati. Profectò, Lucifer, & illi adhærentes Spirituum improborum catervæ, quam primum peccarunt, tam fuêre graves, ut cœlum, quamvis ex ære fusum videatur, illos sustinere non potuerit; sed ceciderunt omnes, tanquam lapides gravissimi in profundum, sicque cœlum exoneravit se. Eadem autem est ratio cujuslibet peccatoris, qui in mortali persistit, quem idcirco cœlum gravitate perurgente in se retinere nequit.

Hic tamen, licet infiniti ponderis, transfertur facillimè, per infinitam distantiam, à nihilo ad aliquid, ab imo ad summum, à tenebris ad lumen ab Occidente ad Orientem, à statu peccati ad statum gratiæ, à perditione ad salutem, à creatura ad Creatorem. Quo instrumento? *Vecte* Architecti cœlestis, VERBO Suo excitantur, vocantis, immutantis, trahentis. Quod fit quotiescumque peccator sanctificatur; sive per Sacramenta, in quibus accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum; sive per Contritionem & Amorem: nam semper intervenit Verbum DEI, sine quo nulla perficitur justificatio.

ARTICULUS VI.

VERBO DEI

Ceu Vecte, fit Hominis Mundani translatio.

DIFFICILLIMUM est movere Hominem Mundanum. Ita vocamus hominem cujuscumque ætatis, adolescentem,

lescentem, juvenem, virum, amantem ea quæ in mundo sunt: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ: Hominem addictum Vanitati in corporis cultu, vestitu, crinibus, annulis, torquibus, lobbis, ligulis, fasciis, spiris, & similibus puparum nugis: Hominem consectantem voluptatem in visu, gustu, tactu: Hominem aspirantem ad magnas opes, dignitates, prælaturas, officia, beneficia: Hominem sanum ac vegetum, spondentem sibi longam vitam, & in eâ dies bonos, jucundos, semper serenos, semper ridentes, semper fortunatos, ac felices. Ita enim insaniunt Adolescentuli quidam, inexperti, imprudentes, pueriles, Narcissuli, comptuli, trossuli; qui hæc & multo plura sibi, tanquam certissima pollicentur: ac si futurorum contingentium esset, non solum determinata veritas, sed scientia etiam penes mortales. quod negant boni Philosophi. Hos tales, quippe graves vanitatis sarcinâ, & fortasse multorum criminũ, transferre ad statũ meliorem: deinde, traducere ad rerum mundanarũ contemptũ: & multo magis, ad relinquenda omnia: ad sequendum Christum nudum: ad ingrediendum Religionem, est propè ἀδύνατον; & facilius diceres movere cœlum & terram, ac universum mundum, quam istos qui mundum in cerebri inanite circumferunt.

Verum, id unicum potest *Vectis Architectonicus* artis nostræ, qui dicitur Verbum Dei. Progrediatur in medium Antonius Ægyptius, nobili prosapiâ ortus Adolescens, pulcher, robustus, doctus, corporis cultu visendus, gladiatus, ocreatus, inauratis calcaribus noscibilis, aureâ cæsarie, aureo redimiculo. Quò tendis Antoni? ad templum. quo fine? ut videam, & videar: ut circumspiciam, ut fabuler: ut amicam quandam meam ingredientem salutem, egredientem consequar. Ingresso basili-

basilicam Antonio intonat altissimâ voce Evangelium cantans Diaconus: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quid Antonius? ac si *Vectis* pedibus ejus subjectus fuisset, commovetur, transfertur, currit, vendit omnia, pecuniam inde acceptam, de asse quidem reservato sibi, pauperibus distribuit. Tum eodem Vecte translatus in vastissimam Ægypti solitudinem devenit: ibi mundo mortuus, Deo vivens, ea dixit, fecit, instituit pro posteris, ad quæ mũdus abstupuit, cœlum applausit, infernus horruit: ille adolescentulus, ille glorioſulus, ille Antonius nobilis Ægyptius. Nemo desperet. tantæ virtutis est VERBUM DEI, Architectonicus VECTIS.

QUID tu hic siles FRANCISCE? prodi loquere, ut te videam. quid tibi accidit? Franciscus Assisii in vmbria natus, (a) patris exemplo mercator, in officinâ enutritus, in foro cum institoribus versari solitus, Nundinationi assuetus, corporis cultui magis quàm nobiles, ut mercatorum filii deditus, audiens ex Evangelio Verbum Dei: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta:* (b) Sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque detractis sibi calceis, & una contentus tunica, cùm duodecim socios adhibuisset Ordinem Minorum instituit. Franciscus ille mercatorculus, pauper & humilis, qui cœlum dives postea ingressus est. Quis non dicat, Verbum DEI esse Vectem ad quælibet onera, quamvis maxime gravia transferenda idoneum?

NEC te silebo NICOLAE de TOLENTINO, (c) qui clericali militiæ adscriptus, & Canonicus factus (Utinam imitentur ejusdem sortis Adolescentes, qui me audiunt, illustres, generosi, nobiles, Canonici, utinam & Vicarii, uel

(a) *Vita 4. Octobris.* (b) *Matthæi 9.* (c) *Vita 10. Septemb.*

vel choraules.) cum quodam die Concionatorem Verbum DEI explicantem, & de mundi vanitatum que contemptu firmis lateribus differentem audiviſſet, commotus vehementer, & divino inflammatus amore, Canonicatu ſe abdicavit, mundum deſervit, Ordinem ſacratum ingreſſus exactam vitæ religioſæ rationem coluit. Nimirum, tantæ potentiæ eſt VERBUM DEI. verè VECTIS Architectonicus. Huc ſpectant vocationes omnium Apoſtolorum, quorum aliqui Verbo DEI, tanquã Vecte translati ſunt è mari, unus de telonio, non nemo exnuptiis, ut tanquam lapides vivi, ad Domus DEI ſtructuram aptarentur. Utinam idem Vectis Architecti, Omnipotentis dextera rotatus commoveat vos vivos ædificii ſpiritualis lapides, & transferat à falſis ad vera, à vanis ad ſolida, à vitiis ad virtutes, à carne ad ſpiritum, à temporaneis ad æterna, à terrâ ad cœlum, à creaturis ad Creatorem, qui in Patre, & Filio & Spiritu-ſancto vos benedicens, eſt Benedictus in ſeculorum ſecula. AMEN.

SERMO XIV.

VECTES

Architecti Cacodæmonis.

Conſuetudo popularis, prava, illegitima celebrandi intemperanter Bacchanalia: comedendi carnes in Quadrageſima: violandi jejunium.

ARTI-

ARTICULUS I.

Architectus Christo oppositus Cacodæmon: & ejus asseclæ, Qui Bacchanalia vivunt.

QVEMADMODUM in Militiâ spirituali duplex est belli Dux & Imperator, Christus & ejus adversarius Lucifer, seu malorum Angelorum Caput, aut Antesignanus, vt, cùm de Militiâ Christianâ disseruimus, demonstratum est; ita in Architectonicâ ejusdem denominationis, duplex est Architectus, CHRISTUS, & ejus antagonista SATAN, sive ille vocetur *Lucifer*, sive *Astarothus*, sive *Asmodæus*, sive *Belzebubus*, sive *Bohemothus*, sive *Leuiathan*, sive *Apollyon*, sive *Bacchus*, qui est omnium illorum pater, qui *Bacchantes* appellantur: in Evangelio celebre est nomen *Diabolus*, & communissimum, *Satan*, in Testamento Veteri; in Novo, *Satanas*. CHRISTUS ædificat Domum Sapientiæ; Lucifer, Satan, Bacchus Tabernam stultitiæ. Hunc imitantur, quicumque hoc tempore ex proposito stulteseunt ac delirant, & tot ædificant stultitiæ gurgustia, quot sunt exemplo ad similem stultitiam incitant, hominum stultissimi, quorum in mundo infinitus est numerus, qui compedibus vinciendi essent, & in stultorum hospitale deportandi, ubi tam diu spinis ac urticis, nec non sale essent perfricandi, donec discerent sapere in Bacchanalibus, & stultitiæ ædificationem intermittere. Sic essent idonei, ut Feriâ quarta, quæ sequitur, in capite jejunii, cineribus conspersi cum fructu audirent: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Porrò, ut Sapiens Architectus Christus sua habet Instrumenta, quibus Domum Sapientiæ extruxit, & inter cætera, Vectem admiran-

admirandæ potentiæ, qui est Verbum DEI, quo grauissima quæque elevantur, & de loco ad locum transferuntur, vt proximè est explicatum; ita stultus Architectus Cacodæmon, Sapientis Simia, suum habet Vectem, quo idem facere conatur, & se posse profitetur; immò iactat superbè, se fundamentum Domus Sapientiæ, quod est magis, quàm Capitolij immobile saxum, immò, quàm Cœlum & terra, posse loco mouere, transferre, inuertere.

FUNDAMENTVM Domus Sapientiæ, sunt DEI Mandata, Christi Consilia, Præcepta dominica, quæ in Litteris divinis dicuntur Verba DEI, & sunt magis firma, inconcussa, immobilia, quàm cælum & terra, Christi D. attestatione: *Cælum & Terra transibunt: Verba autem mea non præteribunt.* Matthæi XXIV. Cuius sententiæ sensus potest esse comparatiuus, vt alibi doceo (a) nimirum, potius, ocyus, facilius cælum & terra esse desinent, quàm verborum meorum vacillet stabilitas. Aut, magis est ἀδύνατον Verba mea infringi, aut moueri, quàm cœlum aut terram: siquidem, ut est apud Isaiam Prophetam, *Verbum Domini manet*, subsistit, perseuerat, *in æternum.* (b)

QVIS est ergo ille *Vectis*, cuius vi movere se posse gloriatur, atque tentat, per se, perque suos, Architectus Cacodæmon? Non est iste vnus, sed multiplex: nam tot eius generis, ac denominationis inuenio, quot sunt Instrumenta, quibus, improbi à Satanâ, edocti, tum aliàs, tum hoc potissimùm Bacchanalium tempore legem diuinam, aut Ecclesiasticam à DEO provenientem euertere, à se remouere, & alio longè à se transferre nituntur.

(a) *Sandæus in Opusculo* Mundus fallax. *Comment.* VII. (b) *Isaiæ* XL. 8.

ARTICULUS II.

VECTIS ROSTRATVS.

Consuetudo praua inducens & roborans usum inebriandi.

PRIMVS Vectis rostro suo munitus est consuetudo popularis, qua solent pessimi Architecti DEI Verbum, legemque immobilem convellere. Nemo dubitare potest, esse DEI Verbum, quod habetur apud Isaiam Prophetam: (a) *Va qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Item *Va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum, nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* (b) Verbū DEI est: *Neque fornicarii, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum* DEI *possidebunt.* (c) Habetur-ne harum legum minarum, decretorum DEI ratio, si tempus spectes, in Bacchanalibus, Saturnalibus, Martinalibus prandij, cœnæ, sympoſiorum? Si loca, in triuijs, tabernis, popinis? si personas, à sacris, profanis; à viris, iuuenibus, adolescentibus: adde, à pueris ac penè infantibus. Nulla habetur: liberè proloquendum est: omnes sanos (si non singulos generum, sed genera singulorum consideres) qualibet opportunitate, quantum valent, bibunt, potant, hauriunt. Qui ad potandum fortissimus, ille ingeniosus dicatur honoratissimus: aut vice versâ. Hæc ars in pueritia discitur, in adolescentiâ exercetur, in virili ætate perficitur. At nulla te Diuinorum præceptorum seueritas, nullæ sacrarum Scripturarum minæ, nulla mouet Legis semel sancitæ, nunquam abolendæ reuerentia?

Fu-

(a) 1 *cap.* v. xi. (b) *Prov.* xxiii. 29. 30. (c) 1. *Corin.* vi, 10. consuetudo prava.

FATEOR, inquit M. Bibulus, doctus à Pseudo-politico, legem esse diuinam, sed consuetudine apud nos contrarium introductum videmus. Secundum consuetudinem patriam vivitur. Ego mores meos ad eandem compono, memor illius diverbii, quod vncialibus litteris ante cœnaculum cuiuslibet culpendum esset:

Cùm fueris Romæ, Romano viuito more,
Cùm fueris alibi viuito sicut ibi.

quodque grauissimum Præsulem Hipponensem usurpare non piguit sæpius. (a) Consuetudo vim legis obtinere solet, quid me excrucias, Theologe? Magna est hæc, pernicioſa, & meritò profligandа deceptio, cuius, præter *Serpentem-vectem*, (quomodo Leuiathanam cognominat Isaias Propheta (b) ignorantia, seu improbitas Pseudo-politicorum sunt magistri. In confesso est apud bonos Theologos, & LL. peritos.

PRIMÒ. Nullam consuetudinem habere vim contra legem naturalem. Quod docet S. Thomas p. secundæ quæst. XCVII. art. tertio ad primum: & satis constat ex cap. vlt. de consuet. vbi id Doctores & Glossa confirmat. Quoniam, quod lex naturæ iubet aut vetat, est per se bonum, aut per se malum. Quocirca, hominum vsu aut consuetudine tolli, vel abrogari nequit. Quamobrem, consuetudo contra legem naturalem inducta, vocatur in Jure civili, *consuetudo contra bonos mores*: & *Abusus*: in Jure Canonico, *corruptela*. Est autem Ebrietas juri naturali contraria.

SECUNDO, In legem Divinam Consuetudini potestatem non esse ullam. Quod iidem Doctores asserunt. Siquidem lex Divina à DEO est lata, ut servetur ab omnibus. Itaque, quemadmodum non potest humana lege

(a) S. August. epist. 138. cap. 9. (b) Epist. 119. ad Ianuar.

tolli, sic nec consuetudine, quæ mera est *corruptela*, si Le diuinæ aduersetur. Iam verò legi diuinæ aduersatur, & eadem prohibetur Ebrietas, de quâ agimus quam nulla consuetudo ita afficiet, vt peccatum non sit. & æterna hominem non priuet beatitudine. Quoniam, *Cœlum & Terra transibunt: Verba autem* DEI *non præteribunt.*

TERTIO. In confesso est, consuetudinem esse debe rationabilem, ac naturæ consentaneam: qualis nonch abominanda Ebriosorum. Idem iudicium esto de to alijs peruersis, & exitialibus consuetudinibus: liberrim alterius famam denigrandi: sacrati Ordinis viris, ac Re ligiosis mendaciter crimina imponendi: aduersariu ad singulare certamen prouocandi, duellandi, &, si so ferat, instar canis contrucidandi.

ARTICVLVS III.

VECTIS FERRATVS.

Consuetudo popularis violandi ieiunium Quadragesimale Ecclesiasticum.

HOC vtuntur plurimi ad transportandum à se Lege Matris Ecclesiæ de abstinentiâ à carnibus, & ieiu nio quadraginta diali. De quo monendi sunt, qui ob gantur, antequam primis diebus illam violent. Atte dite.

IEIVNIVM *Quadragesimale* initium sumit ab hora duo decimâ noctis, quæ consequitur diem Martis huius hebdomadæ. Itaque qui tunc, & post illam, ea nocte ca nibus vesceretur. violaret Quadragesimam huius ann quoad abstinentiam à carnibus. qui comederet pisces vel alia esculenta sumeret, violaret Ieiunium quadrage simale, quoad præscriptum vnicę refectionis certo tem

pore

pore sumendæ. At, Consuetudo est, inquis, vt die Martis, quippe, vltimo Bacchanalium, accumbamus vesperi post septimam, tum producamus cœnam in adultam noctem, deinde, ludamus, saltemus, tripudiemus: mox iterum accumbamus, edamus, bibamus, nec ante quartam matutinam recedamus. Quo modo enim alioquin, eo anno nos celebrasse Bacchanalia recordaremur? An non excusat nos bone Pater, tam bona consuetudo? Consuetudo illa est diabolica, non ab alio introducta, quàm à laruato aliquo Cacodæmone, cùm moliretur Vectem conficere, & suis tradere, vt Legem ab Ecclestâ latam euerteret.

II. PRÆTEREA. Si quæras à patre familias, ciue honesto: quo peruenêre carnes, quos vltimo Bacchanaliũ die coxisti? fortasse dicet, tantum superfuit, vt pro die Mercurij & Iouis & sequenti satis fuerit, ac parumper pro die prima Dominica: tunc absumpsimus analecta. Quomodo? qua conscientia? hoc est violare Ieiunium quadragesimale. Pater mi. Consuetudo ita habet, vt paralipomena Bacchanalium sint vsui primis illis diebus Quadragesimæ absque vllo scrupulo. Pessima est Consuetudo, irrationabilis Consuetudo, nullibi à Prælatis Ecclesiæ approbata Consuetudo. Vectis Diaboli, non Christi. Sic in fraudem Quadragesimæ potuisses vltimo die Bacchanalium assare integrum bouem, fartum gallinis, perdicibus, porcellis, & altilibus, vt fit Francofurti ad Mœnum in coronatione electi Imperatoris, sicque tota Quadragesima comedere ex Bacchanalium reliquijs. Non animaduertitis astum Cacodæmonis? At, vbi relinquemus carnes coctas? melius est, vt nos ijs vescamur, quàm vt proijciamus ante porcos, vel sepeliamus in fimeto. Ergo desunt hospitales ægrorum domus, nosocomia, valetudinaria? eò essent mittenda

Bacchanalium illa lipsana. Desunt-ne pauperes, qui ad fores expectant, donec deferantur micæ de mensis dominorum suorum. At, quo titulo, quoue iure pauperes comedunt primis Quadragesimæ diebus carnes & pinguia, quæ diuitibus superfuerunt? Respondetur a Moralis Theologiæ Magistris, titulo necessitatis, si non habeant aliud quicquam quo vescantur. Deinde, titulo maternæ benignitatis & indulgentiæ, qua Ecclesia, non nouerca, sed amantissima mater fertur in pauperes, vt sibi carissimos filios. Denique, iure præscriptionis legitimæ, quam Prælati, & conscientiarum Præsides non reprobant. Quæ tametsi vera sint; non ambigo tamen esse pauperes studiosos, qui tam generosi sint animi, vt licet dentur carnium patinæ, dedignẽtur ijs vesci. Quod ego omnibus suadeo. Si enim alijs diebus pisculentis carnibus abstinent, ea deberent esse magnanimitate, vt propter tres quatuor-ue dies, nollent de se dici, quod non obseruassent totam Quadragesimam.

III. ADHAC. Si quæram ab adolescente, alioqui minimè malo, post anpor Quadragesimæ dies euolutos. Adolescens, comedisti oua diebus proximè superioribus? ita, Pater: ille optimus est noster cibus: nam neque ossa habet, vt carnes, nec spinas, vt pisces. Benè dicis, ita hoc volebam. Habuisti-ne tu facultatem comedendi in Quadragesima? nam in ea cum carnibus Ecclesia prohibet oua. Habui equidem, Pater. Quisnam dedit? Consuetudo. En Vectem Diaboli? Erratis Adolescentes. Non est eius rei vbique consuetudo legitima: alicubi est generalis licentia, Coloniæ nec est hæc licentia, nec illa Consuetudo, Sunt-ne tam seueri Colonienses? non sunt tam seueri, quàm obseruantes Canonum Ecclesiasticorum. Quare, si vsum ouorum putat esse necessarium

in

in sua domo paterfamilias, debet petere facultatem à suo Parocho, pro se, suisque domesticis: adolescentes autem Scholares à suis Confessarijs, qui ab Antistite Ordinario delegatam sibi exercent. Quare monendi sunt Academici litterarum studiosi, vt initio Quadragesimæ quilibet suo se sistat Confessario, & ab eo potestatem sibi fieri postulet.

IV. DENIQVE. Accidit aliquando, vt quæratur à viro Catholico familiæ curatore industrio: quomodo obseruatur à te tuisque Ieiunium quadragesimale. Benè, vt reor, respondet: nam ter omninò in hebdomade ieiunamus, Lunæ, Mercurij, Veneris, & nonnunquam addimus diem Sabbati. Quomodo bone vir? ergo non quotidie colitis ieiunium in Quadragesima? Non, Pater. Vnde hoc indultum? A consuetudine: sic enim passim sine scrupulo ieiunant hic ciues nostri, viri optimi. Quod adeo vulgatum est, vt quidam existimarint, per. Consuetudinem in quibusdam Germaniæ locis introductum esse, vt ter in hebdomade per Quadragesimam sæcularibus ieiunare sufficiat. (a) Sed errare illos reor: nullibi sanè apud Catholicos, certè Coloniæ non est legitimè introductum consuetudine, nec præscriptum tale quid. Et quidem esset ea consuetudo irrationabilis, nec Prælati Ecclesiæ in illam consentirent: quippe, quæ contra tam Sanctum & Apostolicum, omnibus seculis ac nationibus apud Christianos celebratum ieiunij quadragesimalis institutum vergit. Quod si tamen quispiam probabilem aliquam causam adferat, cur non omnibus hebdomadis diebus ieiunare possit, cum eo facilius dispensare conuenit in frigidis istis Regionibus, quàm alibi. Recordor etiam Priuilegij à Pio IV. Pontifice Max. anno M.D.LXIII. Societate IESV concessi,

a) vide Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3.

ad dispensandum cum ijs, qui in partibus Septentrionalibus ad ieiunandum totâ Quadragesima adduci non possunt: vt videlicet aliquoties in hebdomade qualibet ieiunare sufficiat.

Ita que si diebus istis hilariûm instiget vos falsitatis Architectus Cacodæmon ad intemperantiam, ad lasciuiam, ad impuritatem improbitatemque, quasi in Diuina Bacchanalium tempore, vt non viget apud omnes, ita nullos obliget, quod consuetudine abrogata sit. Si in Quadragesima suggerat: liberè comedas quidlibet, & quandocunque collibitum fuerit; consuetudinis id est Germanicæ, Responde audacter, calidè, & sine peccato, iracundè: Architecte malorum omnium Diabole, sit tibi tuus ille Vectis in damnationem. Consuetudinem omnem detestamur, qua Verbum Dei impetitur. Sis maledictus in æternum, qui euertere conaris Verbum Domini, quod manet in æternum. Sit benedictum Nomen Domini in æternum, quia est Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui viuit & regnat in æternum. Amen.

SERMO XV.

VECTIS CHRISTI.

Vsus legitimus Verbi Dei.

VECTIS DIABOLI.

Abusus Verbi Dei.

Scriptum

Scriptum est, quia Angelis suis mandauit de te. Matth. IV. 6.

Rursum scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Matth. IV. 7.

ARTICULVS I.

SERPENS-VECTIS

Congreditur cum Christo pro Victoria.

SPECTACVLVM iucundum, & vtile stratagema exhibetur in Euangelio hodierno, velut in theatro. Prodeunt duo Architecti, CHRISTVS & Diabolus. Certamen instituitur, cuius-nam instrumentum Architecti sit validius & potentius? Christo deseruit Verbum DEI tanquam Vectis ad mouendum quidlibet: Diabolus illud idem, quod videri potest incredibile, astu Satanico transformare conatur in Vectem suum, vt, & Christo non sit vsui & sibi, tanquam Vectis deseruiat. Quare hunc Diabolum, qui hodie congreditur cum Christo existimo esse illum, qui Isaiæ XXVII. vocatur LEVIATHAN SERPENS-VECTIS: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan Serpentem vectem.* Diabolus dicitur *Serpens* ob astutiam & venenum peccati quod in hominibus callidè suggestione, irritatione, persuasione suffundit. Dicitur etiam *Vectis*, quia ipse, vt commentatur insignis interpres, (a) quasi *Vectis* plus quam ferreus obstruxit fores Inferni,

(a) *Sanchez Isa. XXVII.*

& peccati (ne quis indè emergat) consequenter & co
ne quis eò penetret, idque adeò fortiter & angustè,
non nisi gladio DEI duro & grandi vectis ille, ad libe
hominibus atque expeditum ingressum diffringi, ac
uelli potuerit.

ACCOMMODATIVS ad rem nostram diceretur C
codæmon Vectis, quia est fabricator Vectis non vn
& vtitur Vecte, instrumento architectonico com
Christum & eius discipulos, vt loco moueat, & inuer
omnia, quæ pertinent ad ædificationem Domus Sap
entiæ. Quod intelligetis, si diligenter, attentè, & auid
vt famelici solent in Quadragesimâ, qnæ proponentu
exhauseritis.

ARTICULUS II.

VECTIARII DIABOLI

Contra Christum astuta machinatio.

VECTIS Christi, tãquam Architecti Diuini, est VE
BVM DEI purè acceptum, benè intellectum, since
explicatũ: At Vectis Diaboli est, Verbũ DEI corruptũ, a
ulteratũ, malè intellectũ, peius expositũ, pessimè app
catũ, detortũ, inuersũ, id est, *Abusus* VERBI DEI. Quo cõ
tur per se, perq; suos Ædificatores Domus Stultitiæ, F
damentũ Domus Sapientiæ, & quicquid ad illius æd
cationẽ requiritur, nempè, omnẽ DEI legẽ omnia illi
mandata, virtutes deniq; omnes loco mouere & ev
tere. Specimen eius moliminis egregiũ dedit Matth.
vbi agitur de Christo agente in deserto. Sed quomod
Vecte cõtrario sit occurrendũ exẽplo suo præclarissim
demonstrauit in eodẽ theatro Dominus. Diabolo pro
situm erat, inducere Christũ in aliquod peccatũ. Qu
si effecisset, & victoriã de illo reportasset, vt vnicè exp

tabu

tabat, & sciuisset, ꝙ maximoperè desiderabat, an revera, Christus esset DEI Filius naturalis. Nam si peccasset, cōclusisset Satan in bona formâ & figurâ dialecticè, hoc syllogismo. *Nullus qui peccat contra* DEUM *est*, DEI *Filius naturalis: quia* Filius DEI *naturalis est* ἀναμάρτητος: *impeccabilis. ad hic homo peccat contra* DEVM. *Ergo non est* DEI *Filius naturalis.* Quocirca omni vtitur artificio, vt Christum ad aliquod peccatū cōmittendū pelliceret, ac permoueret. Sed quis moueat immobilem? Architectus per Vectem. Assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatē, & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei: *Si filius* DEI *es, mitte te deorsum.* Pinnaculum, ne hoc ignoretis, est fastigium & summitas ædificij in acumen desinens; siue ꝙ veteres pinnam acutum dicerent; siue ꝙ pinnaculis pinna addi consueuerit, quæ facili motu ventorū indicet flatum: ꝙ genus nunc vulgo pinnaculum dicitur. Quāuis autē pinnaculum in acumen vergeret, habebat tamē suam quandam planitiē, & latitudinem, vt in eâ quis pedibus insistere posset: sicut insistunt structores, ac fabri, qui tecta reficiūt. In illo ergo culmine stare potuit Christus, aut certè, in illo eum tenuit, & sustinuit Diabolus.

IAM verò, peccatū est contra DEUM vitæ auctorem ac dominū cōmissum, sine causâ legitimâ, præcipitem dare se ex rupe, turri, aut pinnaculo. Id vt Christo persuadeat seu moueat, vt se præcipitet, nihil esse putauit efficacius, quàm Verbum DEI per abusum, ac peruersā interpretationē in vectē transformatum. Dicit igitur: *Si filius* DEI *es, mitte te deorsum*: id est, ex pinnaculo in præceps labere; sic enim cades in atriū Sacerdotū, sed miraculoso casu, aut, si mauis, saltu: atq; ita ostendes, tēpli & altaris, quasi Domus tuæ Dominum, ac DEUM Te esse, tam Sacerdotibus, quàm Laicis: sicq; ab ijs ius sacrificij, & adorationis reposces. Quo nitebatur pessimus consultor Chri-

Christũ ad vanam sui suæq; Maiestatis ostentationẽ adducere. Cùm videret Christũ non cõmmoueri, expediuit Vectẽ, eumq; pedibus illi⁹ suppositum, vt solet Architectus ad transferendũ lapidẽ: *Scriptũ est enim, quia Angelis suis mandauit de te* (Luc. cap. 11. addit) *vt conseruent te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidẽ pedem tuum.* Traducit hoc verbũ DEI ex Psal. xc. cui⁹ exordiũ: *Qui habitat in adiutorio Altissimi.* Vbi secundum sensũ genuinum agitur de Angelis singulorũ hominum tutelaribus: quamuis possint quilibet alij Angeli intelligi, quos DEVS ad hominum opem & salutem destinat, mittitq;.

SED, in quo consistit Abusus illius Verbi DEI, put adhibetur à Diabolo ad mouendũ Christum? Existimant SS. Chrysosto. Hieronym. Hilar. cõmentarijs in Matth. (*a*) Origenes & S. Nazianzenus (*b*) citasse Diabolũ Scripturã fraudulẽter, & falsò, detorquẽdo Verbũ illud DEI ad aliũ, eiq; accõmodando, cui secundũ mentem Sacri Scriptoris non conueniebat. Psaltes enim Dauid in eo psalmo loquutus fuerat de hominibus meris, siue puris, vt loquũtur Scholastici, nõ de Christo, qui erat Homo-DEus; neq; habebat Angelũ custodẽ, vt habẽt ceteri homines, quoniã in Christo Humanitatis custos erat Diuinitas. At verò Patres alij, inter quos S. Ambros. (*c*) atque Remigius, (*d*) censent, abusũ illius sententiæ haud fuisse ꝙ Diabolus illã applicarit Christo, qui licet non haberet Angelum certum Custodem, habebat tamen omnes Angelicos Spiritus sibi obsequentes, suoque seruitio, ac ministerio deputatos. Itaq; arbitrantur, propterea Diabolum fuisse abusum Verbo illo DEI, quoniam illud adhibuit detorquẽdo, ad id, ad quod minimè debuisset: nempè, ad præcipitationem sui, ad vanam & gloriam, ad ostentationem, ad tentandum, & consequenter, contem-

(*a*) *Crig. hom. 24.* (*Naz. orat. de S. Baptis.* (*c*) *In c. 4 Luc.* (*d*) *in ps. 90.*

contemnendum DEUM. Promitttit quidem eo loci DEUS Angelorum tutelam & cuſtodiam hominibus juſtis, ſibiqúe caris, ſi ex virtutis præſcripto operentur: ac proinde prudenter & pie agentibus, non temerarijs, præſumptuoſis, & DEUM tentantibus, An non eſt tentare DEUM, ſine ejus iuſſu, afflatu, impulſu, ex alto ſiue montis, ſiue ædificij, ſiue turris præcipitem ſe dare? Monuit iſtud ſapienter S. Bernardus Sermone XIV. in Pſal. XC. *Qui habitat*, ſic ſcribens. Quid *mandauit*, dum mandauit, *vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis? nunquid in præcipitijs! qualis via hæc è pinnaculo templi mittere ſe deorſum? non eſt via hæc, ſed ruina: &, ſi via, tua eſt, non illius.* Inſtat Diabolus: & Vectem ſuum magis promouet. perge Chriſte, quid ceſſas? in imum te conijce. quidquid moraris? eia age; aude aliquid, Te, tuoque dignum nomine. Fortaſſe etiam truſit Chriſtum leniter pugno, aut fortiter cubito, cum dixit: *Angeli in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuam* Non habent quidem manus Angeli, licet eas cum corpore ex aëre formato adſumant, Manus ergo ſignificant, per catachreſin, opem, vim, ac miniſterium Angelorum. Dicit itaque Dæmon: crede mihi, Chriſte, ſi te præcipitaueris, ita præſens ſenties Angelorum auxilium, ac ſi eorum manibus geſtareris.

Hoc Vecte ex Verbo DEI per abuſum formato Chriſtum aggreſſus eſt Diabolus, ſed illum à conſtantiâ non dimouit: nam contrario Vecte, tanquam cuneo cuneum repulit, Verbum DEI ſanè intellectum adhibendo: *Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum* DEUM *tuum (a)* Tentat autem DEUM, qui petit ab eo miraculum non neceſſarium: quale eſt in precipitium ſe ſponte dantem, manibus Angelorum ſuſtineri velle. Si hac arte Diabolum repuliſſet Hero Eremicola nunquam tam turpiter

(a) Deuter. VI, 16.

esset lapsus. vt enim scribit Cassianus, (a) cùm impelleretur à Diabolo, vt quoniam sanctus habebatur, sola pane & aquâ victitans, exalto se deijceret; suggerebat autem, non esse dubitandum, virum talem à Deo Angelorum ministerio excipiendum: itaque præcipitauit se in puteum, vbi miserè perijt.

(a) *Cassianus Collatione 2. cap. 4.*

ARTICULUS III.

Abvsvs Verbi Dei.

NUnc attendite, & animaduertite, quàm multi Diabolum Architectum stultissimum imitentur in Abusu Verbi Dei, quod tanquam Vectem vsurpant, vt se aliosque in ruinam impellant, Cauete. nam Deo maximè displicet, illiusque indignationem prouocat.

Abvsvs Verbi Dei, qui est *Vectis* Diaboli, in eo vniuersè consistit, quod adhibeatur, & detorqueatur ad id, ad quod minimè deberet. Id contingere potest variis modis, quibus accidit multos grauiter delinquere: aliquando cum quadam ignorantiâ, vtinam semper inculpabili, ideoque instruendi ac monendi sunt; aliquando ex malitia merâ, instigati à pessimo Architecto Diabolo.

§. I. IN primo ordine sunt, qui aduocant Verba Sacræ-Scripturæ, quæ sunt Dei, per detorsionem, ingeniosam quidem fortasse illam, sed peruersam, ad nugas, iocos, facetias, ad ludicra, ad aliorum tarpendo, mores, ad exponendos quosdam ludibrio, ad excitandum

tandum risum circumstantium, ad commonendum petulcum splenem audientium, aut legentium (a) componuntur centones, non Homerici, sed Sataníci, concinnantur pasquilli, confinguntur libelli famosi, ex meris sententijs Scripturæ-Sacræ, quæ ad alium longè sensum, quàm quem habent in Diuinis paginis trahuntur, ac scurrilitati petulantis ingenij deseruiunt. Dicitur exabrupto versiculus è Biblijs desumptus ad eliciẽdum semicatholici cachinnum. In quo peccant aliquando grauius, quàm existimant, viri Docti, sed leuiculi; & adolescentes quidam ingeniosuli, vt sibi videntur, sed ridicularij & nugiuenduli. Quod peccatum, tanquam graue, contra religionem, ac DEO Diuinisque rebus debitam reuerentiam, execrantur Patres, Magistri Ecclesiæ, & nouissimè Concilium Oecumenicum Tridentinum, in quo Sapientissimorum totius orbis fuit confessus. Ejus hoc est decretum sessione IV. de Canonicis Scripturis & vsu Sacrorum librorum. *Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legimè congregata temeritatem illam reprimere volens, quâ ad profana quæque couertuntur, & torquentur verba & sententiæ Sacræ-Scripturæ: ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, Libellos etiam famosos, mandat, & præcipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturæ-Sacræ ad hæc & similia audeat vsurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores ac violatores Verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.*

QVÆ grauissima prohibitio, satis declarat totius Synodi iudicio hunc abusum Verbi DEI esse peccatum mortale, constituens hominem temeratorem, ac violatorem Verbi

(a) ad fabulosa, detractoria, superstitiosa, & eius generis alia

Verbi DEI. Hinc in formula examinis conſcientiæ, inter puncta eſt iſtud etiam: *An verba Sacræ-Scripturæ ad factum applicauerit?* Item. *An peccata ſua Scriptura Sacra excuſauerit.* Quare, nolite aſſueſcere Academici Catholicæ Eccleſiæ, Matris optimæ filij haud degeneres, ad rem tam ſeuerè prohibitam: nolite linguam ei accõmodare, immò nec aures, ſed potius alijs ita ſcurriliter loquentibus auditum cum indignatione auertite, aures occludite, expuite, horrorem oſtendite, nullatenus ridere. Superioribus affines ſunt, qui abutuntur verbis ac ritibus Sacroſanctæ Miſſæ, ac ridiculè pronunciant, dum nugantur, *Dominus vobiſcum: Ite miſſa eſt:* aliosque ſacrificij tremendi verſiculos. Quod ſi ex contemptu fieret, vt ab hæreticis eſſet grauiſſimum mortale, Caue te.

§. II. IN ſecundo ordine abutentium Verbo DEI, tanquam *Vecte diabolico*, ſunt illi, qui vel ad peccatum committendum adhibent, vel ad excuſandum peccatum commiſſum vſurpant. Nihil eſt facilius, quàm adducere ſententiolam aliquam ex Codice ſacro malè explicatam, ac detortam ad incitandum iam præcipitè, vt crimen patret, aut, vt patratum excuſet. In quo magiſtri fuerunta atificioſiſſimi ſed à Cacodæmone edocti hætetici huius ac ſuperioris ævi, Lutherus, Caluinus, Zvvinglius, & illorum aſſeclæ. Qui quicquid fuerat, eatenus in Eccleſiâ Catholicâ firmum, ſtabile, immobile, aggreſſi fuerunt loco mouere hoc *Vecte Abuſus Verbi* DEI, quod interpretatione prauâ ac adulterinâ detorquentes adhibebant, tum ad peccandum liberè, tum ad excuſandas excuſationes in peccatis. Incredibile eſt, non credet poſteritas, non credidiſſem ego, niſi ipſorum-met dictis ſcriptisque edoctus, quantoperè ſimplicitati populorũ illuſerint, & impoſuerint, vt in Septentrione, in Germaniâ, Britanniâ, Galliâ, deindeque in Bohemiâ, Vngariâ,

Polo-

Poloniâ mouerunt penè vniuersa, vt inuerterent, per Abusum Verbi DEI, tanquam per Vectem Tartareum interpretationibus confictis, absurdis, ridiculis, puerilibus, ac scurrilibus confectum. Quo in genere tam sunt multa, tam varia, tam in omni criminum genere diuersa, vt nunquam finem inuenirem, si singula recensere aggrederer: quare paucula tantùm adferam ad cautelam, & hæresis detestationem.

ARTICULUS IV.

INITIO hæresis Lutheranæ perruptis, vt monasteriorum, ita pudicitiæ claustris, homines DEO per votiuam castitatem dicati, qui immobiles censeri poterant, minimo impulsu, transferebãtur ad seculum, seu vitam seculare profugiebant è Monasterijs. vestem religiosã abijciebant, abradebant tonsurã, procabãtur vix egressi claustro: mox conuolabant ad nuptias: ducebant vxores Canonici, Vicarij, Monachi, quorum dux erat Lutherus. Mirabantur plebs, populus, nobiles repentinam illam mutationem, hactenus in Ecclesiâ Christi nec visam, nec auditam: & quidem in ijs, qui se profitebantur esse Euangelicos, ac facere omnia secundum Verbũ DEI, consentaneè ad Euangelium. Quo ruitis mei populares? quid agitis? quis dementauit? Non dementiæ hæc signa sunt; respondebant, sed sapientiæ Euangelicæ, quâ docemur, homines etiam sanctos, quales nos accipere aliquando vocationem diuinam ad Nuptias. Ad Nuptias-ne? viros voto castitatis adstrictos DEO? Clericos, Sacerdotes, Monachos? ad nuptias-ne cœlibatum vsque ad mortem professos? Ita, ad nuptias. Nonne scriptum est. *Vocatus est* IESUS *& discipuli ad nuptias?* Ioannis secũdo. Nonne scriptũ est? *Ite ad exitus viarum. & quoscunq; inuenietis vocate ad nuptias.* Matt. XXII. Nonne scriptũ

est, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*? Genesis primo. Deus æterne? quantus est iste Verbi Dei abusus quantus in abutentibus vel stupor, vel scurrilitas? Fuêrene Germani omnes pecudes sine intellectu, vt talibus aures darent, & fidem haberent? Nam credebant, sequebantur, conuolabant ad Nuptias: post Carolostadium, Lutherum, similes, omnis generis Ecclesiastici: euacuabantur Monasteria hoc Vecte diabolico.

Eodem abrogabantur Ieiunia, pœnitentiæ functiones, pietatis opera; & impellebantur Christiani ad crimina quælibet, Ieiunium Quadragesimale aiebant esse contra libertatem Spiritus Christiani. Quare? scriptum est, *Permanere in carnè necessarium est*, ad Philippenses primo. Qui ieiunant, inquiebant, sicut olim Anchoretæ, Paulus, Antonius, Hilarion, non comedendo, nisi panem siccum, faciunt contra legem Dei. Quare? scriptum est: *Non in solo pane viuit homo*, Matth. IV. nimirum, adiungendi sunt ad panem pulli, gallinæ, perdices, ficedulæ. Nudipedes Religiosos, & ieiunantes Monachos suadebant eijciendos è regnis & Imperio, quasi facientes contra Verbum Dei. Quare? scriptum est: *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttvr tuum a siti*. Ieremiæ secundo. O Domine! *quando Te vidimus nudum*? Matth. XXV. Auspicabãtur nouum suum Euangeliũ, & illius prædicationẽ à mẽsis & poculis. Potantibus nobis cereuisiã Wittenbergi creuit Euangeliũ, scribit Luther in Colloquijs mensalibus. Quare? Scriptum est: *Ficus & vinea dederunt virtutem*. Ioëlis secundo, Item, scriptum est: *Oportet hoc primum fieri, sed nondum statim finis*. Luc. XXI.

Vix promulgato Quincto Euangelio, fugitiui Fratres in Germania, Gallia, Belgio, abiecta veste supe-

(a) *Legendus* Sandeus, *in Hydro Hollandico, in Castigatione Conscientiæ Iesuiticæ, in Synodo Dordrechta nâ.*

superiori monachali, cõparebãt in publico breuibus induti, sine togâ, sine linea tunicâ, caligis, & thorace visendi Quare? scriptũ est: *Præcepit eis ne induerentur duabus tunicis.* Marc. xvi. Item scriptũ est, vt Petro in carcere mandatũ *Præcingere caligas tuas & veni.* Actuũ xii. Destruebant Lutherani. & magis Caluin. stæ sepulchra & monumenta Sanctorum. Quare? scriptum est: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum.* Luc. xi. Item, Scriptum est, *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi:* Ecclesiast. tertio.

Si monebantur, & post vnam alteram-ue commonitionem vrgebantur ad restitutionem rei alienæ depositæ; respondebatur audacter: Nonne scriptum est, *O Timothee! depositum custodi?* primæ ad Timotheum sexto. Si fornicationes, adulteria, & plura alia peccata grauissima commissa essent, audiebatur ad faciendum fucum populo, & animandum ad eadem patranda: scriptum est, *Nihil damnationis est in ijs, qui sunt in Christo,* ad Romanos viii. Ferunt, cùm ex numero Ministrorum Verbi quidam nescio cuius pallium, domino ablatum circumferret, nec redderet, responsum fuisse: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi,* ad Galatas sexto. Cùm caro pugnet contra spiritum, & multo magis Diabolus contra iustos, Quærentibus, quare consentirent carni suæ? cur non dimicarent contra tentationes? cur non se opponerent Diabolo? Responsum erat in promptu: Scriptum est, *Ego dico vobis, non resistere malo,* Matth. v. Iterum, *Esto consentiens aduersario tuo in via.* Item, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Matth. v. Abolebant Confessionem auricularem, in quâ peccata sponte se accusantis Sacerdoti manifestantur. Quare? Scriptum est, *Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ.* Prouerbiorum xiii. Scriptum est: *Qui custodit os suum, custodit animam suam,* eodem capite, Plura omitto.

Qvis autem esse debet fructus huius Sermonis? profectò

fectò, non risus propter absurditatem, stupiditatem scurrilitatem hæreticorum commiseratione prosequendam & lachrymis. Sed imprimis, vt caueatis quam diligentissimè à Verbi DEI abusu: nunquam illud adhibeatis ad vana, ridicula, iocosa: nunquam illud scurriliter exponatis: nunquam illud adducatis, ad excusandas excusationes in peccatis. Deinde, vt DEO gratias agatis, gaudeatis vobisque gratulemini, quod nati sitis, viuere velitis, mori exoptetis in Ecclesiâ Catholicâ, Romanâ, Pontificiâ, Papali, vnde dicimur glorioso titulo PAPISTÆ, ringantur sectarij. In qua Ecclesia *Abusus* omnis *Verbi* DEI, tanquam *Vectu Diabolicus*, grauissimè prohibetur, & verus illius ac legitimus vsus docetur, & viget, vt errare nõ possitis, modò illam, quæ errare non potest, audiatis & in illa maneatis, viuatis, & ad finẽ vsq; vitæ perseueretis; in qua sola est salus, vita, & ad felicem æternitatem resurrectio, quam omnibus vobis opto, voueo, precor. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. AMEN.

Legatur Sandæus *in Opusculo* Mundus fallax, *Commentatione* VII. *in quâ exponuntur* Vectes Diabolici LXXVII. *& exemplis declarantur. Item eiusdem* Grammaticus profanus COMMENTATIONE XVII.

SERMO XVI.

TRVLLA ARCHITECTI CHRISTIANI.

IN *Supellectile Architecti est Trulla, prout significat Instrumentum, quo Ædificatores, aut fabri murarij lapides in fabrica componunt, ac calcem è vase hauriunt, & muro injiciunt, illumq; illinunt, vt non solùm murus pulchritudinem accipiat, sed etiam firmitatem contra tem-*

pestas

pestates, & imbrium iniuriam. Hinc apud Vitruuium trulliſſare *legitur. pro Trulla gypſum inducere*, lib. VII. cap. 3. Coronis, *inquit*, explicaris, parietes quàm aſperrimè trulliſſentur: poſteà autem ſupra trulliſatione ſubareſcente deformentur directiones arenati.

ARTICULUS I.

TRVLLA

Protectio Diuina.

DEVS ſe aliquando videndum DEVS, quaſi Cæmentarium cum Trullâ in manu, quâ Murum Iſraëlis oblinere & incruſtare erat ſolitus. Ita illum vidit Amos Propheta, qui capite ſecundo: *Ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius* Trulla *cœmentarij. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? & dixi*, Trullam *Cœmentarij*. Murus litus ſignificabat pulchritudinem fortitudinemque Iſraëlis, dum à DEO oblinebatur & incruſtabatur, hoc eſt, tegebatur, roborabatur, ac protegebatur; & tam diu ſtetit integer atque inconcuſſus contra ventorum imbriumque iniurias, nempè, hoſtium molitiones, contraque tempeſtatum omnium impetus. Nimirum, Dominus ſuper illum, vel propè, aut iuxta illum, vt Lucæ IV. *Stans ſuper illam, imperauit febri*; habebat curam ne læderetur ſicut *Cœmentarius* cum *Trullâ* aſtans parieti, cauet ne pluuia calcem deijciat, aut ſi id factum, reſtaurat ſubitò. Addit Dominus apud Prophetam. *Ecce ego ponam* Trullam *in medio populi mei Iſraël; non adijciam vltra ſuperinducere eum. Et demolientur excelſa Idoli, & ſanctificationes Iſraël deſolabuntur: & conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio.* Senſus eſt planiſſimus (a) Ego idem indignatus ob ſcelera

(a) *Ex S. Hieron. Rimigio, Haymone, Hugano, Lyrano, Ribera, Ferdinando in Viſion. cap. 32. Cornel.*

populi tanta curâ à me hactenus protecti, atque ornati deponam *Trullam defensionis* in medio eius, eumq; deseram: non linam amplius, non super inducam lutum, non cooperiam calce. Sic Cementarius cùm ab opere desistit, ponere solet Trullam, & abit.

IAM ad spiritualem Architecturam conuertamur. Iustitia illa, quæ in se virtutes omnes continet, seu virtutum collectio est Murus in Sapientiæ Alumno, à summo rerum omnium Artifice erectus, & animam cingens, vt illam à peccatis, vt bestijs irruentibus tueatur, & eum potissimũ arceat, qui, quasi leo rugiens, circuit, quærés quem deuoret. Hunc murum ædificari postulabat suppliciter Propheta: *Benignè fac Domine in bonâ voluntate tuâ Sion, vt ædificentur Muri tui Ierusalem*, Psal. L. Sciebat enim Rex Sapientissimus, simulque bellicosissimus, vrbem, arcem, castrum, sine muro non posse defendi. Ædificat autem hunc Murum DEUS, vt Architectus primarius, nos verò cum DEO, vt secundarij, & illius adiuuæ (Dei enim cooperatores sumus) sed inuidentibus hostibus nostris, & dolore ac rancore tabescẽtibus, nec nó modis omnibus ædificationem impedientibus aut saltem remorantibus. Experti id sunt Iudæi, de quibus Nehemiæ IV. *Audierunt auẽ hostes Iudæ & Beniamin, quia filij captiuitatis ædificarent templum Domino* DEO *Israël: Nunc igitur notum sit Regi, quia si Ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum & vectigal, & annuo reditus non dabunt & vsque ad Reges hæc noxa perueniet.* Inde conspiratione factâ, quod potuerunt, conati sunt, vt murorum instauratoribus molestiam crearent, & ab ædificatione auerterent.

VERBVM ENIM VERO, non est satis, Murum exsurrexisse, nec sat est Iustitiam ab Architecto Principe in Animâ iusti semel fuisse erectam, nisi ab eodem *Trulla protectionis peculiaris* liniatur, & gypso fortitudinis obducatur,

catur, aduersus adulantium, minitantium, retrahentium à virtutum cultu, veluti contra imbrium & ventorum violentiam. Audire hic iam videor Magistrum cœlestẽ, tanquam Architectum auditoribus suis inculcantem: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.* (per Petram intellige Christum Saluatorem, eiusque vitam, mortẽ, merita, quibus innitendum, non suis operibus) *& descẽdit pluuia & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit*, Matth. VII.

PORRO, liniri à DEO Murum, est, eius auxilio iugiter protegi aduersus contrariarum potestatum continuos impetus, quos ne iustus quidẽ auertere, aut sine noxa posset, nisi eius ope qui potens est eum, qui stat, statuere, vt perseueranter cõsistat: atq; eius fauores peculiari, qui vt cœpit bonum opus in nobis, ita perficiat necesse est. Tunc autẽ censetur Auxiliator noster Dominus *Trullam ponere*, cùm à protectione singulari & auxiliorũ gratijs particularibus manum retrahit. & q̃ maximè metuendum, animã deserit, ac derelinquit: hoc enim ipso hostibus tradit eam, quæ sine DEI auxilio ijs resistere nequit. Atque hoc manifestum est signum iræ Diuinæ penè implacabilis.

Ex his liquet, si DEUM velut Architectum, aut Cœmentarium cum *Trulla* in manu consideremus, calcem & gypsum quibus anima, eiusque potentiæ, ac habitus virtutesq; abducuntur ad elegantiam & firmitatem esse Diuinam *Gratiam*, aliaque à DEO liberaliter humanis mentibus infusa carismata, *Trullam* verò, tum DEI beneplacitum ac liberalitatem, per quam velut instrumẽtum quoddam fit gratuita donatio; tum assidua Opificis & Architecti nostri Protectio.

ARTICULUS II.

TRVLLA

Sacramentum Legis Nouæ.

SI hominem, tanquam Architectum contemplemur, Domum Sapientiæ in Animâ extruentem, rectè dicemus, *Trullam* esse *Sacramentum* quodlibet, in quo, velut in architectonicæ eius generis instrumento, continetur Diuinæ Gratiæ calx, quâ parietes Domus illius, & ad pulchritudinem & firmitatem illinuntur. Porrò, vt paries semel litus facilè crustã suam amittit, nisi iterato liniatur: & si primum tectorium decidat, necessariũ est est rursum *Trullam* admouere; ita facilè præcedens Gratia deperditur, nisi Sacramentorum frequentatione iterum, iterumq; Gratiæ calx obducatur. Quod si fiat, nullis tempestatum lædi poterit iniuriis, nullisq; deteri tentationum, velut imbrium decidentium incursibus.

CAVENDVM autem maximè Architecto Morali, ne sit ex ijs, de quibus Ezechielis XIII. *Dic ad eos, qui liniunt absq; temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes & ventum procellæ dissipantem. Siquidem, ecce cecidit paries: nunquid non dicetur vobis: vbi est litura, quam linistis?* Absq; temperamento dicuntur linire Cœmentarij, qui vel absq; paleis, quibus temperatur, aut miscetur argilla, siue cœmentum, vel absque moderatione adhibendo plus, aut minus. Aquila vertit, sine *Sale*: quia, vt caro sine sale, siue insulsa, non est solida, & firma, sic neq; lutũ sine paleis: immò, nisi calx sali & præsegminibus coriorum misceatur ac rectè misceatur tẽperetur, q̃ docet Vitruuius lib. VII. cap. 2. & 3. ad dealbatio-

bationem non est idonea. Optimum documentum pro Architecto Domus Sapientiæ, vt cum temperaturâ omnia agat, in vsu sacrorum, in exercitatione virtutum, in vsurpatione Sacramentorum: semper sal discretionis interueniat in omni litura: nihil insulsum faciat, dicat, cogitet. nisi ædificium, velut domum tempestatibus expositam, velit per imbrem, grandinem; ventos, procellas occasionum, tentationumque obrui, penitusque euerti. quod absit.

Disservi hactenus de Instrumentis Artis Architectonicæ Christianæ, id est, benè viuendi, quæ est Ars artium, Scientiæ scientiarum; & vsum ostendi, Regulæ, Perpendiculi, Normæ Libellæ, & tot aliorum ad Trullam vsque. Quod si toto & huius anni, & vitæ vestræ tempore, nihil faciatis, dicatis, cogitetis, nisi diligenter examinatum ad legem æternam, naturalem, diuinam, humanam quæ sunt Regulæ nostrarum actionum; nisi probatum Exemplo Christi, quod est Perpendiculum virtutum; nisi conforme exemplis Sanctorum, quæ sunt Norma nostrorũ Officiorũ; deniq; nisi ad Libellam discretionis & prudẽtiæ exasciatũ, Calce Sapiẽtiæ à Trullâ Diuinæ Gratiæ obductum, nihil in vobis desiderabitur ad huius vitæ felicitatem, quæ consistit in virtutum cultu, & est semen beatitudinis vitæ alterius, quæ sita est in Visione, Amore, ac Fruitione Dei Vnius & Trini, cui hoc anni initio, ac deinde frequentissimè grati lætique accinamus,

Gloria Patri & Filio, & Spiritui-Sancto. Amen.

INDEX.

PARTIVM. OPVSCVLORVM.

Sermonum. Articulorum. Rerum. Verborum.

DE Architecturâ Christianâ, Spirituali, Mystica, Morali, seu, Theologia, Architectonica in Sacra-Scriptura delitescente. *Scrutamini Scripturas.* Ioannis v. 39.

PROOEMIVM. in quo nominum ratio & vsus.

§. I. Quid sit Architectura. II. Quis qualis ue Artifex sit Architectus. III. Quibus disciplinis instructus esse debeat Architectus. Quibus etiã dotibus IV. An & Quare Architecti propria sit Sapientia, vt præ alijs Artificibus signatè dicatur Sapiens. V. Architectus nomen est compositũ ab ἀρχὸς Princeps, & τίκτων, Faber. vt sit principalis faber VI. Auctores Scriptoresque, Veteres & noui de Architectura.

PARS I. OPVSCVLVM I. Architectus Christianus Sacer-Spiritualis. Mysticus. Tropologicus.

SERMO I. Amator veræ Sapientiæ, & Virtutis Christianæ studiosus, sit oportet Architectus. *Ædificate alterutrum, sicut & facitis.* Ad Thessalonicens. v. 11.

ARTICVLVS I. Titulus Architecti, qui conuenit omnibus Christianis, sed signatè Concionatoribus sancitur formulis loquutionum Sacrarum Christi & Apostolorum. 6

Ar. 2. Architectus, Propheta, Ecclesiastes, Catechista, siquis loquens, Doctor fidelium. 8

3. Architectus DEVS, Apostolus, Vir Apostolicus. 12

4. Architectus, Quilibet homo Christianus. 14

SERMO II. Studiosum litterarum. Artiumque liberalium, ac virum litteratum debere esse in semetipso Ædificatorem *Domus Sapientiæ.* 22

Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Psal. cxxvi. 1

Sapientia ædificauit sibi Domum. Prouerb. ix. 1.

ART. I. Felix Adprecatio & finis sermonum Dominicalium de Architectura Christiana. 10

2. Anima iusti hominis est Domus, Basilica, Templum. Et in eâ ædificatur Domus DEI. 33

3. DEI, vt Principis Archi-

tecti

fecti Ædificatio est necessaria exstruendum in Anima Domum Sapientiæ & virtutũ. 25.

4. Sermo de Ædificatione Domus Sapientiæ quomodo sit futurus fructuosus. 26.

SERMO III. Sodalis B. MARIÆ V. Qualis, & cuius-nam Domus Ædificator esse debeat. 28.

Sapientia ædificauit sibi Domum Prou. IX. 1.

Ædificate alterutrum, sicut & facitis.

Ad Thessal. v. 11.

Ad sodales Marianos B. M. V.

ART. I. Sodalis Parthenius sit oportet Architectus & Ædificator. 28.

2. Sodalis Parthenius sit oportet Ædificator Domus Sapientiæ. 30.

3. Caritas ædificat. Per quam Ædificator constituitur Sodalis Marianus. 33.

4. Actiones Architectonicæ sint oportet cuiuslibet Christiani, & multo magis Sodalis Parthenici. 25.

5. Architectus Christianus, & Ædificator Sodalis, primùm in se, tum in alijs ædificat. 38.

SERMO IV. Analogia multiplex inter Officia Architecti & Amatoris Sapientiæ Virtutumque Studiosi. 41.

Volens Turrim ædificare. prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt Lucæ XIV. 28. 41.

ART. I. Architectus Christianus Quis-nam sit? Quis item Amator Cultorque Sapientiæ? Quis Virtutum studiosus? 41.

2. Fuga Temeritatis. Vt Sapientis Architecti, ita studiosi Virtutum est, haud temerè Opus arduum aggredi 43.

3. Architectus Christianus sit oportet, non tantùm Auditor, sed & Factor bonus Sapientiæ. 48.

4. Architectus Christianus esse debet Amator Sapientiæ Virtutumque cultor, vt prosit etiam alijs. 50.

5. Architecti Christiani forma est Sapientia Caritate animata. 51

SERMO. V. Dotes Architecti Christiani.

Ecce vocaui ex nomine Beseleel, & impleui eum Spiritu DEI, *Sapietia & Intelligentia, & Scientia in omni opere.* Exodi XXXI. 2. 3. 53.

ART. I. DEVS Auctor Architecturæ Quosdam sibi caros deligit & designat ad Architecturam Spiritualem, seu Christianam exercendam. 53.

2. DEVS Scientiarum Dominus Architecturâ Sacrâ instruit eos quos vocat ex Nomine. 55.

3. Architectus Christianus Virtutibus præditus. 56.

4. Spiritus DEI in Architecto Christiano. 57.

5. DEVS Architectus Sapientissimus. Sapientia Architecto est

est propria, 60.
6. Paulus Apostolus Sapiens Architectus. 60.
7. Architecti intelligētia. 65
8. Architecti Scientia. 67.
OPVSCVLVM II. ÆDIFICIUM ARCHITECTI CHRISTIANI Quod est Domus Sapientiæ. 73
SERMO I. Domus Sapientiæ Elegantia. Decor. Amplitudo. Ejusdem Architectus primarius DEUS. Ut sit secundarius Homo litterarum ac virtutum studiosus quidnam ei sit faciendum. 73.
ARTIC. I. Introductio in Domum Sapientiæ. 73.
2. Domus Sapientiæ DEUS princeps est Architectus. 76.
3. Ad Ædificationem Domus Sapientiæ necessaria sunt, Domini DEI invocatio. Gratiæ auxilium. Ædificantis Pietas. 80.
4. In Ædificatione Domus Sapientiæ initium ducendum à DEO.
5. In Nomine Domini inchoanda Ædificatio Domus Sapientiæ. 88
6. Matutinis precibus DEUS advocandus ad Ædificationem Domus Sapientiæ. 91
SERMO II. Situs Domus Sapientiæ ORIENS. Plantaverat Dominus DEUS Paradisum voluptatis à principio. LXX. legunt, *ad Orientem*. Genes. XI 8. 98.
ARTIC. I. Oriens accommodatissimus est ad Domum Sapientiæ alicubi Ædificandam, Situs. 98
2. Situs Domus Sapientiæ ad Orientem est munijs Cultoris Sapientiæ perquam idoneus. 101
3. Situs Domus Sapientiæ ad Orientem, ingenii ad Sapientię culturam accommodati iudicium habet, vel spem præbet. 106
4. Situs Domus Sapientiæ ad Orientem felicitatem portendit. 108
5. Situs Domus Sapientię ad Orientem deliciarum, divitiarumque abundantiam, & bonum omne pollicetur. 109
SERMO III. Domus Sapientiæ. Sensu Grammatico-Litterali. Historico, *Triclinii*. Sapientiæ ædificavit sibi Domū. Quid est illa Domus?
ART. I. Triclinium. Refectorium. Cænaculum. 113
2. Dissertationes convivales. Mos Hebræorum in Triclinijs convivando disserere, moraliter, parabolicè, ænigmaticè. 115
3. Sententiæ Epulares Festivæ. Mos Græcorum, Latinorum, aliarumque Gentium in Triclinijs inter epulas proferendi sententias festivas & ingenioſas. 117
4. Descriptio Domus Sapientiæ facta à Salomone Triclinio

nio accommodatur. 121
5. Columnæ VII. in Domo Sapientiæ quà Triclinio. 125
SERMO IV. Domus Sapientiæ sensu parabolico.
ART. I. Templum. Synagoga. 127
2. Gymnasiū. Academia. 130
3. Encyclopædia. Orbis Scientiarum. 134
4. Domus Sapiētiæ Mundanæ: Quæ inimica est DEO. 137
SERMO V Domus Sapientiæ. Sensu Allegorico.
ART. I. Ecclesia Christi. 139
ART II. Domus Sapientiæ. Sensu Allegorico & Mystico Virgo DEIPARA. Uterus Marianus. 141
SERMO VI. Domus Sapientiæ. Sensu Physico. 143
ART. I. Mundus.
2. ART. II. Domus Sapientiæ Religiosè. Monasterium. Claustrum Cella. 145
SERMO VII. Domus Sapientiæ Symbolicè.
ART. I. Christi Corpus. Cato. Compositum. 146
2. Christi Humanitas. 147
SERMO VIII. Domus Sapientiæ sensu. 150
Anagogico
1. Cælum empyreum
2. Corpus glorioſum. 150
3. Domus, Thronusque in cælo
SERMO IX. Domus Sapientiæ. Tropologicè. Ethicè. Moraliter.
ART. I. Domus Sapientiæ Tropologicè Cor Justi. 151
2. Justi Animus seu Anima. 153
3. Quæ, Qualisque Justitia constituat Justum; & in eo Animam potissimùm Domum Sapientiæ. 155
4. Domus Sapientiæ spiritualiter Anima Justi dignè communicantis. 157
OPUSCULUM III. Ædificium Architecti Christiani. Quod est Fabrica Virtutum. Objectum Architecti Tropologici. 165
SERMO I Ædificium Morale Philosophicum.
ART. I. Quintuplex Ædificium Architecti Christiani Tropologici. 165
2. Virtutes, ex quibus construatur Ædificium Morale Philosophicum. 166
3. Enumeratio Virtutum, ex quibus constituitur Ædificium humanum, Morale, Philosophicum. 168
4. Virtutes Morales Acquisitæ constituunt Ædificium Philosophicum. Quod est Domus Honestatis. 172
SERMO II. ÆDIFICIUM Spirituale Theologicum. 174
ART. I. Gratia DEI supernaturalis ad Ædificii spiritualis structuram necessaria. 174
2. Virtutes ad Ædificii spiritualis structuram requisitæ. I. Theologicæ. II. Cardinales. III. Mo-

III. Morales infusæ. IV. Christianæ. 176

3. Virtutes Christianæ infunduntur divinitus dum Homo justificatur. 182

4. Ædificium spirituale Theologicum quomodo fundetur, tegatur, perficiatur. 184

SERMO III. Ædificium Operum Meritoriorum.

ART. 1. A quo, & Quomodo exstruatur. 188

2. Ædificium Meritorum est Domus cælestis. 189

Domus Superna. Corpus Glorioſum. 190

Domus Æterna Gloria cæleſtis. 191

Domus indiſſolubllis Corpus Glorioſum & Beatitudo, 192

Domus non manufacta.

Οικία ἀχειροποτες. 192

3. Ædificium Meritorum Quomodo conſtruatur à DEO & Quomodo ab hominibus juſtis. 193

4. Obſtetrices Ægyptiæ ædificabant ſibi & DEUS ædificabat illis Domos. 194

5. Manſiones Cæleſtes Quomodo à juſtis in hac vita ædificentur. 197

6. Viſum admirandum de Ædificiis operum meritorium in cælo. 201

7. Ædificium Operum meritorium ab uno exſtructum in cælo transfertur aliquando ad alium. 204

8. S. THOMAS Apoſtolus ARCHITECTI Schemate & Titulo ad Indorum ſalutem curandam proficiſcitur. 206

SERMO IV. Ædificium Boni Exempli ADOPTIVUM & ADOPTATUM, 209

ART. 1. Quodnam ſit. Et quomodo exſtruatur Ædificium boni Exempli. 209

2. Quodnam ſit. Et quomodo conſtruatur Ædificium ADOPTIVUM. 210

SERMO V. DOMUS Sapientiæ Virtutibus, tanquam partibus conſtituta, variiſque ornamentis internis & externis decorata. 214

ART. 1. Homo-Exterior Domus-Opus Naturæ.

2. Homo-Interior-Domus. Opus Sapientiæ. 217

3. Sapientiæ Studioſo eſt neceſſaria Fides, Spes, Contemptus Vanitatis. Voluptatiſque corporeæ deſpectus. 218

4. Figura & Pavimentum Domus Sapientiæ. 213

5. Quatuor Turres Domus Sapientiæ. 225

6. Foſſa. Flumen. Vallum Domus Sapientiæ. 229

9. Murus & ANTEMURALE Domus Sapientiæ. 231

8. Tectum & Dimenſiones Domus Sapientiæ. 235

9. Conclave Columnatum Domus Sapientiæ. 238

10. AULÆA Domus Sapientiæ. 240

11. Ambulacrum Domus Sapientiæ. 241
12. Area Domus Sapientiæ. 244
13. Porta Domus Sapientiæ & Clavis. 245

PARS II. Architecturæ Christianæ. 250

OPUSCULUM IV. Fundamentum Domus Sapientiæ, seu Ædificii spiritualis. 251

Domus Domini firmiter ædificata: benè fundata est super firmam Petram.

SERMO I. An & quomodo Fides secundum Regulas Architectonicæ dici possit Fundamentum Ædificij Spiritualis. 251

ART. I. Pro Fide, quæ Fundamento post exemplum, doctrinamque Christi stat consensus Doctorũ Ecclesiæ. 252.

2. Fides, quia Hypostasis, & substantia rerum sperandarum est Fundamentum Ædificij Spiritualis. 254.

SERMO II. Fides cum fundamento variè cõparatur Quia Fidei cũ Fundamento Domus est conuenientia multiplex.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, Christus Iesus 1. Corinth. III. XI. id est, Fides in Christum IESVM. 258.

ART. I. Prima conuenientia inter Fidem & Fundamentum est, esse Primum & Initiũ. 2. Secunda Conuenientia inter Fidem & Fundamentum est, quod sint Prima inchoatione, non dignitate. 261.

3. Tertia Conuenientia inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit primum ingenere causæ materialis. 262

4. Quarta Conuenientia est inter Fidem & Fundamentum, quod vtrumque sit pars Ædificij maximè firma. 264.

5. Quinta Conuenientia inter Fidem & Fundamentum est, quod neutrum nutare possit absque periculo intentus ædificij. 269

6. Sexta Conuenientia inter fidem & Fundamentum, quod vtrumque lateat; neutrum videatur. 271.

7. Septima Conuenientia inter fidem & Fundamentum, quod vtrumque esse possit sine ædificio, quod superstruitur: non vicissim, hoc sine illis. 278.

SERMO. III. Fides Informis, & Formata, vtra sit Fundamentum Ædificij Spiritualis. 278.

ART. I. Fides An & Quando fiat formata, vel sit informis? 278.

2. Fides Informis vtrum sit Fundamentum. 279.

3. Fides informis non est Fundamentum per se sufficens vel Ædificij spiritualis, vel salutis. 281.

4. Fides informis est aliqua tenus

tenus Fundamentum Ædificij Spiritualis Virtutum. 282.

5. Fides formata simpliciter quoad omnia & actu est Fundamentum Ædificij spiritualis. 284.

6. Fides informis An & Quomodo sit Fundamentum potentiâ. 286.

SERMO. IV. Impensæ, siue Sumptus ad locandum Fundamentũ Fidei necessarii. 288.

Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO *est.* 2. Corinth. 35. 288.

ART. I. Fides Christiana vt Fundamentum, cuius-nam impensis ponatur in Anima, pro ædificio Spirituali 288.

2. Fides Christiana Donum est DEI gratuitum, & eiusdem Opus 289.

3. Impensæ humanæ & cooperatio Hominus cooperantis, seu Ædificatoris, post positionem Fundamenti factã impẽsis supremi Principis. 295.

SERMO. V. Fides Christiana quà Fundamentũ, quomodo sit formanda, vt sit planè immobilis. 299.

Fodit in altum, & posuit Fundamentum super Petram. Lucæ. VI. 48.

ART. I. Tres lapidum Ordines ad firmandũ Fidei Fundamentum necessarij. 299.

2. Hostibus resistendum extremò conatu, vt Fundamentum, quod est Fides non quassent, euertant, euellantque 302.

SERMO VI. Consectaria Doctrinæ de Fide, quatenus est Fundamentum Ædificij spiritualis. 305.

ART. I. Carentes Fide Christianâ Diuinâ, carent Ædificij spiritualis Virtutum Diuinarum in Anima suâ Fundamento. 305.

2. Vnum Fundamentum. Vna Fides. 306.

Fundamentum collocandũ in Solido. 307.

4. Fundamentum in solido locatum roboratur, aquâ, vento, tempestatibus. 307.

5. Fundamentum Immutabile. Immobile. incorruptibile. 308.

HVMILITAS FVNDAMENTVM Domus Sapientiæ. seu, Ædificij Spiritualis.

Qui se humiliat, exaltabitur. Lucæ XIV. 11.

Super Maria fundauit eam. Psal. XXIII. 2.

SERMO VII. Humilitas, An & Quomodo, secundum Regulas Architectonicas censeri possit Fundamentum Ædificij Spiritualis. 301

ART. 1. pro humilitate tanquã ædificij Spiritualis fundamento Doctorũ Ecclesiæ Authoritas. 2. Humilitas Fundamentum, indirectè, per accidens, dispositiuè. 314

3. Artifi-

3. Artificium Architectonicum ad iaciendum Fundamentum, firmandūque in aquâ. 316
4. Humilitas imum aperit. Et ad recipiendum Fundamentum aptat solum. 318
5. Humilitas quomodo indicare possit humilem, vt sine falsitate, quamuis sit summus, se omnibus inferiorem æstimet dicat, profiteatur. 313
SERMO. VIII. Humilitas Quomodo in imo fundum solidet ad suscipiendum retinendumque Fundamentum Fidei. *Super Maria fundauit eam*, Psal. XXIII. 2. 315
ART. I. Ædificium Spirituale exstruitur in aquâ.
2. Humilitas, tanquam puluis & Cinis densat. solidatque fundum animæ in Aquis ad suscipiendum Fundamentū Fidei 318
3. Humilitas Animæ solum, velut paludosam tellurem, siccat haud secus, ac Puluis & Cinis terram aquosam, 322.
SERMO IX. Humilitas complanat Animæ fundum, vt in eo ædificari possit. 343
Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas. Luca III. 4. 5. 343.
ART. I. Complanatio Soli necessaria est ad Fundamentum constituendum. 344
2. Humilitas tollit tumores fundi impedientes exstructionem Ædificij. 345
3. Humilitas implet valles. obstruit foramina. Coæquat voragines. 346
SERMO X. Proportio Humilitatis, quà Fundamenti, cum altitudine Domus Sapientiæ. 351.
ART. I. S-S. Trinitatis Mysterium, quia altissimum requirit profundissimam Humilitatem in Discente, Credente, Honorante. 351
2. SS. Eucharistiæ Fides postulat solidam Humilitatem in Christiano acceptante, conseruante, demonstrante, vrente. 356
3. Architectonicum Axioma de proportione profunditatis Fundamenti, cum altitudine Ædificij demonstratur Exemplis 358
4. Christi Saluatoris profunditas Humilitatis 360
5. MARIÆ Deiparæ. Apostolum. S. Francisci Assisiatis Profunditas Humilitatis. 163
6. Profunditas Humilitatis Doctorum Ecclesiæ: Aurelij Augustini, Thomæ Aquinatis, Francisci Suarez. Gabrielis Vasquez & similium. 365
7. Præfundamentum Humilitatis substernendum, Cognitio sui 369
8. Actus Humilitatis Lapides fundamentales 371
9. Partes Fundamenti, quod

est Humilitas. 372

TIMOR DOMINI FVNDAMENTVM Domus Sapientiæ. seu Ædificij Spiritualis.

Timor Domini principium Sapientiæ. Prouer.. 1.7.

Principium Sapientiæ Timor Domini. Prouer. IX. 1.

Initium Sapientiæ Timor Domini. Eccl. 1. 16.

Proloquium. 373

SERMO XI. Timor Domini. Quà Domus Tectum. Quà Fundamentum 376

ART. 1. Timoris Domini cum Tecto Domus analogia. 376

2. Timor Domini Fundamentum Ædificij spiritualis. 380

3. Similitudines variæ, quibus persuadetur: Timorem Domini Fundamentum esse Domus Sapientiæ. Et posse dici primam virtutum. 381

SERMO XII. Timoris species. Præambulum. 384

ART. 1. Timor naturalis. 384.

2. Timor Mundanus. 385

3. Timor Seruilis. Filialis. Initialis, 399.

Quis-nam ex ijs sit Fundamentum Domus Sapientiæ.

SERMO XIII. Timor Domini Quomodo secundum Architectonicæ regulas, esse vel dici possit Fundamentum Ædificij Spritualis. 393

ART. 1. Substructiones in solo paluſtri per Carbones, & lanæ vellera. 393

2. Anima humana, Humus est Paludosa. Carbo Timoris Domini Symbolum 394

3. Carbones Iudicis seueri lanæ Vellera Patris benigni sunt Symbola. 401

4. Christus IESVS, tanquam Lanæ vellus, Ædificio Spirituali Virtutum supponendus. 402

5 Artificium Architectonicum collocandi Fundamentum, adactis in imo palis 403

6. Timor Domini comparatur cum palis oleagineis, alneis robusteis. 404

7. Timor Domini salutaris, Olea. Alnus. Robur. 408

SERMO XIV. Fundamenta Domus Sapientiæ. seu Ædificij spiritualis. Verbum DEI Bonum Exemplum. Catechismus Concio. Exhortatio. 410

Præfatiuncula.

ART. 1. Verbum DEI Fundamentum Ædificij Spiritualis. 411

2. Bonum Exemplum Fundamentum Domus Sapientiæ 411

3. Catechesis. Concio. Exhortatio Fundamentum Ædificij spiritualis. 410

SERMO XV. Timor Domini seruilis, qua Fundamentum, duo extrema vitet 142

ART. 1. CHRISTVS & DEI-

PARA non habuerunt Timorem Seruilem. 421
2. Timor Domini Seruilis hominibus ceteris plurimum conducit ad inchoandam Ædificationem Domus spiritualis: 422

PARS III. Architecturæ Christianæ 423
Proloquium.
OPVSCVLVM V. Columnæ Domus Sapientiæ, seu Ædificii spiritualis. 426
SERMO I. Prima Columnatio Domus Sapientiæ.
ART. I. Finitus-ne, an infinitus, indefinitus-ue sit in Domo Sapientiæ Columnarum numerus 426
2. Columna Virtus. Quæ spectanda sint in Colũna quælibet; & quænam In virtute vt symbolicè Colũna dicatur?
3. Columnarum ternio. In prima serie Columnarũ Domus sapientiæ sunt Columnæ tres. Quarum symbola Nubes. Fumus. Ignis: Fides. Spes Caritas. Tres virtutes Theologicæ 430
4. Fides Columna Nubis. 431
5. Spes Columna Fumi. 437
6. Basis Columnæ Spei. Promissio DEI 439
7. Columna Ignis. 439
8. Columna Ignis & Nubis: Caritatis & Fidei, An & Quomodo distinguantur. 443
9. Basis Columnæ Caritatis Bonitas DEI 444
SERMO II. Secunda Columnatio Domus Sapientiæ.
ART. I. Columnæ Iachin & Booz 445
2. Fortitudo & constantia. 446
3. Sapientia & prudentia. 450
4. Columnæ æreæ, Fortitudo & constautia.
Finxit Salomon duas Columnas æreas: nomen vnis Iachin, *alteri* Booz, lib. 8. Reg. VII. 15. 452
5. Columnæ marmoreæ Fortitudo & Constantia. 456
6. Columnæ marmorearum situs. Æqualitas. Altitudo. Crassities. Circumferẽtia. Cauitas. Capitella Ornamenta, ad Tropologiam accommodata sigillatim. 458
7. Columnæ Rotundæ, Fortitudo & Perseuerantia, 464
8. Columnæ striatæ Fortitudo & Perseuerantia.
9. Columnæ Fusiles, Fortitudo & Perseuerantia. 470
SERMO III. Bases Columnarum Fortitutidinis & Constantiæ. 472
Exordium. *Crura illius Columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super Bases aureas.* Cant. v. 15. 472
ART. I. Basis Fortitudinis & Constantiæ DEVS. 473
2. Basis Fortitudinis & Constantiæ PROVISIO. 474
3. Basis Fortitudinis & Con-

stantiæ Timor Domini 475
4. Baſes IV. Fortitudinis & Conſtantiæ. 477
SERMO IV. Comparatio Columnarum Domus Sapientiæ, cum celeberrimis totius Orbis terrarum Columnis. 479
Præfatiuncula.
ART. I. Columnæ Herculis. 480
2. Columna Milliarium aureum. 482
3. Columnæ Stylitarum. 483
4. Columnæ Hiſtoricæ. 485
5. Trajani Coclis. Duilli roſtrata. 487
6. Colũnæ Sepulcrales. 489
Appendix. Deſignatio variarum Columnarum ad Domum Sapientiæ ſpectantium. 489

PARS IV. Architecturę Chriſtianæ. 492
Præfatiuncula. 492
OPVSCVLVM VI. Muri. Parietes. Tectum Domus Sapientiæ, ſeu Ædificii ſpiritualis. 493
SERMO I. Paries Domus Sapientiæ Spes. 493
ART. I. Analogia I. inter Spem & Parietem. 494
2. Analogia II. inter Spem & Parietem. 496
3. Analogia III. inter Spem & Parietem. 497
SERMO II. Materia Parietis, qui eſt Spes. 500
ART. I. Parietes varii generis diverſitate à materiâ deſumptâ. 501
2. Paries Spes quomodo exſurgat & firmetur. 502
3. Miſericordia Dei quomodo ſe habeat ad Spem, qua Parietem. 505
4. Merita Chriſti ſunt lapides Parietis-Spei. 506
5. Opera bona, ſeu Merita Fidelium proborum ſunt veluti lateres ad Spem quà Parietem. 508
6. Analogia Operum bonorum cum lateribus. 510
7. Similitudo Laterum quibus Operum bonorum generibus potiſſimùm conveniat. 512
8. Lateres Patientiæ quonam Igne coquantur? 513
9. Lateres Symbolici, Humilitas. Firmitas. Veritas. 516
10. Spes Murus Æreus, &c. Bona Conſcientia. Æs ſolidum, durum, incorruptibile. 517
11. Muri ex Sale. Quomodo materia ſimilis ad Parietem-Spei adſciſcatur. 518
11. Muri ex Glacie à quibuſnam conſtruantur. 521
13. Paries-Spei aliquis ex luto à quibus conſtruatur. 521
14. Ex Pennis, Plumiſque ut Pygmæi Parietem-Spei erigunt Præſumptuoſi. 523
15. Ex Ovorum Puraminibus Spei-Parietem exſtruunt Hypocritæ, Simulatores, Do-

losi. 524
16. Paries Cratitius Spei quomodo conficiatur ex Arundinibus à Mundanis. 525
17. Spes in Homine, aut in Creaturâ An, Quando, Quomodo licita? 527
Sermo III. Mensuræ Parietis Spei. 530
Art. I. Altitudo Parietis-Spei. 530
2. Longitudo Parietis-Spei. 532
3. Latitudo Parietis-Spei. 534
4. Rectitudo Parietis-Spei. 535
5 Firmitas Parietis-Spei. 536
6. Nexus Æris, lapidum, laterum Parietis-Spei. 537
Sermo IV. Incrustatio Parietis-Spei. 539
Art. I. Tectorum Parietis-Spei Timor Domini. 539
2. Crusta Parietis-Spei longanimitas. 540
3. Velum Parietis-Spei Humilitas. 541
4. Securitas à Muro Spei 543
5. Anacephalæosis Architecturam Parietis-Spei ob oculos ponens. 544
Sermo V. Tectum Domus Sapientiæ. 545
Art. I. Tectum Domus Sapientiæ Caritas. 545
2. Tectum Domus Sapientiæ Perfectio Christiana. 547

Pars V, Architecturæ Christianæ. 552
Prælogium designans utilitates hujus tractatus. 552
Opusculum VII. Instrumenta Architectonicæ Christianæ, seu supellex Architecti Christiani. 554
Sermo I. Regula Architecti Christiani.
Art. I. Nexus cum præcedentibus. Ingressus in subsequentia. 554
2. Quod-nam inter Architectonica sit Instrumentum, quod vocetur *Regula*. Et, sit idem, quod *Perpendiculum. Norma. Libella. Amussis. Linea. Funiculus lineus.* 555
3. Regula est Lex, in Architectura sacra Tropologica 558
4. Regula ut Lex Recta sit oportet. 560
5. Regula Architectonica Rectum & Distortum ostendit: haud secus Lex Bonum & Malum demonstrat. 564
6. Per Regulam Architectonicam corriguntur distorta: Per legem emendantur vitiata. 566
Sermo II. Christus Salvator semper & utique moraliter benè ædificant secundum Regulam: signatè in Nuptiis. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater* Jesu *ibi. Vocatus est autem &* Jesus, *& Discipuli ejus ad nuptias* Joannis 2.

SERMO III. Perpendiculum Architecti Christiani, Exemplum Christi. 572

ART. 1. Rectitudo Virtutum verarum. 573

2. Pravitas virtutum falsarum. 576

3. Exemplo Christi, tanquam Perpendiculo examinatur, & emendatur pravitas Virtutum falsarum. 575

4. Exemplum Christi quomodo applicandum sit, tanquam Perpendiculum ab Architecto Christiano. 581

SERMO IV. Nomina Architecti Christiani Exemplum Sanctorum. 582

ART. 1. Probatur ejus usus ex Sacra Scriptura. 583

2. Exemplo Majorum benè credentium & operantium deprehenditur obliquitas Fabricæ spiritualis. 585

SERMO V. Libella & Amussis Architecti Christiani, Prudentia & Discreto. 587

ART. 1. Ex doctrinâ Patrum. 587

2. Exemplo Christi idem adstruitur, & stabilitur. 590

SERMO VI. Calamus Architecti Christiani, Modus & Mediocritas. 590

ART. 1. Quid sit Calamus Architectonicus. Et quod ejus munus ad Fabricam. 590

2. Modus & Mediocritas, Quomodò, tanquam Calamus Architecto sacro sit usui. 591

3. Calamus, τὸ πρέπον Decorum 595

SERMO VII. Ciconia Architecti Christiani, Intentio bona. 598

ART. 1. Quale Instrumentum sit Ciconia Architectonica. 598

2. Intentio bona comparatur Ciconiæ Architectonicæ. 600.

SERMO VIII. Tympanum Architecti Christiani. 601

ART. 1. Tympani figura & usus. 601

2. Oratio cum Tympano confertur. 601

SERMO IX. Trochlea Architecti Christiani. 604

AR. 1. Instrumenti delineatio. 604

2. Trochlea-Compunctio. 605

3. Trochlea-Caritas. 605

SERMO X. Claui Architecti Christiani 607

AR. 1. Tempus ædificandi peculiare in Ecclesia Christi est à Dominica Septuagesimæ ad Dominicam Paschatis protensum. 607

2. Clauis Timor Domini. 609

3. Clauus, Amor Diuinus. Caritas. Fides-Spes, continentia. Virtus quælibet 711

4. Claui, Bona Proposita, Desideria vota. 715

5. Clauus, Recordatio Clauorum, quibus Christus Cruci af-

ci affixus. Crux Christi Meditatio Passionis: & signatè Crucifixionis Dominicæ 717

SERMO XI. Malleus Architecti Christiani

ART. 1. Exercitium Virtutum 721

2. Vsus Mallei Architectonici 725

Exercete ipsum ad Pietatem. 1. ad Timoth IV. 7.

3. Mallei, quorum non est vllus vsus, dum ædificatur Domus Sapientiæ Virtutum fabrica. Pietatis Ædes.

Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur. Lib. II. Reg. VI. 7. 728

SERMO XII Glutinum Architecti Christiani 732

ART. 1. Ingressus in rem.

Mnemosynon Magistri valedicentis 733

2. DEVS. Vnus. Verus. Bonus. 735

3. Mundus-Mare aquis fallacibus & salsis plenum 739

4. Mundus-Mare turbidum tumultuosum, infidum, naufragum 742

5. DEVS RVPES. 743

6. DEO Sapientis conglutinanda est ANIMA 745

7. Glutinum Caritatis præfertur Clauis Timoris, & Funibus Retributionis 746

SERMO XIII. Vectis Architecti Christiani. Verbum DEI. 756

ART. 1. Quale Instrumentum in Architecturâ sit Vectis. 756

2. Vectis Architectonicus mouet, eleuat, transfert pondus quodlibet. 758

3. DEVS Architectus in architectanda Mundi machinâ concipitur adhibuisse Vectem-Verbum-suum. 759

Ipse dixit, & facta sunt. Psal. XXXII. 9.

4. Verbo DEI, tanquàm Vecte, Architectonico, transfertur Mons. 760

5 Verbo DEI, velut Vecte, Peccatum & Peccator, pondera grauissima facillimè transferuntur. 761

6. Verbo DEI, ceu Vectè, fit Hominis Mundani translatio. 762

SERMO XIV. Vectes Architecti Cacodæmonis: 765

Consuetudo popularis, praua illegitima celebrandi, inremperanter Bacchanalia: Comedendi carnes in Quadragesimâ: violandi ieiunium 765

ART. 1. Architectus Christo oppositus Cacodæmon, & eius Assedæ, Qui Bacchanalia viuunt 766

2. Vectis Rostratus-Consuetudo praua inducens & roborans vsum inebriandi. 768

3. Vectis Ferratus-Consuetudo popularis violandi Ieiunium Quadragesimale Ecclesiast-

fasticum. 770
SERMO XV. Vectis Christi, Vsus legitimus Verbi DEI. Vectis Diaboli. Abusus Verbi DEI. 774
ART. 1. Serpens-Vectis congreditur cum Christo pro Victoriâ 775
Scriptum est, quia Angelis suis mandauit de Te. Matthæi IV. 6.
Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum DEVM *tuum.* Matthæi IV. 7.
2. Vectiarii Diaboli contra Christum astuta machinatio. 776
3. Abusus Verbi DEI. 1. Primi Ordinis II. Secundi Ordinis. 781
4. Exempla Abusus Verbi DEI hæreticorum nostri æui 783
SERMO XVI. Trulla ARCHITECTI Christiani. 786
ART. 1. Trulla Protectio Diuina. 787
2. Trulla-Sacramentum legis Nouæ. 799

EACVLTAS

R: P.

PROVINCIALIS

ad Rhenum inferiorem

SOCIETATIS JESU.

EGO JOANNES PANHAUSS Societatis Jesu, per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Admod. R. P. FRANCISCO PICCOLOMINEO Societatis Jesu Præposito Generali facultatem concedo, ut ARCHITECTURA CHRISTIANA, à P. MAXIMILIANO SANDÆO, ejusdem Societatis Doctore Theologo conscripta, atque à Deputatis ad id Theologis recognita, prælo subjiciatur ac publici juris fiat. In cujus fidem has litreras manu propriâ, consuetoque officii sigillo munitas dedi. Coloniæ, Anno Christi. 1650,

JOANNES PANHAUSS.

INDEX
LIBRORVM.
R. P.
MAXIMILIANI SANDÆI
E Societ. JESU Doct. Theol.
TOMIS
Secundum materiæ diversitatem
DISTINCTORUM.

TOMUS I.
In quo Parænetica,
Ad virtutum Christianarum cultum auditoris lectorisq; animum exstimulantia.

IVRIDICA.

LIBRI VI. *Theologia Iuridica. In quibus materia omnis de Contractibus humanis, ex Iure, tum Pontificio, tum Cæsareo Evangeliis Dominicalibus accommodatur. Et ex iis similis Obligatio inter Deum & Hominem, ad Virtutem colendam stabilitur. Titulo* Juris-Consultus Christianus: Theologia Juridica.

in qua

LIBER I. *est, De Obligatione Hominis erga Deum, ex Contractu Conducti & Locati. Seu, ex Titulis, ac Iure* Dei, *Locatoris, & Conductoris.*

LIBER II. *Ex Contractu Negotiationis, Pastoritio, Societatis, Advocationis, Promissionis, Donationis. Seu, ex Titulis, & Iure Christi, Negociatoris, Pastoris, Socii, Advocati, Promissoris, Donatoris.*

LIBER III. *Ex Contractibus innominatis, 1. Do, ut des. 2. Facio, ut facias. 3. Do, ut facias, 4. Facio, ut des.*

LIBER IV. *Ex Contractibus, Mandati, Mutui, Vsurarum, Empti Venditi. Seu, ex Titulis, & Iure Dei, Mandatoris, Mandatarii, Mutuatoris, Trapezitæ, Creditoris, Debitoris.*

LIBER V. *Ex Contractibus, Depositi Fideiussionis, Assecurationis Stipulationis, Commodati, Pignoris. Seu, ex Titulis, & Iure Dei, Depositoris, Depositarii, Fideiussoris, Stipulatoru, Assecuratoris, Commodatoru, Commodatarii, Oppignoratoris.*

LIBER VI. *Ex Contractu Sponsalium, & Matrimonii. Seu, ex Titulis & Iure Christi, Sponsi & Mariti; Matrimonio, post Sponsalia inito, tum inter Verbum & Humanitatem; tum inter Christum & Animam.*

MEDICA.

LIBRI III. *Theologia Medica. In quibus Principis, quà Ecclesiastici, quà Politici Officia, Exemplo Medici declarantur. Et de Morbis à Christo humani generis Archiatro sanatis, eorúmq; remediis ad mores accommodatè disseritur. Titulo,* Medicus Christianus: Theologia Medica. *In qua*

LIBER I. *est de Medicis Spiritualibus. Exhibens Verbi divini vim Medicam, & Medicos Spirituales Animarum. Qualis imprimis, DEVS, universalis. Atropœus: Morborum omnium Averruncator, Curatorq;. Tum* CHRISTUS *verus Archiatrus. Deinde, Prophetæ, Apostoli, eorumq; Successores: Pontifices, Hierarchæ, Episcopi, Antistites, Presbyteri, Sacerdotes, Parochi Denique generatim, Principes, tum Ecclesiastici, tum Politici* Reipublicæ *Moderatores.*

LIBER II. *De morbis spiritualibus, complectens, post Dissertationem de Sanitate & Integritate animæ, ac utriusque bono, ea potissimùm Morborum Spiritualium genera, quæ corporalium typis in Evangeliis recensentur, & per anni decursum diebus Dominicis in Ecclesia à Concionatoribus explicari consueverunt; ac quibus Christus Medicam manum adhibuit.*

LIBER III. *De medicina Spirituali. In quo Virtutum variarum, Sacramentorumq; vis Medica declaratur. Deinde, Aphorismi ad sanitatem Spiritualem pertinentes exponuntur. Denique aperitur Hygiasticon animæ, præceptis ad Sanitatem curandam & tuendam utilissimis refertum.*

GRAMMATICA.

Commentationes Paranetica de Litterato Christiano: inscripta, Pædia *Academici Christiani:* Palæstra *Pietatis erudita:* Grammaticus Christianus: *eò, quod materia desumatur ex argumento Grammatico, Poëtico, Rhetorico, ad mores accommodato: & eruditur Adolescens Academicus ab Alphabeto ad Rhetoricam inclusivè.*

MI-

MECHANICA.

Artifex Evangelicus. In quo, ordine Alphabetico, describitur Artifex quilibet, ejusq; Ars & Instrumenta. Tum deducitur metaphora, & formatur Symbolum cum suâ inscriptione, ex materiâ subjecta, plerumq; morale, juxta Sacram scripturam ingenio Auctorum sacrorum & profanorum. Ad usum Concionatorum, & Professorum Literaturæ politioris ac sacræ. In eodem est Sylva similitudinum; ac Symbolorum, & omnium penè Artium officinis desumptorum.

Jubilum Societatis JESU *Seculare ob Artifices Evangelicos, à Fundatore Ignatio, ejusq; Socijs Ecclesiæ Catholicæ, ad animarum subsidium aptatos, & submissos.*

MISCELLANEA.

Opusculum de Vita, ejusq; brevitate. In quo Symbola vitæ Humanæ CXXVII. *Notis Theologicis explicantur.*

Libri III. *De Morte, in quibus Symbola Mortis CXLV. Commentationibus Theologicis, Paræneticis, & ad mores accommodatis illustrantur. Ad Clerum Moguntinensem. Titulo,* Plato Christianus.

Admiranda Purgatorii, Sermonibus Sacris, ad Iustitiam, & Misericordiam Divinam mortalibus inculcandam idoneis declarata. Libellus Supplex Animarũ è Purgatorio, ad Fideles, per Orbem Christianum, in vita mortali degentes.

Libellus de Donario Cordis, *Episcopi Herbipolensis, Franciæ Orientalis Ducis. In quo de Qualitatibus Cordis boni, quas habere debet vir secundum Cor* Dei, *disseritur.*

Libellus de Iubilæo Clericali Canonicorum in Germania usitato hortatorius ad vitam statui convenientem instituendam, & constanter producendam.

Libellus de Constantia Colonienſi in asserendâ Religione Catholica à S. Materno, ad præsentem diem. Titulo, Elogium Constantiæ Colonienſis; ad commendationem Majorum, & imitationem posterorum.

Mundus Fallax. *Liber X. Commentationum, quibus cum Paræneſi ad Mundi fugam, multiplex mundi Fallacia detegitur. 1. In facata rerum mundanarum specie. Et describitur* Mundus Personatus. *2. In consideratione deceptoria creaturarum. 3. In Titulis honorariis personarum. 4. In æstimatione virium humanarum. 5. In ponderatione gravitatis peccati. 6. in Legum divinarum & humanarum perversa allegatione. 7. In Iuris divini & humani detorta inter-*

pretatione. 8. in abusu restrictionum mentalium, seu in Æq vocationibus. 9. In dijudicatione Honorum, Dignitatum, ac felicit humanæ. 10. In falsa persuasione longitudinu vitæ præsentis.
LIBR. I III. *Epistolarum, in quibus multiplex Paranesis. I. Ad Imp rem, & Principes, quà Ecclesiasticos, quà Politicos. II. Ad* MARIAM *Virginem* DEIPARAM, *& Sodales ejus Parthenios. III. Ad Diversi. Volumen Epistolarum ad Varios.*

TOMVS II.
In quo Ascetica.
de
IESU CHRISTO CRUCIFIXO
&
PASSIONE DOMINI
Per Centurias & Decades.

I. ARS *Amandi, Colendi, & Imitandi multifariam multiq; modè* CHRISTUM CRUCIFIXUM.
Centuria I. *Affectuum piorum; & Operum, quibus fideles Christiani Crucifixum, ejusq; Passionem, Crucem, Vulnera honorarunt. Seu Modi centum, & Praxes piè recolendi Passionem Dominicam,*
II. SCHOLA *Affectuum ac Operum piorum peculiariter Amantium Colentium, Imitantium Christum Crucifixum.*
Centuria II.
III. GYMNASIUM *Amantium, Colentium, Imitantium peculiariter Christum Crucifixum.*
Centuria III,
IV. EXERCITIUM *Amandi, Colendi, Imitandi peculiariter Christum Crucifixum. Exemplis è Religione S. Francisci adductis. Seu* REGIO S. FRANCISCI *Amatrix, Cultrix, Imitatrix Christi Crucifixi,*
Centuria IV.
V. OCCUPATIO *Amatoris, Cultoris, Iimitatoris Christi Crucifixi, Exemplis è Societate* IESU *petitis comprobata. Seu* SOCIETAS JESU *Amatrix, Cultrix, Imitatrix Christi Crucifixi,*
Centuria V,
VI. PALÆSTRA *Amantium, Colentium, Imitantium peculiariter Christum Crucifixum.*
Centuria VI.

VII.

VII. ASCETERIUM *Amantium, Colentium, Imitantium peculiariter Christum Crucifixum.*
Centuria VIII.

VIII. PARADISUS *Amantium, Celentium, Imitantium peculiariter Christum Crucifixum,*
Centuria VIII.

IX. THEATRUM *Amantium, Colentium, Imitantium peculiariter Christum Crucifixum,*
Centuria IX.

X. STOA, *sive* PORTICUS *Amantium, Colentium, Imitantium peculiariter Christum Crucifixum.*
Centuria X.

SODALITAS NOVA *Amatorum, Cultorum, Imitatorum Christi Crucifixi.*

CORONA NOVA *Amatorum, Cultorum, Imitatorum Christi Crucifixi.*

HOROLOGIUM *triplex amatorum, Cultorum, Imitatorum Christi Crucifixi.*
1. *Evangelicum, trium horarum.*
2. *Artificiale, horarum duodecim.*
3. *Naturale, horarum viginti quatuor.*

TOMUS III.

In quo Encomiastica MARIANA.

Per Orationes, Sermones, Dissertationes,
HOMILIAS.

I. PARÆNESIS *ad Cultum* B. V. MARIÆ DEIPARÆ *Oratio Singularis.*

II. MARIA PATRONA. *Orationes VI. ad Sodales Marianos, in Festivitatibus Deiparæ habita, de Patrocinio* MARIANO *in omni genere. In quibus disseritur de B. V. M. quatenus est* Salus Infirmorum: Idea Perfectionis: Vellus Gedeonis: Patrona Viatorum: Patrona Indigentium: Testatrix *liberalissima, condens Testamentum omnibus proficuum.* Advocata *universalis.*

III. MARIA MUNDUS MYSTICUS. *Sermones VII. ad Sodales Parthenios in Festivitatibus Deiparæ habiti, desumpta materia à Mundo,*

do eiusq; partibus, variè D. Virginem repræsentantibus. In Con-tione, Abyssus. In Annunciatione, Cælum. In Visitatione Ignis. In-sumptione, Aër. In Nativitate, Aqua. In Visitatione novo schen-te, Terra. In Purificatione, nomine & re Mundus.

IV. MARIA PACIFICATRIX MUNDI. *ad Cardinalem Martium Ginettum, Vrbani VIII. & Sedis Apostolicæ Legatum in Germani-am, ad Reges dissidentes, Pacificatoriæ Legationis Principem.*

V. MARIA SOL-MYSTICUS *Orationes VI. Ad Sodales in Festivita-tibus Deiparæ habitæ, desumpta materia à Sole, qui varius B. Vir-ginem, secundum diversos aspectus, & Mysteria repræsentat. Nempe, Sol Oriens, in Conceptione. Obscuratus, in Purificatione, Fœcun-dans, in Annunciatione. Gyrans, in Visitatione. Meridianus, in Assumptione. Exhilarans, in Nativitate.*

VI. MARIA LUNA-MYSTICA. *Orationes VI. Ad Sodales in Festi-tatibus Deiparæ habitæ, desumpta materia à Luna, que varius Virginem, secundum diversos aspectus, & Mysteria repræsentat. Nimirum, Luna-Nova, in Conceptione. Eclipsata, in Purificatione. Perfecta & Plena, in Annunciatione. Festinans, Modulans, in Vi-sitatione. Dominatrix in Assumptone. Bellatrix, in Nativitate.*

VII. MARIA AVIS-MYSTICA. *Sive* AVIARIUM MARIANUM. *Orationes VII. Ad Sodales in Festivitatibus Deiparæ habitæ, de-sumpta materia à VI. Auibus Virginis Symbolis. Eam autem ex-hibet, in Conceptione, Phænix. In Natiuitate, Gallina. In Annun-ciatione, Pavo. Idem Paua in Purificationne. In Visitatione, Lus-cinia. In Assumptione Cygnus.*

VIII. MARIA AQUILA-MYSTICA. *Ad* FERDINANDUM II. *Imperatorem, difficillimis Reipublicæ temporibus* AQUILÆ *Bicipitis Moderatorem Sermones* VII. *Ad Sodales in Festivitatibus Dei-ræ habiti, desumpta materia ab* AQUILA. *Quæ repræsentat B. V.* MARIAM, Pugnans & Triumphans, *in Conceptione.* Portans, *in Nativitate.* Provocans, *in Præsentatione.* Imperans *in An-nunciatione.* Festinans, *in Visitatione.* Renovans *in Purificatione.* Volans, *in Assumptione.*

IV. MARIA Flos MYSTICUS. *Orationes ad Sodales in Festivitatibus Deiparæ habitæ desumpta materia à Floribus B. Virginis Symbolis. Qui sunt* Rosa, *in Purificatione.* Lilium, *in Annunciatione.* Vio-la, *in Visitatione.* Heliotropium, *in Assumptione. Hyacinthus, in Nativitate.*

X. MARIA OLEA-MYSTICA. *Signatè, in Annunciatione Sermo sin-gularis.*

XI. MARIA GEMMA-MYSTICA. *Orationes VI. Ad Sodales in Festi-vitati-*

vitatibus Deipara habita, desumpta materia ex Gemmis, B. Virginis Symbolis, Quam representat Iaspis, *in Conceptione.* Margarita, *seu* Unio, *in Nativitate.* Smaragdus *in Annunciatione.* Carbunculus, *in Purificatione.* Achates, *in Visitatione.* Sapphirus, *in Assumptione.*

XII. MARIA MAGNES-MYSTICUS & MAGNETISMUS MARIANUS. *Dissertationes VI. De B. V, M, Quatenus mysticè est* MAGNES. I. Temporum, *in Conceptione. II. Hominum in Praesentatione. III. Vis ejus Magnetica declaratur. IV. Quibus instrumentis Magneticis utatur, ostenditur. V. Est* MAGNES Nauticus, *in Visitatione* VI. MAGNES Nunciator, *in Nativitate.*

XIII. MARIA FORTUNA *Christianorum, & praecipuè, suorum Sodalium ac Clientum, Homilius X. exornata. In quibus repudiata* FORTUNA *Gentilium Profanâ, celebratur Virgo* MARIA, *ut* BONA FORTUNA SACRA, *stabilis, Primigenia, Virginalis, Obsequens, Redux, Respiciens, Adjutrix, Conservatrix, Felix, Manens, Publica, Bellica, Vrbica, Civilis, Fortis, Imperiosa, Omnigena, Ditans, Comes, Mammosa, Communis, Viscosa, Vniversalis.*

XVI. MARIA HOROLOGIUM-MYSTICUM. *Dissertationes IV. Habita in Festivitatibus Virginis Matris. Quae multa habet in diversis Mysteriis, cum Horologio communia. Symbolicè autem est* HOROLOGIUM ABHAZ. I. *In Conceptione Immaculata, cuius explicantur V. Privilegia. II. in Nativitate, cuius X. exponuntur Praerogativae. III. in Morte, cuius declarantur X.* Decora.

XV. Περιφύτιον MARIANUM. *Seu* FLOS *ex Horto Mariano quinque Symbolis, & totidem foliis exornatus Sermonibus quinque: quorum sunt tituli. I,* MARIA *in Nativitate Pacificatrix Munai: quia* Ius *dirimens lites. II.* ALMA MATER *III. In Praesentatione,* SPONSA. *Templum. Thalamus IV. in Annunciatione, Triclinium Accubitus. V. in Annunciatione, Ara. Altare.*

XVI. MARIA STELLA MYSTICA. *Sermones XII. in Festivitatibus B. Virginis habiti. In quibus disseritur. I. De Analogia multiplici inter B. V. & Stellam. II de Hymno Stellari, in quo salutatur,* AVE MARIS STELLA. *III. de Stellae proprietatibus Virgini accommodatis. IV. probatur, Stellam Maris non designare Stellam terrestrem, seu Stellionem. V. non esse Stellam igneam, nec Marinam: non viventem in igne, neque in mari: non Vermem, neque Piscem. VI. disceptatur, An Stella Maris dici possit, esse Venus, Lucifer, Hesperus? VII. An sit Stella Matutina.*

VIII. *An ex Planetis, sit Luna, aut Mercurius? IX. An & quatenus dici possit Cynosura, Gemini, Helice, Phenica, Castor & Pollux? XI*

An & quatenus sit Stella orta ex Iacob, & Magorum Evangelicum Ductrix? Stella dici potest justus quilibet, analogia per XIII. comparationes probata.

XVIII. MANCIPIUM MARIÆ *Creaturarum Domina. Libellus de modo dedicandi se* DEIPARÆ *in Mancipium: Eamq; Mancipij instar colendi.*

XVIII. ORATIO DOMINICA *multiplici mediationum serto coronata. Libellus de Oratione Dominica. à Sodalibus Marianis piè recitanda. Et circa illam, Quomodo multipliciter meditandum, speculandum, contemplandum.*

XIX. SALUTATIO ANGELICA *multiplici precularum, hymnorum, endologiarum Serto coronata. Libellus de Salutatione Angelica fructuosè recitanda Et circa illam, Quomodo multipliciter meditandum, speculandum, contemplandum.*

XX. COROLLA *Sive* ROSARIUM SS. TRINITATIS *Sodalibus Marianis commendata.*

TOMVS IV.

In quo Polemica,

Seu

Controuersiæ fidei.

DEMONSTRATIO *ad Controuersias Hollandicas prodroma. Quod in fide Protestantium Hollandorum, siue Lutheranorum, siue Caluinistarum non sit salus. Dedicata Ordinibus Hollandiæ.*

LIBRI IV. *Controuersiarum Hollandicarum. Titulo,* HYDRUS HOLLANDICUS. *Liber I. de* DEO *uno, & eius Attributis. II. de Trinitate, Christo, eiusq; Mysteriis. III. de Prædestinatione & Reprobatione. IV. de Synodo Hollandica, & Auctoritate Magistratus in rebus Ecclesiasticis.*

Epistola ad Amicum Italum de dissidio Protestantium Hollandicorum in negocio Religionis.

Opusculum Theologicum de Omnipræsentia essentiali Dei, facta ad nostro litigiosa inter Caluinistas Hollandiæ.

Opusculum Theologicum de Libro Vitæ, Mortis, Monumenti: quorum quilibet celebratur in Sacra-Scriptura.

Liber singularis de conuenientia & differentia, quæ est in Doctrina de Prædestinatione Catholicorum, Gomaristarum, Arminianorum, seu Caluinistarum Hollandiæ. Titulo, Anacephalæosis *doctrinæ controuersæ de Prædestinatione.*

Liber Considerationum septemdecim de Synodi Dordrechtanæ in Hol-

lan,

landiæ celebratæ emolumentis, ad tollendas Controuersias.

Castigatio Conscientiæ Iesuiticæ Cauteritatæ circa controuersias fidei confictæ in Hollandia, ex odio IESVITARVM. *Ad Principem Orangiæ Mauritium, Comitem Nassauium.*

Admonitio de Cauteriata IESVITARVM *conscientia, ad Examinatorem Castigationis* SANDÆANÆ, *& Auctorem* VVLPINÆ SANDÆANÆ *Hollandum Caluinistam.*

LIBRI III. *de Hyperbole* IESVITICA *Et Castigatio prodigæ* IESVITARVM *liberalitatis in vocibus vniuersalibus, dum agitur de Articulis Controuersis Religionis, confictæ in Hollandiâ, à Caluinista Batauo.*

Volumen Commentationum Academicarum. In quo, quantum obfuerit sinceritati fidei catholicæ, Litteratorum quorundam superbè sapientium profanitas, ostenditur in omnibus penè Religionis Christianæ Controuersijs. Contra Erasmum Roterodamum, Scaligerum, Drusium Casaubonum, similesque nostri temporis Grammaticos. Titulo, Grammaticus. profanus.

Epistola ad Amicum veterem in Saxonia de fictitijs litteris IESVITÆ COLONIENSIS, *sparsis per Belgium & Germaniam.*

Libellus de Iubileo Lutherano, continens Thema seculare, in quo explicantur Motiua centum, ob quæ deserendam probatur Synagogam malignantium Sectariorum.

TOMVS V.

In quo Didactica.

THEOLOGICA.

LIBRI IV. *Theologiæ variæ, quibus Theologia, tum profana, tum Sacra, Ortus, progressus, Partitio multiplex, notiones, & vtriusq; Arcana, ac Imagines disquiruntur, & repræsentantur. Titulo,* Theologia Varia.

LIBRI VI. *Theologiæ Symbolicæ, in quibus Doctrina de* DEO *Diuinisq; inuoluta Symbolis, deindeq; explicata traditur. Et Symbolica Disciplina, ad Artis methodum quadamtenus reuocatur. Titulo, Theologia Symbolica. In qua Liber I. est, de facta Symbolicis. II. De Parabolica. III. De Ænigmatica. IV. De Emblematica. V De Symbolica Fabulari. VI. De Symbolicæ proprietatibus, cultoribus, Auctoribus.*

LIBRI III. *Theologiæ Mysticæ. In quibus Doctrina de* DEO. *Diuinisq; Contemplatiuorum declaratur, defenditur, & in Artis normam, quantum fieri non potest, redigitur.*

LIBER I. *Tradit Mysticæ etymon, acceptionem, subiectum, partitionem, functiones II. Continet Mysticæ Synonyma, gradus, annexa, effectus. III. Agit de Theologiæ Mysticæ habitu, obiecto, proprietatibus, fructu.*

Clauis Theologiæ Mysticæ, siue Onomasticon vocabulorum, & Eluc
cidarium loquutionum obscurarum, quibus Doctores Mystici, tum v
teres, tum recentiores vtuntur, ad propria sua Disciplinæ sensum pa
manifestum.

IVBILVM *Societatis* JESV *Seculare, ob Theologiam Mysticam à Fun*
datore Ignatio, eiusq; Socijs, Primo condita Religionis seculo excultam,
& illustratam, CONSILIVM *de conscribendo, post Auctores penè innume*
ros, nouo modo Theologiam Scholasticam.

LIBRI. *I V. Prolegomenorum Theologiæ Scholasticæ. Quorum I. est*
de Theologiæ Scholasticæ significatione, acceptione, origine, progressu, vsu,
necessitate. II. De Habitu Scholastico. III. De Obiecto, ac Dignitate
eiusdem. IV. De Principijs, & subiecto inhæsionis.

LIBRI.

Subsequentibus annis typis editi.

ASTROLOGIA MARIANA *seu* MARIA-STELLA-MARIS *ad E*
clesiasticos. Quorum vita secundum illos esset conformanda & dirig
da.

MARIA MONS *Mysticus. seu virtutes & Decora B.* MARIÆ *V.*
Montium, per totum orbem extantium imaginibus illustrata ad fo
uendam deuotionem Sodalium Marianorum.

ECCLESIA MILITANS *Militia Christiana Theologica Militari*
Ecclesiastes Bellicus, Militaris, Castrensis. Siue Conciones Militum.
Tomis IV. dispertita, quibus explicatur Militia Christiana Spiritualis
Mystica Moralis. seu, Theologia Militaris per analogias ad Militiam
Hebraicam, Græcam, Romanam, Antiquam, & Modernam.

SYNOPSIS *Operis totius, & Delineatio singularum Partium.*

TOMVS I. ECCLESIA MILITANS.

De quâ disseritur, I. quomodo Ecclesia Christi Regis Pacifica con
ueniat denominatio. II. de illius ortu Progressu, fine. III. De Eccle
sia Imperatore, Archistrago, Signifero IV. De Magistratu Militari
Subordinato. V De Militia duplici: Bona & Mala. VI. De Vita hu
manâ, quà Militia VII. De Militia Christiani Indole, Dotibus, virtu
tibus. VIII. de Comeatu Castrensi, quatenus continetur in Eucha
stia. IX. Dantur & declarantur Documenta militaria pro Milite Chri
stiano.

SERIES *librorum Tomi I. eorumque Numerus. Inscriptio Epitom.*

I. De DEO & CHRISTO *Armato Militariter: eiusque Panopli,*
quatenus est Dominus Exercitium DEVS *Sabaoth. Iudex Viuorum*
ac mortuorum.

II. CHR

II. CHRISTVS *Saluator, Ecclesiæ Militantis, & Militiæ Christianæ in primo suo Aduentu, Auctor, & Imperator.*

III. *Magistratus Militaru in Ecclesia Militante, pro Militia Christiana.*

IV. *Commeatus in Ecclesia Militante pro Militibus Christianis.*

V. *Documēta Militiæ Christianæ, in Ecclesia Militante promulgata.*

TOMVS II.

ARS MILITARIS ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quo tractatur Theologicè, Ethice, Politice, de conscribendo Milite, & exercitu constituēdo in Ecclesia Militante. Item de Exercitio Militum Christianorum multiplici, per comparationem ad Militiam Hebraicam, Græcam, Romanam: Veterem & Recentem.

ELENCHVS *librorum Tomi II. eorumque Numerus. Tituli. Summaria.*

I. *Delectus Militaris in Militia Christianâ.*

II. *Auxilia Sociorum Ecclesiæ Militantis, in quo numerantur & describuntur diuersi Exercitus Auxiliaris Militiæ Christianæ Primus Angelorum Secundus Hominum in cælis viuentium. Tertius Mortalium Deo Sacratorum Deindè supplementa Militiæ Christianæ: seu, cohortes subsidiariæ, ex Creaturarum Vniuersitate.*

III. *Tyrocinium Militare in Ecclesia Militante, continens exercitia Militaria: à Militia vulgari profanaque translata ad sacram seu Christianam.*

IV. *Armamentarium. Panoplia. Officina Armorum in Ecclesia Militante pro Militia Christiana. Quæ cum reperiantur in Passione Saluatoris: PASSIO CHRISTI tota Militariter, idoneis Meditationibus consideratur, atque exponitur.*

V. *Monomachia, seu, Duellum Christi Patientis & pugnantis. MORS & Vita Duello conflixere mirando.*

VI. *Militia Christiana Duellatrix. Ars & Exercitium Duellandi Ecclesiæ Militantis. Monomachia multiplex in Ecclesia Militante laudabilis & vsurpata, ac vsurpanda frequenter.*

TOMVS III.

SCHOLA CASTRENSIS ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quo docetur Theologicè, Ethicè, Politicè, Varias esse species in Militia Christiana Et quomodo in ea Militia Equestris Pedestris, Naualis instituenda sit.

I. *Militia Christiana Equestris Christus Imperator, Eques instructus Arcu, & Sagitta Milites Christiani Equites.* II. *Equita-*

II. Equitatus Angelicus, Eius Multitudo, Pompa, Magnificentia, Potentia

III. Equitatus Humanus. De Hominibus in Ecclesia Militante Equitatum Humanum Domini Exercituum & Christi Imperatoris constituentibus.

IV. Militia Christiana Pedestris Peditatus Militia Christiani, Allegoricus, Symbolicus, Mysticus, Oppositus Peditatui Militia Diabolica,

V. Militia Christiana Naualis. eius antiquitas, Vsus, Necessitas. Classes Christi & Luciferi Oppositæ. Pugna in Mari magno cum Temperata quomodo instituenda.

VI. Naumachia Christiana Ecclesiæ Militantis in quâ past pugnam cum Tempestate describitur multiplex Prælium Nauale cum hostium classibus.

VII. Militia Christiana obsidionalis. Ars obsidendi, & obsidium tollendi Ecclesiæ Militandis, quæ Multa complectitur. Et est magnifacienda à Ducibus Belli: & viris Militia, siue corporea siue Spirituali addictis. Explicatur per Analogiam ad obsidionem Vrbium in Militia profanâ.

VIII. Militia Christiana non minus est Fuga, quàm Consistentia. Ars subducendi se & exercitum: ac fugiendi laudabiliter Ecclesiæ Militantis, Qua, Qualisque in Militia, tum profana, tum Sacra, sit laudanda fuga? Qua, Qualis-ue vituperanda?

TOMVS IV.

CORONIS MILITIÆ CHRISTIANÆ

In quo Repræsentantur Præmia, Decora, Coronæ Militum Christianorum Ecclesiæ Militantis. ORDO *librorum & Argumenta.*

I. Corona Militares Ecclesiæ Militantis. quibus Milites suas coronat: & ijsdem ipsa coronata. triumphabit.

II. Ordines Militares Equitum Ecclesiæ Militantis, quibus ipsa coronata certat fortiter, & constanter, identidem inclamans Militibus suis: Fratres mei charissimi, & desideratissimi Gaudium meum, & Corona mea. Sic state in Domino charissimi. Ad Philippenses cap. IV. I. Nominantur hic & Celebrantur Ordines Militares Equitum sacrorum omnes, per Orbem Christianum sparsi.

III. Theatrum Militum Coronatorum. siue Sanctorum, Beatorum, Piorum Ecclesiæ Militantis. Quorum exhibetur Nomenclator, in quo exprimuntur singillatim, quotquot ab orbe condito Celebres fuerunt Milites, Sancti, Beati, Pij, qui longâ disquistione in libris Sacris, profanisque reperti ad meam notitiam peruenerunt. Hi locum quisque suum obti-

nent

net, non absque commendatione & Elogio.

HISTORIÆ STAVROPHILORUM

VARIÆ *Christum Crucifixum Amantium. Colentium Imitantium: Et Cruce Domini, ad avertendum quodlibet malum; atque ad obtinendum quolibet bonorum pie devoteq; utentium Libri Quinquaginta. In quibus sunt Exempla selecta Pontificum, Imperatorum, S. R. E. Cardinalium, Regum, Principum, Nobilium, & quorumuis fidelium; sed potissimùm Religiosorum quorumcunque, in probatis Ecclesiæ Ordinibus Virorum & fœminarum, ex quorumcumque Canobiorum, Monasteriorum, Collegiorum, Claustrorum, Chronicis, Martyrologiis, Menæis, Monumentis excerpta in suas series iuxta temporum diuersitatem disposita.*

ARCHITECTVRA CHRISTIANA *Spiritualis. Mystica. Moralis. seu Theologia Architectonica in Sacra- Scriptura delitescens.* Scrutamini Scripturas *Ioannis V. 39. Constat Opusculis VII.*

In I. describitur Architectus Christianus, sacer, spiritualis, Mysticus, Tropologicus. In II. Ædificiũ Architecti Christiani; quod est Domus Sapientiæ. In III. Ædificium Architecti Christiani; quod est Fabrica Virtutum. Obiectum Architecti Tropologici. In IV. Fundamenda Domus Sapientiæ, vel Ædificij Spiritualis: Fides, Humilitas. Timor Domini In V. Columna Domus Sapientiæ. seu Ædificij Spiritualis. In VI. Muri, Parietes, Tectum Domus Sapientiæ seu Ædificij Spiritualis. In VII. Instrumenta Architecturæ Christianæ. seu, Supellex Architecti Christiani.

ARCHITECTVRA DIVINA. *Constat libris* VI. *In* I. *describitur* DEVS *Architectus in Opere Electionis, & Prædestinationis hominum: eligens & prædestinans quosdam, velut* lapides, *Ædificio cælesti aptandos. In* II. DEVS *Architectus in Opere Electionis & Prædestinationis hominum: eligens & prædestinans quosdam, veluti* Ligna *Ædificio cælesti ac commodunda. In III.* DEVS *Architectus in Opere Incarnationis Verbi. In IV* DEVS *Architectus in Opere Ædificationis Ecclesiæ. In V. exhibetur* DEVS, *quatenus concipi potest, tanquam Domus, Arx, Templum. In VI. Repræsentatur* CHRISTVS *quatenus est & concipi potest Ecclesiæ, velut Templi, aut Domus Fundamentum, sub demonstratione Lapidis Angularis.*

ARCHITECTVRA MARIANA *continens & exponens Symbola Mariana detumpta ex Architecturâ.*

LIBRI

LIBRI.

NONDVM TYPIS VVLGATI.

DE B. MARIÆ V.

I. MARIA-IRIS. *Sermones ad Sodales B. M. V. in festiuitatibus Deiparæ habiti desumpta materiâ ab Iride, quæ Virginem variè repræsentat. Nempe, Mystica, Symbolica. Prognostica. Nicopæa Smaragdema. Ignea.*

II. PENTAPHYLLVM. *Nimirum FLOSex Horto Mariano quinq; Symbolis, vt tot dem folys exornatus, sermones Quinque ad Sodales B. M. V. habiti, desumpta materiâ à Quinque Symbolis illustribus* DEI PARÆ. *Quæ sunt Triclinium. Alma Mater. Iudirimens lites. Thalamus. Altare.*

III. SYMBOLA MARIA *miscellanea ordine Alphabetico tribus Tomis digesta.*

IV. MARIÆ *hæresum Inimica, Profligatrix, Interemtrix, Opusculum continens causas, & Orationes polemicas de hoc Titulo: & explicationem Versiculi:* Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniverso mundo.

V. *Liber de Propositionibus Quorundam censurâ male sonantibus, nouis, temerarij, scandalosis circa Titulos, ac Prærogatiuas* B. MARIÆ V. Dignare me Laudare Te Virgo Sacrata. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

VI. MARIA NIX mystica. *libellus particulis XVII. distinctus, Admiranda Niuis ad B. M. V. transferens.* Laudate Dominum Ignis, Grando. *Nix.* Glacies. Psal. CXLVIII. 7. 8.

VII. MARIA PVRPVRATA *Libellus continens causas, cur Purpura* DEI PARÆ *optimè conveniat.* Byssus & Purpura indumentum eius *Prouerbior.* XXXI. 22.

LITTERATVS CHRISTIANVS.

CONtines Exhortationes sacras ad Iuuentutem Academicam de Indole & virtutibus Litterati Christiani. Synopsis.

1. *Commendatur Litterato Christiano Modestia. Ad quam eruditur.*

2. *Præscribitur Litterato Christiano Studiositas. Cuius natura & qualitates declarantur.*

3. *Litterati quidam omnium nationum è Societate* IESV, *ad Sociorum commendationem, & aliorum exemplum recensentur.*

4. *Lit-*

4. *Litteratus Christianus sit Apis argumentosa.*
5. *Litterati Christiani cum Asino Euangelico comparatio.*
6. *Litteratus Christianus Vranopolites, & Cosmopolites. Seu, De Patria Litterati.*
7. *Diuersitatem morum, & adfectuum Litterato ex regionum varietate aduenire. Seu, De cognatis nationum vitijs.*
8. *Litteratus Christianus ita sit Cosmopolites, vt nationalibus ori vitijs non succumbat: sed ad fructum eorum notitia vtatur.*
9. *Vt adfectuum, ita ingeniorum diuersitatem ex regionum varietate prouenire. Seu, De varijs Gentium ingenijs.*
10. *Peregrinandum esse Christiano Litterato. Seu, De Peregrinationis fructuosæ commodis.*
11. *Quando & quomodo sit peregrinandum?*
12. *Præceptiones Litterato peregrinatori perutiles.*
13. *Indoles Litterati Christiani.*
14. *Temperamentum Litterati Christiani.*
15. *Nobilitas Litterati Christiani.*
16. *Pædagogus & Abecedarius Doctor Christiani Litterati.*
17. *Calamus Christiani Litterati.*
18. *Cuius magnis regendus eius Calamus.*
19. *Virga Dei, vt Patris, & Magistri.*
20. *Bibliotheca Litterati Christiani.*
21. *Libri Litterati Christiani.*

PHILOSOPHVS CHRISTIANVS, Seu PHILOSOPHIA CHRISTIANA.

PARS. I.

PROLEGEMENA.

1. *Quid sit Philosophia Christiana? Quis Philosophus Christianus?*
2. *De Philosophiæ Christianæ obiecto, quà materiali, quà formali.*
3. *Pseudo philosophiam Philosopho Christiano inutilem esse, & noxiam. Quænam illa? explicatur.*
4. *Excellentissimã Philosophiæ Christianæ, eamque vtilissimam partem esse, Passionis Dominicæ Meditationem, & Imitationem: Theoricam æquè ac Practicam.*
5. *Signa Philosophiæ Christianæ. Quæ, Qualia? Quotuplicia?*

PAR

PARS. II.

1. *Pallium Philosophi: Insignia Philosophi Christiani.*
2. *Pileus Philosophi Christiani.*
3. *Baculus Philosophi Christiani.*
4. *Pera Philosophi Christiani.*
5. *Cingulum Philosophi Christiani. Philosophus Cinctutus.*
6. *Barba Philosophi Christiani, Philosophus Barbatus.*
7. *Calcei Philosophi Christiani, Philosophus Calceatus, Exulceatus.*

PARS III.

Species Philosophi Christiani.

1. *Logicus Christianus. Ex nominis allusione amœna: & obuiam negotiationis rationalis analogia, Seu, Logica, Christiana.*
2. *Logicus Christianus Disputans. Disputantium leges Christianæ.*
3. *Physicus Christianus. seu Physica Christiana.*
4. *Anamasticus Christianus.*
5. *Οὐρανόσκοπος, seu Cœli speculator Christianus.*
6. *Arithmeticus Christianus.*
7. *Geometra Christianus.*
8. *Musicus Christianus.*
9. *Musica mystica Philosophi Christiani.*
10. *Instrumenta musica Philosophi Christiani.*
11. *Harmonia musica Misericordiæ & Iustitiæ Diuinæ, quam considerat Philosophus Christianus.*
12. *Opticus Christianus.*

PARS. IV.

Sectæ Philosophorum. Ad mores & pietatem accommodatæ.

1. PERIPATETICVS *Christianus.*
2. *Pseudo-peripateticus Christianus.*
3. ACADEMICVS *Christianus.*
4. *Pseudo-academicus Christianus.*
5. *Prauos huius temporis Politicos esse Pseudo academicos, & Hæreticis sociatos, Veterem, Nouamq; Academiam conari introducere.*
6. *Qui-nam inter Catholicos censeri possint immodicè Aacademici?*
7. *Ex Academia & Scepsi aliquem dicendi & agendi modum posse in Philosophum Christianum certis temporibus ac locis deriuari.*

8. *Religiosus aliquando esse potest, secundum virtutem, Scepticus Christianus.*

9. *Academicam ἐποχὴν, & dubitationem interdum inducit Prudentia, Fides, Charitas, Moderatio, Ingenium.*

10. *Haretici in rebus Diuinis frequenter sunt improbè Sceptici.*

---

11. STOICVS *Christianus, ex loci & finis analogia.*

12. *Stoicus Christianus contemptu, abdicationeq; externorum foris flandiendium.*

13. *Stoicus Christianus, vita austeritate.*

14. *Stoicus Christianus affectuum cohibitione.*

15. *Praui Christianorum Stoici sunt Haretici, criminum affinitate.*

16. *Haretici dogmatum germanitate sunt inter Christianos praui Stoici.*

17. *Haretici dum causſam peccati DEVM faciunt, prauis Stoicis sunt deteriores.*

18. *Heterodoxorum Paradoxa.*

19. *Paradoxa Orthodoxorum.*

---

20. PYTHAGORICVS CHRISTIANVS.

21. *Pythagorici Christiani Insignia.*

22. *Quibus locis, ac temporibus; quibus in rebus, quibuscum hominibus oporteat agere Pythagoricum Christianum.*

23. *Pseudopythagoricus Christianus, inter hareticos, dogmatum affinitate.*

24. *Praua Pythagoricorum imitatio in hareticis detegitur.*

---

25. EPICVREVS.

26. *Secta veterum Epicureorum propria conferuntur cum recentium dictis factisq;.*

27. *Inter Epicureos referendos esse, qui animarum rationalium immortalitatem negant.*

28. *Quinam inter Christianos censeri possint ac nominari Epicurei: Epicuri de gregi porci?*

29. *Epicureorum sectam instaurant voluptatis carnalis mancipia.*

30. *Epicureorum secta augetur inter hareticos etiamnum Prouidentia diuina abnegatione,*

31 *An inter Philosophos Christianos numerandi sint Epicurei aliqui?*

32. *Epicureus Christianus probus, seu*

Ex Epicuri instituto salutaria ad mores documenta sumi posse, siue
Quicquid commendandum in Epicuri secta, reperiri in Philosophia Christiana.
33. *An Epicureismus in altera vita sit admittendus?*
34. *Voluptates Patriæ cælestis quales sint?*
35. *Vtrum inter Angelos Epicureismus locum vllum habeat? vel habuerit vnquam?*
36. *Xenium Epicureis Christianis ex Epicuri Gentilis Philosophi dictis factisque.*

37. CYNICVS CHRISTIANVS
38. *Cynicum Christianum indigitari posse hominem vitæ religiosæ addictum.*
39. *Cynicus Christianus dici potest quilibet probus Ecclesiastes, Curio, Parochus.*
40 *Cynicus Christianus sit quilibet Præses Ecclesiasticus, tum Politicus.*
41. *Pseudocynicus Christianus, est mutus Eccclesiastes nunquam latrans, procax reprehensor: in obuium quemque latrãns impudens calumniator, nullo discrimine bonos malosq; lacessens. Denique, insigniter impudens, lasciuus, edax, immundus, Canis reuersus ad vomitum.*
Logica. Physica, Methaphysica. siue, Cursus Philosophicus dictatus in Scholis ad modũ, vsumq; Academiarũ huius ætui.

THEOLOGICA.

Libri IV. Prolegomenorum Theologiæ Scholasticæ.
1. *de Scholasticæ Theologiæ Significatione, Acceptione, Progressu, Vsu, Necessitate.*
II. *de Habitu Theologiæ,*
III. *de Obiecto & Dignitate Theologiæ.*
IV. *de Principijs, ac subiecto inhæsionis Theologiæ.*
DECADES IV. *Opusculorum. Theologicorum.*
I. DECAS, *siue libri X. Commentationum Scholasticarum: in quibus pertractatur materia omnis.*
1 *De Essentia & Existentia* DEI.
2, *De Attributis Dei vniuersim.*
3. *De Simplicitate.*
4. *De Perfectione.*
5. *De Bonitate.*
6. *De Infinitate.*
7. *De Immensitate*

8. De Immutabilitate.
9. De AEternitate.
10. De Vnitate.

II. DECAS, siue libri X. in quibus agitur

1. De Cognoscibilitate & Visione Dei.
2. De Incomprehensibilitate Dei.
3. De Ineffabilitate Dei & Nominibus Diuinis.
4. De Scientia Dei vniuersim.
5. De Scientia Dei obiectiu.
6. De Scientia Dei, quatenus versatur circa creaturas in aliqua temporis differentia existentes: præsertim circa futura tum absoluta, tum conditionata. Item circa Non entia, & his affinia.
7. De Scientia Dei, quam habet de futuris contingentibus.
8. De Scientia Dei conditionata seu, de Scientia futurorum conditionatorum.
9. De Ideis Diuinis.
10. De Veritate Dei, & falsitate rerum creatarum.

III. DECAS, siue Libri X. cõmentationum Scholasticarum, in quibus disputatur.

1. De Vita Dei.
2. De Voluntate Dei, quatenus est Necessaria, Libera, Caussa rerum: & caussam habens vel non habens.
3. De voluntate Dei, quatenus distinguitur in varia membra.
4. De Actibus & Affectibus ad Dei Voluntatem pertinentibus.
5. De virtutibus Dei.
9. De Prouidentia Dei.
7. De Prædestinationis essentia.
8. De Prædestinationis effectibus.
9. De Prædestinationis causis.
10. De Prædestinationis immutabilitate, certitudine, notitia, ac numero Prædestinatorum.

IV. DECAS, siue libri X. Commentationũ Scholasticarum; in quibus excutitur materia omnis.

1. De Reprobatione Diuina.
2. De libro Vitæ & Mortis.
3. De Potentia Dei.
4. De Beatitudine Dei.
5. De Trinitatis nomine, significatione, existentia, notitia, similitudinibus, symbolis.
6. De Processionibus Personarum Diuinarum.

7. De Relationibus Personarum Diuinarum, & Personalitatibus Diuinis.

8. De Personis Diuinis.

9. De pluralitate Personarum, Existentiarum, Subsistentiarum, & his annexorum in Trinitate.

Cursus Theologicus, dictatus in Scholis, methodo modoque in Vniuersitatibus Catholicorum vsitato.

HISTORICA.

Libri VI. De quatuor Monarchijs: Assyriorum, Persarum, Graecorum, Romanorum. In quibus Admiranda illarum & Controuersa illustrantur, ac breuiter expediuntur, Commentationibus, Disquisitionibus, & Responsis, Historicis, Ethicis, Politicis, Philologis, Criticis, Ecclesiasticis, Symbolicis.

1. De quatuor Monarchijs generatim, earumque Imaginibus Symbolicis.
2. De Regno Assyriorum, Chaldaeorum, Babyloniorum.
3. De Monarchia Medorum, & Persarum.
4. De Monarchia Graecorum.
5. De Monarchia Romanorum.
6. Series Regum & Imperatorum Romanorum vsque ad Iulianum Apostatam inclusiuè.

MEDICA.

Liber vnus, Consultationum Theologo-medicarum.
Liber vnus Aphorismorum Sacrorum.

VARIA.

Liber vnus Epistolarum triginta duarum doctrinalium de IRONIA; illiusque vsu in Sacris & profanis, bono, ac malo.

RESPONSA, Ecclesiam, Rempublicam, conscientiam concernentia: Ecclesiastica, Politica, Moralia, admixtis similibus. Tomi duo.

Opusculum de Barbarie, quam Theologis Scholasticis obijciunt huius aui haretici.

MELCHISEDECH. Seu Princeps Ecclesiastico-politicus, continens controuersias omnes de Melchisedecho, & nexu Principatus Ecclesiastici cum Politico.

Libellus singularis de Regno Christi & Imperio terreno.

Libellus singularis de Iure, & Potestate Regia.

Opusculum de MAXIMILIANIS, & similis denominationis viris, qualis sunt.

S. Maxi-

S. Maximilianus Laureacensis Archiepiscopus & Martyr.
S. Maximilianus vel Maximianus Princeps VII. Dormientium Sanctorum.
S. Maximianus Archiepiscopus Rauennas.
S. Maximianus Syracusana vrbis Episcopus.
Maximianus Bagarensis Episcopus.
Maximianus Episcopus Vagiensis.
Maximianus Episcopus Constantinopolitanus.
Maximianus Episcopus Macedonia.
Maximianus Donatista, à quo Maximianista.
Maximiliani Imperatores, Reges, Principes.
Maximiani Cæsares.
Maximiliani, doctrinâ & eruditionis famâ, nec non scriptis, & eruditorum commendatione illustres.

S. AVGVSTINVS

Libro Meditat. Cap. 35.

Dico quod valeo; sed non dico semper quod debeo. Vtinam possem talia dicere, qualia illi Hymnidici Angelorum Chori. Mortuus est S. Augustinus Anno Christi 490. Ætatis suæ 75. mensibus 9. & diebus 16. vltra excursis: Opera 903. dictasse ipse prodidit, cùm libros Recognitionum scriberet.

Ticini in Epitaphio Seuerini Boëthij legitur hoc distic.

Dicere longa mora est quot scripserit istelibellos
Atque referre suo nomine quemque labor.
Quos inter fidei plureis munimina nostræ
Conditur in rebus Pagina Sacra tuis.

BALDVS. I. C.

in proœmio Decretal.

QVemadmodum turpe est diuiti decedere sine hereditate; ita miserum habenti vsum exercitati intellectus posteris & studiosis nihil scriptum, tanquam hereditarium relinquere.

At

QVi scribit, multos sibi Iudices parat: sed memineris, nihil tam facile, quàm ocioſum & dormientem de aliorum labore, & vigilijs disputare.

S. HIERONYMVS.

Et istius modi homines maligni aliena rodentes, quod in publico contemnunt, in angulis libenter legunt, ac ſuffurantur.

POSTERITATI.

Talis qualis fuit, hic iacet.
Quot annos vixit,
Tot Libros ſcripſit.

An hunc ſupino credis in otio
Vixiſſe vitam, qui totidem Libris
Quot vixit annis omne vitæ
Præteritæ ſpacium redemit?

E Tumbâ

Quot annos vixi,
Tot Libros scripsi.
Concessa Diuûm munere non mihi
Ætas inerti transijt otio
Æquantur anni lucubrato
Iamque typis celebri labore.

S.
D. I.
H. & G.

Anno M. dc. Lii. Ætatis Lxxv. Vitæ religiosæ Lv.

FINIS


LAVDA BILE NOMEN DOMINI
IHS


Th
2676